M·914

De vera religione

Tractatus theologicus.

Auctore

Josepho Müller S. J.

Liber in privatum auditorum usum ordinatus.

Editio tertia.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Oeniponte.
Typis Feliciani Rauch.
1922.

1770

Prooemium.

1. Scopus huius tractatus atque momentum. — Scopus huius tractatus non in eo versatur, ut singula dogmata christiana ab impugnationibus vindicentur, sed eo spectat, ut divina revelatio et institutio adeoque veritas religionis christianae in suo fundamento invicte demonstrentur. Unde patet, quantum eiusdem tractatus sit momentum et quanta pro temporum, quae vivimus, adiunctis necessitas. Etenim, ut in prooemio ad *concilium Vaticanum* legere est: „Nemo ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum reiecto divino Ecclesiae magisterio res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa ss. Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mysticis commentis accenseri coeperunt. Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae, utpote supernaturali instituto, adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus ac Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta dirimere connitantur.“ Quare,

si iam Apostolus Petrus omnes fideles hortatur: *„Parati sitis semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe“* (1 Pet. 3, 15), ii imprimis, qui ad Christi gregem pascendum vocantur, in hac scientia apologetica excellere debent; ad ipsos enim pertinet, quod Paulus Apostolus Tito praecipit: *„ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere“* (1, 9).

2. *Argumentum et divisio tractatus.* — Ex dictis porro intelligitur, quam apte ab hoc tractatu totus cursus theologicus exordium suum sumat. Etenim logice prius quam singula particularia dogmata demonstrentur et explicentur, illae veritates probandae et declarandae sunt, quae ad fundamenti instar sunt ceterarum. Praemittere autem iuvat inquisitionem de ipsa theologia, tum ut ab initio recta quaedam huius scientiae notio praeformetur, tum ut perspiciatur, quem locum in systemate theologico et quam habitudinem ad alias theologiae partes praesens tractatio habeat. Cum praeterea pro varia consideratione varius esse possit et pro varia auditorum vel lectorum conditione variari etiam debeat huius tractatus ambitus; omnes eae quaestiones hic seponuntur, quae sive in aliis tractatibus dogmaticis sive in aliis disciplinis theologicis tractari solent. Quales sunt v. g. demonstratio existentiae Dei, vaticinia messiana V. F., genuinitas librorum ss. Ut vero ab initio conspectus aliquis obvius materiae tractandae habeatur, brevis subnectitur catalogus quaestionum, quae in decursu tractatus explicantur.

Quaestio prima et praevia: De ipsa theologia,

Quaestio secunda: De religione in genere.

Quaestio tertia: De revelatione universim.

Quaestio quarta: De criteriis revelationis in genere.

Quaestio quinta: De criteriis externis primo vel de miraculis.

Quaestio sexta: De criteriis externis secundo vel de prophetiis.

Quaestio septima: De evangelicae historiae veritate.

Quaestio octava: De divina Christi missione.

Quaestio nona: De mirabili religionis christianae historia.

Quaestio decima: De religionibus a christiana diversis.

3. Notitia historica. — Cum inde ab origine religionis christianae impugnatores eius exstarent, eadem defensores quoque suos vel Apologetas semper habuit. Quia vero prioribus temporibus impugnatio non adeo systematice instituebatur, sed modo hoc modo illud dogma imprimis impetebatur, ideo neque defensio ad integrum systema redacta est, sed quae singula dogmata ab infidelibus vel haereticis impugnabantur, eadem a Patribus et scriptoribus ecclesiasticis contra aggressiones vindicabantur. Saeculo demum 18., cum incredulii principia ipsa vel fundamenta religionis christianae convellere nitebantur, theologi eadem defendentes veritatem christianae religionis systematica ratione demonstrare coeperunt ita, ut mox novus tractatus vel nova disciplina theologica orta sit, quae propter temporum necessitates prompte evoluta est et incrementa cepit. Ex theologis, qui scriptis libris hanc disciplinam excoluerunt, recentiores quosdam referre praestat: *F. Hettinger*, Lehrbuch der Fundamentaltheologie oder Apologetik[3], 1913; *P. Schanz*, Apologie des Christenthums[4], 1910; *C. Gutberlet*, Lehrbuch der Apologetik[3], 1903; *J. Ottiger*, Theologia fundamentalis I; *G. Wilmers*, de religione revelata, 1907, *A. Schmid*, Apologetik, 1900; *G. Van Noort*, De vera religione[2], 1907; *Fr. Egger*, Enchiridion theologiae dogmaticae generalis[5], 1913; *Specht*, Lehrbuch der Apologetik, 1912; *G. Reinhold*, Der alte und der neue Glaube[3], 1911; *Esser-Mausbach*, Religion, Christenthum u. Kirche, 1911; *A. d'Alès*, Dictionnaire apologétique de la foi catholique, 1911. De historia huius disciplinae scripserunt: *K. Werner*, Geschichte der apelogetischen und polemischen Litteratur; *A. Langhorst* in ‚Stimmen aus Maria Laach', Bd. 18. 19. 20.; *Hettinger*, l. c. p. 29—40; *Schanz*, Apologie I.[4] p. 23—86; *Ottiger*, l. c. p. 24 ss.; *Schmid*, l. c. p. 12 ss.

Quaestio prima et praevia.

De ipsa theologia.

Articulus primus.

De ratione interna theologiae.

Thesis 1. Theologia apte definitur: scientia fidei.

Declaratio.

1. *1. Argumentum huius quaestionis limitatur et dividitur.* — Quae in hac quaestione tractanda sunt, ad sex articulos reduci possunt, scilicet:

Articulus primus: de ratione interna theologiae.
Articulus secundus: de muneribus theologiae.
Articulus tertius: de praestantia theologiae.
Articulus quartus: de divisione theologiae.
Articulus quintus: de locis theologicis.
Articulus sextus: de peculiari indole et methodo theologiae fundamentalis.

Haec quidem argumenta, ut manifestum est, amplissimam materiam continent, quare Scholastici praesertim inde a saeculo 16. magnos de eadem tractatus conscripserunt, alii in comentariis suis in S. th. *S. Thomae* 1. p., q. 1., alii autem in propriis ad hunc finem editis libris. Nominari merentur imprimis *Melchior Canus,* De locis theologicis; *Chr. Gillius,* De sacra doctrina atque de essentia et unitate Dei; *Gregorius de Val.,* Commentarius in Summam S. Thomae, tom. 1. disp. 1. quaest. 1.; *Ad. Tanner,* Theol. sch. tom. 1. disp. 1. Ex recentioribus hac in re egregie versati sunt inter alios *Kleutgen,* Theol. d. Vorz.[4] 4. B., 544 ss.; *Scheeben,* Dogmatik 1. Band 393 ss.; *Heinrich,* Dog-

matik 1 Band 1 ss.; *Hettinger*, Fundamentaltheologie[3] 1 ss., ubi etiam alii libri indicantur.

Iamvero, cum de plerisque huius quaestionis argu- 2.
mentis uberius alibi agendum sit, in praesenti ea tantum exponenda sunt, quae ad pleniorem inquisitionum theologicarum intelligentiam praerequiruntur.

Itaque in articulo primo ipsa theologiae essentia vel interna indoles tribus thesibus explanatur, quarum prima definitio statuitur, altera obiectum formale, tertia subiectum definitur. In definitione vero, qua theologia scientia fidei dicitur, vocabulum scientiae id exprimit, quod theologia cum philosophia commune habet, igitur genus proximum; vocabulum fidei autem illud denotat, quo ab hac distinguitur, videlicet differentiam specificam. Duo igitur in prima thesi asseruntur: primo theologiam esse doctrinam fidei; secundo hanc doctrinam iure merito dici scientiam. Priusquam autem probatio instituatur, ipsa vox theologiae paucis explicanda est.

2. *Significatio et usus vocis theologiae.* — a) Si spec- 3.
tatur ipsa vis vocis, theologia manifeste dici potest et dicitur quaecunque doctrina de Deo deque rebus divinis. Ita *Augustinus*, De civitate Dei l. 8. c. 1.: „Hoc verbo graeco significari, inquit, rationem seu sermonem de divinitate." Et ideo profani etiam scriptores rerum divinarum et veteres poëtae apud antiquos theologi vocantur, ut idem *Augustinus* l. c. l. 18. c. 14. refert.

b) Ad hanc tamen significationem latissimam non est restrictus usus vocis, sed per usum multiplex diversa et magis stricta significatio inducta est. Et imprimis, cum doctrina de Deo duplici modo acquiri possit, per rationem et revelationem ab ipso Deo de se factam, theologia iam magis proprie dicitur ea de Deo doctrina, quae ex revelatione per Christum facta hauritur; quae est doctrina de Deo verissima, profundissima, certissima. Et haec quidem doctrina theologia dicitur, etiamsi tantum in genere consideretur, sive sit scientifice evoluta, sive non. Inde exsurgit 3. acceptio vocis theologiae.

4. c) Aliquo enim usu apud scriptores praesertim SS. Patres revelata doctrina ipsa in se spectata theologia dicitur, et ss. scriptores inspirati theologi vocantur. Ita *Ps. Dionysius Areop.* in libro de coelesti hierarchia c. 13. Isaiam proph. theologum appellat; atque in epistola aliqua ad Timotheum, quae eidem auctori olim attribuebatur, S. Petrus suprema et antiquissima theologorum summitas vocatur.

d) Sensu tamen maxime proprio et usu ecclesiastico praesertim hodierno consecrato theologia non dicitur ipsa revelatio sed potius scientia, quae circa revelationem versatur vel melius ipsi ut fundamento suo innititur, videlicet ea de Deo doctrina, quae veritates fidei ex fontibus revelationis demonstrat et in unum systema componit, quae ipsam fidem explicat, confirmat, persuadet et contra adversarios defendit. Sicuti vero manifestum est, theologiam priore sensu acceptam, i. e. doctrinam revelatam, partem saltem ab omnibus possideri, qui fidem habent; ita theologiam in posteriore sensu maxime proprio sumptam non habent nisi ii, qui ipsam studio acquirunt. Quare huc referri potest, quod dicit S. Paulus 1. Cor. 12, 29.: „*Numquid omnes doctores*“ et illud divi *Augustini* l. 14. de Trinitate c. 1. n. 3.: „Hac scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum: aliud est enim scire, quid credere debeamus, quod docet fides; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.“

5. e) Commemorandus denique quinto loco est usus aliquis huius vocis antiquis Patribus proprius et frequentissimus; nimirum significabant nomine theologiae modo specialissimo doctrinam de ipso Deo in se spectato abstractione facta ab eius operibus ad extra, i. e. doctrinam de Deo uno et trino, et theologiam hoc modo acceptam opponebant oeconomiae i. e. doctrinae de Christo Redemptore. Haec est ratio, cur *Gregorius Nazianzenus* prae aliis Patribus apud antiquos scriptores theologus vocetur, quippe

qui prae aliis eximie plane et egregie dogma de SS. Trinitate exposuit atque vindicavit.

Iam in praesenti thesi vox theologiae sane ea significatione sumitur, quae quarto loco commemorata est: quippe quae per usum maxime propria evasit, nunc unice adhibetur et, quod caput est, totam doctrinam sacram, quam aggredimur, uno nomine complectitur.

Demonstratio.

I. p. Theologia est doctrina fidei.

1. Probatur ex indole humanae cognitionis. — Deus atque res divinae duplici modo ab homine cognoscuntur et quidem vel ex mundo creato vel ex se ipsis. Cognitio Dei homini naturalis ea est, qua ex mundo cognoscitur tamquam ex effectu, vel qua ex mundo contingenti ens necessarium, ex mundo finito ens infinitum, ex mundo tamquam opere ordinatissimo ens sapientissimum infertur et simili modo alia attributa divina demonstrantur. Haec igitur cognitio tota quanta analoga est et proinde valde imperfecta, cum ea Deus nonnisi per similitudinem cum rebus finitis cognoscatur, per quas perfecte repraesentari non potest. 6.

Longe perfectior cognitio illa est, qua Deus ex se et in se cognoscitur; hanc autem propriam et immediatam cognitionem non habet naturaliter nisi solus ipse Deus. Supernaturaliter vero hanc cognitionem Deus hominibus communicavit et quidem duplici modo; primo modo et perfectissimo participant eandem Beati per visionem beatificam; per hanc enim Deus immediate prout in se est videtur et ex ipso et in ipso a Beatis alia cognoscuntur: imperfecte et aliquo modo tamen etiam viatores huius cognitionis participes redduntur, cum per fidem a Deo infusam inhaerent Deo primae veritati tamquam principio cognoscendi et ipsi inhaerentes firmiter credunt vera esse omnia, quae a Deo dicuntur. Iam vero nunc cum ex hac fide procedentes vel cum ex facta nobis revelatione multa, quae ad Deum pertinent, demonstramus, explicamus, de-

ducimus, evolvimus et in systema componimus, efficitur aliqua doctrina, quae merito doctrina fidei nominatur; quippe quae tota fidei innititur, ipsam supponit, ipsam explicat. Nihil aliud autem est theologia nostra: ergo.

2. Ex usu et consensu communi. — Hoc eodem modo
7. theologiam iam descripsit vel definivit etiam *S. Augustinus:* „Illud, inquit, tantummodo huic scientiae tribuo, quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur et roboratur" (De Trinitate l. 14. c. 1.). Tota igitur theologia secundum ipsum versatur in fide explicanda, evolvenda, defendenda; atque inde a S. Augustino theologi omnes ita theologiam saltem quoad rem acceperunt, etsi verbis hinc inde discrepent; videlicet sunt etiam, qui theologiam dicant esse rerum divinarum ex divina revelatione comparatam scientiam: sed manifestum est, quoad rem ipsam hanc definitionem cum statuta coincidere; idem enim plane est revelatio obiective spectata, quam fides obiective sumpta.

2. p. Theologia merito scientia dicitur.

8. De hac parte multum, imo nimis forte multum disputarunt plures ex antiquis scholasticis; vera autem atque certa apparet sententia S. Thomae, Suarii, Kleutgen aliorumque nobilissimorum theologorum.

I. Probatur ex scientiae definitione. — Quaevis veritatum complexio, quae ad commune aliquod subiectum referuntur, ex principiis certis explicantur et demonstrantur et in systema ordinatum rediguntur, hoc tempore ab omnibus et iure quidem merito scientia veri nominis dicitur. Atqui theologia exhibet manifesto veritatum complexum, quae ad Deum ut ad subiectum commune referuntur, quae ex principiis certissimis, ex divina scil. revelatione, demonstrantur et explicantur, et quae tandem in systema ordinatum et pulcherrimum S. Thoma praesertim duce a theologis redactae sunt; ergo.

9. *2. Ex altera scientiae definitione.* — Si paulo aliter scientiae definitio sumitur, videlicet quatenus dicitur cognitio

certa ex causis, tunc quoque theologia scientia dicenda est. In ipsa enim plurima manifeste ex causis suis illustrantur, explicantur, demonstrantur: v. c. gratia, peccatum, virtutes etc.; imo ipsarum personarum divinarum per theologiam cognitio quasi ex causis acquiritur; denique ipsa revelatio est causa veritatum theologicarum, non quidem existentiae, sed cognitionis earundem.

3. Tandem ipsa scriptura hanc sententiam commendare non inepte dicitur. — Cf. Sap. 10, 10: Prov. 2, 5; I. Cor. 12, 8.

Scholion.

Obiectiones quaedam solvuntur. — 1) Scientia et fides 10.
sibi opponuntur; si ergo theologia est doctrina fidei, eo ipso non erit scientia. — *R.* Etsi theologia sit scientia fidei, tamen non convertitur cum fide; etenim theologia demonstrat ea, quae credit fides, ex principiis fidei; dein ex articulis fidei alias veritates deducit: tandem omnia in systema componit. Haec vero sane dicunt processum scientificum.

2) Praeterea obiectum principale theologiae, sunt mysteria; mysteria autem non sunt obiectum scientiae, ergo. — *R.* Mysteria utique non demonstrantur ex sola ratione, sed demonstrantur ex divina revelatione, et dein demonstrata per rationem fide illustratam declarantur, illustrantur, connectuntur inter se, et ex iisdem aliae veritates demonstrantur; quare etiam mysteria non sub uno tantum respectu obiectum scientiae esse possunt.

3) Denique scientiae est, ex principiis evidentibus con- 11.
clusiones evidentes elicere; fides autem, quam diximus principium theologiae, ab Apostolo (Heb. 11, 1.) dicitur *argumentum non apparentium;* ergo. — *R.* primo cum *S. Thoma* S. th. p. 1. qu. 1. a. 2.: „Duplex est scientiarum genus: quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et huiusmodi. Quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut

perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina (i. e. theologia) est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et Beatorum. Unde sicut musicus credit principia sibi tradita ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo." — Deinde *R.* cum *Melchiore Cano* De locis theol. l. 12. c. 1., ideo ab Aristotele et Scholasticis ad scientiam postulari evidentiam principiorum, ut veritas habeat necessitatem et assensus firmitatem; si igitur haec possint haberi sine evidentia, nihil obstat, quominus vera atque proprie dicta scientia habeatur; iamvero theologia versatur circa veritates, quae habent maximam necessitatem et postulant summam firmitatem assensus, sc. veritates fidei; hae enim nituntur in auctoritate Dei revelantis, quae est motivum multo excellentius et praestantius, quam omnis naturalis evidentia.

Thesis 2. Obiectum formale theologiae est verum demonstrabile ex verbo Dei, quare a philosophia essentialiter differt.

Declaratio.

1. *De duplici cuiusvis scientiae obiecto.* — Duplex cuiusvis facultatis et scientiae obiectum distinguendum est: primum est id omne, quod facultate vel scientia proxime et directe attingitur, ut res concreta sonora auditu, res concreta dulcis gustu; et hoc quidem dicitur obiectum quod sive obiectum materiale. Alterum est respectus sub quo vel ratio communis, propter quam ea omnia, quae constituunt obiectum materiale, a facultate vel scientia attingi possunt, et vocatur etiam obiectum propter quod seu quo vel etiam obiectum formale. Sic omnia, quae audimus, ideo auditu percipi possunt, quia sunt sonora, et ideo sonus est obiectum formale auditus, color visus, sapor gustus, et ita porro.

Iamvero, cum scientiae secundum obiectum formale distinguantur, distinctius aliquo modo, ut magis discrimen

theologiae ab aliis scientiis appareat, eius obiectum formale explicandum est.

Demonstratio.

I. p. Obiectum formale theologiae est verum demonstrabile ex verbo Dei.

Probatur ex notione obiecti formalis. — Haec propo- 2.
sitio, dummodo attendatur ad notionem obiecti formalis, quae modo relata est, facile infertur ex prioribus. Videlicet obiectum formale est respectus sub quo vel ratio propter quam id quod cognoscitur a facultate vel scientia attingatur; est igitur modus, quo obiectum ut cognoscibile refertur ad cognoscentem, est forma cognoscibilitatis, qua obiectum cognoscenti manifestatur. Iamvero prouti in theologia naturali obiectum consideratur ut cognoscibile interna veritatis manifestatione vel ut est verum proportionatum naturalibus viribus intellectus nostri, ita in theologia supernaturali vel fidei obiectum consideratur ut cognoscibile redditur lumine revelationis, ex qua est cognoscibile vel in se vel in principiis ex quibus deducitur. Ergo sicut obiectum philosophiae vel theologiae naturalis est verum cognoscibile lumine rationis, ita obiectum formale theologiae fidei est verum cognoscibile vel potius demonstrabile ex verbo Dei.

2. p. Philosophia vel theologia naturalis et theologia fidei essentialiter differunt.

Haec pars ex praecedentibus infertur; etenim 3.

1. Differunt obiecto formali. — Nimirum „Diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit... Unde nihil prohibet de iisdem rebus, de quibus philosophicae disciplinae tractant, secundum quod sunt cognoscibiles lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia, quae ad sacram doctrinam pertinet secundum genus differt ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur." (S. th. p. 1. q. 1. a 1. ad 2.)

2. Cum diversitate obiecti formalis cohaeret aliud di- 4.
scrimen sc. ex parte principii subiectivi cognoscentis. —

Etenim eo ipso, quod obiectum formale theologiae supernaturalis est verum demonstrabile ex verbo Dei, refertur ad intellectum, qui inhaeret revelationi, igitur ad intellectum informatum lumine fidei; et proinde scientia theologica fidem omnino supponit et in ea innititur.

E contrario autem obiectum theologiae naturalis refertur ad intellectum tantum naturali suo lumine instructum. Principia igitur subiectiva in utraque scientia plane diversa sunt; in theologia naturali est sola ratio, in theol. fidei est quidem etiam ratio, sed instructa et adiuta supernaturali lumine fidei. In infideli igitur scientia theologica proprie esse non potest. Hinc accommodabantur huc a Patribus et theologis verba Isaiae 7, 9.: *„Nisi credideritis, non intelligetis (non permanebitis)."*

5. *3. Ex dictis consequitur discrimen tertium sc. diversa origo.* — Utraque videlicet est quidem a Deo, sed alio et alio modo; theologia naturalis a Deo est auctore naturae: *„Invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur"* (Rom. 1, 20.); theologia vero fidei a Deo est auctore ordinis supernaturalis, qui se in hoc ordine manifestat duplici locutione, primo locutione externa secundum illud: *„multifariam, multisque modis Deus olim loquens Patribus in prophetis, nocissime diebus istis locutus est nobis in Filio"* (Hebr. 1, 1.); deinde locutione interna per fidem, *qua sumus docibiles Dei,* ut inquit S. Scriptura, *qua docemur, illuminamur, ungimur a Patre Filio et Spiritu S.* (Ioan. 6, 45; Matth. 16, 17; 2. Tim. 1, 10; 1. Ioan. 2, 20. 27.)

4) Tandem ex dictis intelligitur, nisi consequatur, quomodo etiam possit esse et sit discrimen inter *obiectum materiale* utriusque scientiae: theologia fidei latius patet; complectitur etiam mysteria.

Scholia quaedam.

6. *1. Obiectiones solvuntur.* — a) Secundum hanc sententiam theologia a fide non differret; utriusque enim esset idem obiectam formale sc. verum divinitus revelatum. — *R.* Quamvis divinitus revelata possint dici obiectum formale

fidei et theologiae, hoc tamen sunt alio et alio modo; ad fidem referuntur, quatenus ut a Deo dicta firmo assensu suscipiuntur; ad theologiam, ut ex verbo Dei, et ut ex ipsis alia demonstrantur. Ergo divinitus revelata fidei obiectum sunt, quatenus propter Dei auctoritatem creduntur, theologiae vero, quatenus ex divina revelatione demonstrantur. — Deinde ad obiectum formale theologiae conclusiones quoque pertinent, quae ex revelatis deducuntur.

b) Dictum est supra et sollemne fuit antiquis theologis, theologiam ab iis tamquam a principiis proficisci, quae revelata et fide certa sunt; atqui scientia non probat sua principia, sed ex principiis alia; ergo revelata non sunt obiectum theologiae, quia sunt principia, ex quibus theologia procedit. — *R.* Inferiores scientiae sua principia non probant, ut mathematica; suprema autem scientia naturalis videlicet philosophia sua principia explicat, probat, defendit. Sic etiam theologia, quae est omnium suprema: at non tantum sua principia i. e. veritates revelatas, sed ex iis alia probat et ideo obiectum eius formale est verum demonstrabile ex verbo Dei; i. e. non tantum ea, quae in se sunt revelata, sed ea quoque, quae in aliis revelatis continentur.

c) Fides, ut dictum est, praecedit theologiam; nam 7.
theologia a fide accipit sua principia; atqui scientia, quae probat et ostendit, quaenam sint divinitus revelata, praecedit fidem; ergo. — *R. d. mai.* fides eorum, ex quibus demonstrat theologia, c; fides eorum, quae demonstrantur a theologia *sbd:* potest praecedere *c*; necessario praecedit *n*. *Ctd. min.* praecedit fidem eorum, ex quibus demonstrat *n*; praecedit fidem eorum, quae ostendit esse revelata *sbd:* potest praecedere *c;* necessario praecedit *n*.

Videlicet: primo si ex veritate revelata deducitur alia veritas sive credenda sive non credenda, tunc manifestum est fidem praecedere theologiam. Si autem secundo ostenditur aliquid esse revelatum, tunc potest videri adesse difficultas. Sed etiam tunc, ut argumentum sit vere theologicum, debet procedere ex veritate fide certa. Quomodo

autem hoc fit? Respondetur duplici modo fieri posse: aut enim argumentum sumitur ex verbo Dei vel ex fontibus revelationis i. e. Scriptura et Traditione; et tunc ex veritate fide nota proceditur; aut ex duobus specialibus articulis fidei alia veritas deducitur et tunc iterum sane ex fide praesupposita fit processus. Non autem tantum fides aliarum veritatum praecedit cognitionem eius, quod demonstratur ut revelatum, sed potest etiam praecedere fides eiusdem veritatis, quae demonstratur ut contenta in fontibus revelationis. Etenim potest quis tenere aliquam veritatem ut fide certam, quia ecclesia ipsam docet, quin sciat, quomodo in Scriptura vel Traditione enuntietur. Si iam nunc inquiritur et probatur hanc veritatem doceri a Scriptura vel Traditione vel ab utraque, fides in eam theologicam eiusdem demonstrationem praecedit. Simili ratione potest quis veritatem aliquam ut fide certam ex uno fonte revelationis tenere et dein probare, eandem veritatem in alio quoque fonte contineri. Ceterum fides revelationis certam quidem, non vere scientificam cognitionem supponit.

Qua vero ratione scientia apologetica fidem supponere et ex ea procedere possit, cum tamen cognitio revelationis supponatur et praerequiratur a fide, posteā accuratius explicabitur.

8. *2. De axiomate Scholasticorum, articulos fidei esse principia theologiae.* — Quamvis omnes veritates fidei ex se aptae esse possint, ut ex iis aliae veritates deducantur, Scholastici tamen non omnes principia theologiae dicebant, sed pauciores tantum principaliores et magis fundamentales, quae articuli fidei quoque vocantur. Et quidem merito. Etenim inter divinitus revelata quaedam sunt, quae sunt magis specialia, quae ex revelatis se prioribus deduci possunt et ex quibus alia multa deduci non possunt; quaedam vero sunt, quae sunt magis generalia, quae ex aliis revelatis se prioribus deduci non possunt, ex quibus autem, cum sint quasi fundamenta et radices, alia multa revelata et non revelata deduci possunt. Talis veritas v. g. est: in Deo dari realem processionem per intellectum et volun-

tatem; ex hac veritate tamquam ex principio et radice tota doctrina de SS. Trinitate logice deduci potest. Idem valet v. g. de veritate Deum esse ipsum esse, quae non tantum ratione, sed etiam fide constat; videlicet ex ea ut ex fonte quasi primario fluit tota doctrina de Deo uno. Huc pertinet etiam veritas Christum esse unam personam, Deumhominem, relate ad tractatum de Verbo incarnato; et ita porro aliae veritates. Iamvero has veritates magis fundamentales Scholastici principaliter considerabant ut principia theologiae easque articulos fidei vocabant. Ipsae enim sunt radices vel fundamenta et columnae quasi, quibus totum systema theologiae superstruendum est. Pleraeque ex his veritatibus in symbolo apostolorum continentur.

9. *3. Communis tantum et publica revelatio ratio formalis obiecti theologiae est.* — Notandum est hic monitum *Gregorii de Valentia* (tom. I. disp. 1. q. 1. p. 3) „non quamcumque divinam revelationem existimari a nobis esse rationem formalem obiecti theologiae, sed eam, quae facta est ecclesiae ad communem utilitatem fidelium, non autem eam, quae facta sit aut fieri possit alicui privato. Nam illa communis revelatio sola pertinet ad communem et catholicam fidem, ex cuius doctrina probat suas assertiones theologia". Communis autem illa revelatio absoluta et conclusa est per apostolos et evangelistas et incrementum iam non capit, ut theologice saltem certum est.

Thesis 3. Deus ipse ut Deus est subiectum theologiae.

Demonstratio.

1. *1. Probatur ex usu loquendi et agendi theologorum.* — Per subiectum alicuius scientiae intelligitur obiectum materiale princeps, i. e. illud, quod potissimum et propter se attingitur et ratione cuius omnia alia attinguntur et ad quod referuntur. Atqui theologi, ut vel ipsum nomen innuit, de Deo potissimum agunt et cetera omnia, quae tractant, ratione Dei attingunt eaque ad ipsum ut ad causam efficientem, finalem, exemplarem referunt. „Omnia, inquit

S. Thomas, pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem; unde sequitur, quod Deus vere sit subiectum huius scientiae" (S. th. 1. p. q. 1. a. 7).

2. *2. Ex comparatione cum fide.* — Cum theologia sit scientia fidei, eadem erit inter obiecta materialia theologiae relatio, quae est inter obiecta materialia fidei; atqui fidei obiectum princeps materiale, ad quod cetera referuntur, Deus est, ut ex ipsis Scripturis constat, v. g. Col. 2, 2. 3.; *„ut consolentur corda ipsorum, instructi in caritate et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi"*; et Ioann. 17, 3.: *„Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti, Iesum Christum"*.

3. *3. Ex comparatione cum visione beatifica.* — Fides et scientia, quae per ipsam habetur, nihil aliud sunt nisi inchoatio quaedam et praeparatio ad visionem beatificam, quae est theologia beatorum; nam 1. Cor. 13, 12. dicitur: *„Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum."* Haec autem, visio sc. beatifica, non est nisi imitatio quaedam et participatio scientiae Dei ipsius, quae sola est theologia infinite perfecta et adaequata obiecto suo. Deus autem primario seipsum cognoscit et in essentia sua comprehensa cognoscit omnia alia, quae vera sunt, tamquam obiectum secundarium; simili igitur modo beati in visione beatifica vident primario et immediate divinam essentiam et in hac visione vident obiecta secundaria; ergo theologia ut est inchoatio visionis beatificae et adumbratio aliqua ipsius cognitionis divinae, ut obiectum princeps Deum habet, et cetera non considerat, nisi quatenus dicunt aliquem ad Deum ordinem.

Corollaria duo.

4. *1. Quando cognitio aliqua sit perfecte theologica.* — Ut igitur cognitio sit perfecte theologica duo requiruntur:

primo, ut procedat ex revelatione vel fide (obi. formale), secundo, ut habeat tamquam obiectum Deum, vel si est diversum a Deo, consideretur in relatione ad Deum (subiectum).

2. Unitas theologiae. — Theologia est scientia una, quia primo unum est eius obiectum formale, sub quo omnia obiecta materialia continentur; secundo, quia subiectum eius non tantum genere unum ut corpus, anima, sed singularitate unum est.

Scholion.

Obiectiones quaedam solvuntur. — 1. Videtur potius Christus dicendus esse subiectum theologiae, quia in eo et divina et humana natura et omnia, quae ad humanam salutem pertinent, considerantur. Ita etiam *S. Bonaventura* censet (in 1. l. s. Prel. a. 1. q. 1). — *R.* theologia ante omnia Deum ipsum manifestare intendit secundum illud: *„Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum“* (Ioan. 17, 3). Christus autem ipse ad Deum refertur, quemadmodum Apostolus dicit: *„Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei“* (1. Cor. 3, 22, 23.); omnia enim a Deo profecta sunt, etiam ipse Filius, et ad Deum omnia per filium, et ipse etiam filius redibunt, ut iterum dicit Apostolus: *„Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus“* (1. Cor. 15, 28). S. Bonaventura autem Christum vocat subiectum integrale theologiae, quae est alia ratio considerationis. 5.

2. Recentiores multi religionem christianam vel regnum Dei theologiae subiectum assignant, quia omnia, quae in ss. LL. de Deo, de homine aliisque rebus traduntur, ad hanc de regno eius doctrinam directe et unice referantur. — Ad hanc obiectionem respondet *Kleutgen:* „Etsi denique theologia sit scientia eius doctrinae, quae in regno Dei profitenda est, et qua religio christiana nititur, non ideo recte doctrina de regno Dei vel de religione christiana definitur; praesertim si ut recentiores plerique religionem 6.

cultum Deo adhibendum et regnum Dei hominis regenerationem et sanctificationem intelligas. Ratio vero, quam addunt, falsa est et occasio multiplicis erroris" (De ipso Deo n. 17). Videlicet de ipso Deo plura sunt revelata, quae non referuntur directe et unice ad illam de regno Dei doctrinam; non enim v. g. in tractatibus de Deo uno et trino Deus consideratur ut auctor ecclesiae, sed consideratur, ut est in se.

Articulus secundus.

De muneribus theologiae deque habitudine inter fidem et theologiam.

Thesis 4. **Munera theologiae in fide obiectiva demonstranda, defendenda, explicanda vel evolvenda versantur; unde essentialis inter fidem et theologiam differentia atque habitudo intelligitur.**

Demonstratio.

1. p. Theologiae est fidem demonstrare, defendere, explicare vel evolvere.

1. Haec theologiae munera iam in superioribus quidem indigitata sunt; ad distinctiorem tamen intelligentiam iuvat ea distinctim exhibere. Itaque

1. Primum munus theologiae est dogmata fidei tum generalia tum specialia ex ipsa revelatione vel eius fontibus, ss. LL. et Traditione, distincte et integre et methodice demonstrare, exponere, propugnare.

2. Secundum munus est revelatam veritatem tum in genere, tum singula dogmata contra argumenta ex ratione petita defendere, quod pro diversitate subiectae materiae duplici modo fit; primo modo inducitur positiva concordia inter fidem et rationem, si videlicet agitur de dogmate demonstrabili etiam sola ratione naturali, ut sunt v. g. infinitas Dei, attributa Dei in genere, spiritualitas et immortalitas animae humanae etc.; secundo modo inducitur negativa concordia inter rationem et fidem, si nimirum agitur de mysteriis vel generatim de veritatibus sola ratione non

demonstrabilibus; sufficit enim et requiritur ut ostendatur haec dogmata cum ratione non evidenter pugnare vel argumenta contra allata esse probabiliter saltem solubilia. — Ex quibus patet momentum et ratio argumentorum philosophicorum, quae in theologia proponi solent.

3. Tertium munus est ex articulis fidei tamquam ex 2.
principiis ad varias conclusiones theologicas stabiliendas procedere. Hae conclusiones erunt aut fide certae, si scilicet utraque praemissa est revelata — aut theologice tantum plerumque certae, si una tantum ex praemissis est revelata.

Fere eodem modo munera theologiae explicat *Ludovicus Molina*, et cum ex eius expositione bene eluceat, quam late pateat theologiae arena et quantam proinde diligentiam postulet, expositionem huius theologi adnectere placet:

„Primum (munus theologiae) in sacris litteris, conciliis aliisque definitionibus sua principia indagare, quaerendo verum sensum et interpretationem sacrarum litterarum modo ex proprietate sermonis, ad quam rem maxime peritia linguarum conducit, modo ex antecedentibus et consequentibus, modo ex collatione diversorum locorum, quae inter se vel consentire vel pugnare videantur, modo ex interpretatione ss. Patrum, qui in germano sensu ss. Scripturarum inquirendo multum diuque versati sunt magnopereque a Deo in ea re adiuti et illustrati fuerunt, atque ex aliis rebus, quae ad id possunt conducere. Secundum sua principia suadere, quo facilius et promptius homines ad ea credenda inducantur; idque interdum per rationes omnibus principiis (i. e. articulis fidei) confirmandis communes, qualia sunt miracula in fidei confirmationem effecta, novi et veteris testamenti mira concordia, religionis christianae cum aliis sectis collatio atque alia, quae suo loco explanabuntur (apologetica); interdum vero per rationes singulis principiis peculiares ostendendo, quam consentiant singula cum lumine naturali, atque ex eis demonstrando ea, quae lumine naturali demonstrari possunt, ut Deum esse, esse unum, esse principium omnium rerum etc., pro aliorum vero con-

firmatione adducendo suasiones rationesque probabiles, quantum cuiusque (articuli) natura patitur. Tertium adversus eos, qui quaedam principia negant et alia admittunt, ex adversis negata ostendere; quo pacto contra Iudaeos ex veteri Testamento demonstrantur, quae in novo continentur, et adversus haereticos ex iis, quae concedunt ostenduntur, quae ipsi infitiantur. Quartum rationes enodare, quae vel adducuntur vel adduci possunt ad dogmata fidei impugnanda . . . His, si placet, adiungito, ut reliquarum scientiarum ita et huius disciplinae proprium esse ex suis principiis suas deducere conclusiones. Ab ipsiusque munere alienum prorsus non esse pertractare quaedam, quae licet ad alias scientias pertinent, coniuncta tamen sunt et quasi antecedentia iis, de quibus ex proprio munere disputat" (in 1. p. q. 1. a. 2. disp. 1).

2. p. Non una essentialis est differentia inter fidem et theologiam.

3. Quamvis fides et theologia intime nexae sint: utraque enim circa revelationem versatur et deinde inseparabiles sunt eo sensu, quod theologia fidem supponat; manifesto tamen et essentialiter differunt:

1. Obiecto. — Etenim obiectum fidei non sunt nisi formaliter revelata; theologia vero etiam ea complectitur, quae ex veritatibus revelatis inferuntur, harmoniam dein inter revelationem et rationem, illustrationes sive intelligentiam dogmatum. — Deinde autem, quod etiam notandum est, obiectum inadaequate identicum sub alia et alia ratione a theologia et fide consideratur. Theologia scilicet veritates revelatas considerat ut sunt in intimo nexu cum invicem, ut constituunt unum totum et mirabilem quendam quasi organismum; fides autem hunc nexum, vel hunc organismum non considerat, sed designat quidem veritates revelatas, quae sunt in nexu, at non quatenus inter se nectuntur vel organismum quendam constituunt.

4. *2. Differunt quasi forma.* — Videlicet fides obiectum suum amplectitur propter solam auctoritatem Dei revelantis, theologia vero saltem etiam propter demonstrationem scien-

tificam, institutam sive ex fide, sive pro subiecta materia ex ratione ad harmoniam inter fidem et rationem ostendendam. In fide igitur revelata creduntur, in theologia demonstrantur, explicantur, illustrantur, ex iis conclusiones deducuntur, in systema rediguntur.

3. Differunt ipso assensu. — Assensus enim fidei certus est certitudine summa tum infallibilitatis tum firmitatis; assensus theologicus ut talis certus est certitudine longe minore, quia nititur non tantum in revelatione, sed etiam in ratione; imo assensus theologicus potest esse tantum opinativus, quando scilicet non versatur circa ipsa dogmata, sed circa argumenta, quibus dogmata probantur, vel circa conclusiones, quae ex iis deducuntur.

Articulus tertius.

De praestantia theologiae.

Thesis 5. Theologia omnibus aliis scientiis antecellit.

Demonstratio.

Ex iis, quae hucusque tractata sunt, manifeste con- I.
sequitur, praestantiam theologiae esse maxime insignem; quod ut distinctius intelligatur, singula momenta, quae huc spectant, in unum colligere oportet. Itaque

1. Primo theologia aliis scientiis antecellit propter excellentiam principii formalis. — Etenim ut loquitur *S. Thomas* super Boeth. de Trinit. qu. 2. a. 2. n. 7. „Theologiae autem principium proximum quidem est fides, sed primum est intellectus divinus, cui nos credimus". Hinc consequitur, ut iam supra dictum est, theologiam esse participationem quandam ipsius scientiae divinae et inchoationem visionis beatificae. Si autem ita est, illarum excellentiam quoque aliquo modo participat.

Theologiam vero speciali modo participationem quandam divinae scientiae esse, *S. Thomas* quoque eodem articulo in corp. explicat: „De divinis enim duplex scientia

habetur: una secundum modum nostrum, quae sensibilium principia accipit ad notificandum divina et sic de divinis philosophi scientiam tradiderunt, philosophiam primam divinam scientiam dicentes. Alia secundum modum ipsorum divinorum, ut ipsa divina secundum seipsa capiantur, quae quidem perfecte nobis in statu viae est impossibilis, sed fit nobis in statu viae quaedam illius cognitionis participatio et assimilatio ad cognitionem divinam, in quantum per fidem nobis infusam inhaeremus ipsi primae veritati propter seipsam. Et sicut Deus ex hoc ipso, quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo, i. e. simplici intuitu, non discurrendo; ita nos ex his, quae fide capimus primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliarum secundum modum nostrum, scilicet discurrendo de principiis ad conclusiones".

2. *2. Ex hac praestantia consequitur alia relate ad materiam vel obiectum materiale theologiae.* — Cum enim principium primum theologiae sit ipse intellectus divinus, nullum est verum tam sublime et absconditum, quod ipsa non complectatur. Ex infinitis autem veris, quae divinus intellectus comprehendit, placuit Deo et de seipso et de operibus suis plurima, quae humanae rationi in se spectatae omnino impervia sunt, nobis revelare, quare Apostolus dicit: *„Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam nemo principum huius saeculi cognovit . . . nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum"* (1. Cor. 2, 6, 10). Et veritates illae quam sublimes, quam stupendae sunt! v. g. Mysterium SS. Trinit., Filiatio adoptiva etc. Merito igitur *S. Thomas* S. th. 1. p. 1. q. 1. a. 5.: „Ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt; aliae vero scientiae considerant ea tantum, quae rationi subsunt". Rationis autem humanae lumen admodum debile est, cum a sensibus dependeat et nonnisi res sensibiles ut obiectum proprium habeat et ideo de divinis parum apprehendat.

3. *3. Tertia excellentia ex eodem principio fluens est certitudo, qua praestat theologia aliis scientiis.* — Videlicet ut

dicit *S. Thomas* in S. th. 1. p. q. 1. a. 5.: „Aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare, haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest". Et sic etiam in iisdem quaestionibus, quae et a philosophia et a theologia attinguntur, praestat certitudo theologiae et firmitate et copia propositionum certarum, quamvis, ut supra iam notatum est, neque in theologia omnia certa sint. „Sunt quidem, ait ulterius *Kleutgen* ad hanc praestantiam explicandam (l. c. n. 30.), rationis quoque humanae principia certissima, at universalia et abstracta. Quare ut ad rerum notitiam perveniat, aliis indiget, quae ope sensuum et fidei humanae colligere debet. Non solum hinc, sed etiam ex imperfecto modo, quo res spirituales concipit, magna nascitur incertitudo et multiplex errandi periculum. Theologia autem rerum ipsarum cognitiones ex verbo Dei accipit plurimas, ad eas plenissima certitudine tenendas supernaturali fidei lumine roboratur atque insuper in iis ratiocinatione pertractandis infallibili ecclesiae magisterio dirigitur".

4. Theologia tandem eo excellit, quod dirigit ad Deum, ut finem nostrum supernaturalem. — Omnes sc. aliae scientiae finem habent inter ambitum naturae contentum, videlicet sive felicitatem temporalem, sive vitae honestatem, sive cognitionem Dei per creata. Theologia autem hominem et humana omnia ad finem supernaturalem dirigit, de quo ss. LL.: *„Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit"* (1. Cor. 2, 9). 4.

Corollarium.

Theologia sapientia est per excellentiam. — Quam assertionem egregie explicat *S. Thomas*. „Haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et iudicare; iudicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur: ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam alti- 5.

simam illius generis ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens; et architecton respectu inferiorum artificium, qui dolant ligna vel parant lapides; unde dicitur 1. Cor. 3, 10.: *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Et rursus in genere totius humanae vitae prudens, sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; unde dicitur Proverb. 10, 23: *Sapientia est viro prudentia.* Ille igitur qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur; unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio, ut patet per Augustinum de Trinit. (l. 12. c. 14). Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa; quia non solum, quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile (quod philosophi cognoverunt), ut dicitur Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis;* sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de seipso, et aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia." (S. th. 1. p q. 1. a. 6).

Scholion.

6. *Obiectiones solvuntur.* — 1. Naturalis scientia clarior est quam theologia et proinde huic illa praestat. — *R.* „Ceteris paribus tanto excellentior est scientia, quanto clarior et certior; atque ideo Beatorum theologia hanc nostram inenarrabiliter superat. Attamen altissimarum rerum quamvis imperfecta cognitio desiderabilior rerum minimarum cognitione perfecta. Adde, quod, quae sunt maxima, eadem in se quidem certissima et evidentissima sunt at non nobis propter debilitatem intelligentiae nostrae, quae se habet ad manifestissima naturae sicut oculus noctuae ad lumen solis (Arist. Metaph. l. 2. c. 1). Tandem, quae de rebus divinis philosophia clare et certo cognoscit, iis theologia non privatur. Ut enim generatim gratia naturae dona non eliminat, sed elevat, ita etiam theologia naturalem scientiam non abolet, sed in se suscipit ampliandam et perficiendam" (Kleutgen o. c. n. 34).

2. Principia scientiarum naturalium tam certa sunt, 7.
ut de iis nemo nedum dubitet, sed nec dubitare possit: de principiis autem theologiae contrarium constat: ergo certitudine saltem theologia non praestat. — *R.* Quod de principiis scientiarum naturalium dubitare non possimus, non provenit ex maiore earum certitudine, sed ex eo, quod nobis sunt manifestiora, quia intelligentiae nostrae magis proportionata. Certitudo autem fidei est maior omni certitudine naturali, quia innititur excellentiori motivo, auctoritate Dei, et ideo homo gratia adiutus rationabiliter potest et debet tum revelatis tum iis, quae ex his deducuntur, firmius adhaerere, quam omnibus aliis.

3. Videretur potius dicendum esse metaphysicam ce- 8.
teris omnibus scientiis praestare; omnia enim ex illa sua principia accipiunt; ipsa autem a nulla alia; theologia porro etiam ad sua principia tuenda utitur metaphysica et scientiis naturalibus. — *R.* Praestat quidem metaphysica omnibus aliis scientiis naturalibus, quae ab ea sua principia accipiunt, sed minime theologiae; haec enim sua principia a Deo accipit per revelationem. Porro theologia aliarum scientiarum principia non probat quidem, sed de iis iudicat, pro ipsis norma saltem negativa est. Deinde theologia aliis scientiis utitur, non autem ad statuenda sua principia, sed ad ea defendenda, ex iis alia inferenda, vel ad mentes veritati revelatae conciliandas. Theologia igitur aliis scientiis utitur non ut ab eis dependens, sed ut administris, tamquam domina ancillis, ipsis imperans. Simili ratione architectus per suam artem, quae principalior est, opificibus artes inferiores exercentibus imperat, puta fabris lignariis, lapidicidis, coementariis, eorundemque opera utitur ad procurandum finem artis architectonicae. qui est aedificatio domus.

Articulus quartus.

De divisione theologiae.

Thesis 6. Theologia varia ratione recte dividitur; ea vero, quae scholastica dicitur, specialem considerationem meretur.

Demonstratio.

I. p. Varia est theologiae divisio.

1. Haec pars probatur ipsas divisiones exponendo. Itaque *1. Ratione materiae theologia primario dividitur in speculativam et practicam.* — Videlicet scientiarum humanarum aliae dicuntur speculativae, quarum finis est contemplatio veritatis, aliae vero practicae, quarum finis est directio operationis. Scientiae speculativae igitur de iis sunt, quorum cognitio propter se intenditur, scientiae vero practicae de iis, quorum cognitio non propter se intenditur, sed propterea, ut mediante cognitione regulativa sint operabilium. Itaque theologia speculativa primo eas fidei veritates respicit ut propriam materiam, quae non in ordine ad solam praxim, sed ideo potissimum, ut cognoscantur, sunt revelatae; et secundo circa eas conclusiones versatur, quae sine immediato ordine ad praxim ex talibus veritatibus deducuntur. — Contra theologia practica primo ut propriam materiam eas fidei veritates respicit, quae unice revelatae sunt, ut sint regulativae operabilium; atque secundo eas conclusiones deducit, quae in ordine ad regulandam praxim ex talibus veritatibus deducuntur. Neque tamen theologia speculativa et theologia practica diversae sunt scientiae; verum quia idem obiectum formale habent, ut partes unam eandemque scientiam theologicam integrantes haberi debent. — Theologia autem magis speculativa est quam practica, quia subiectum eiusdem Deus non est de numero operabilium.

2. Haec divisio cum ea fere coincidit, qua theologia dividitur in *dogmaticam et moralem.* Neque inconveniens est,

quod theologia speculativa dogmatica vocetur. Nam etsi praecepta morum et aliae regulae operabilium, in quas inquirit theologia practica, non minus sint veritates fidei, quam eae, quas considerat theologia speculativa, non tamen ita proprie dogmata vocantur. Maxime enim proprie dogmata vocantur veritates revelatae, quae sunt de numero speculabilium.

Quia tamen intime cohaerent theologia dogmatica et moralis, et altera ab altera illustratur, quaestiones de principiis theologiae moralis, ut sunt quaestiones de virtutibus, de peccatis, etc. in theologia dogmatica quoque saepe tractari solent. — Ad theologiam practicam revocari potest iurisprudentia ecclesiastica necnon theologia pastoralis.

3. *2. Alio modo, videlicet ratione muneris, theologia dividitur in positivam et scholasticam.* — Theologia positiva revelata dogmata ex verbo Dei scripto et tradito eruit; theologia scholastica vero demonstrata dogmata perscrutatur, aperit ea, quae in illis sunt inclusa, nexum inter diversa dogmata ostendit, contra obiectiones munit, conclusiones ex iis deducit et sic supra fidem tamquam fundamentum magnificum veritatis supernaturalis systema aedificat.

Munere etiam theologia polemica a dogmatica, ascetica a morali distinguitur. Etenim ascetica non mali bonive rationem explicat, sed potius viam ostendit vel methodum, qua a malo nos expediamus et ad bonum perveniamus. Mystica ab ascetica autem potius materia discrepat; agit enim non de sanctitate communi, sed de mystica coniunctione cum Deo et de contemplatione extraordinaria, ad quam non omnes, sed quibus datum est, perveniunt.

4. *3. Tandem notanda est divisio in theologiam proprie dictam vel ipsam theologiam, quae partes hactenus commemoratas complectitur, et in disciplinas subsidiarias.* — Harum sunt praesertim duae: exegesis et historia ecclesiastica, ad quas caeterae revocantur; ad exegesim: introductio, hermeneutica, archaeologia biblica; ad historiam ecclesiasticam: patrologia, historia haeresum, dogmatum, conciliorum. Ad-

vertendum autem est non pauca et praesertim fundamentalia ex his disciplinis etiam in ipsa theologia esse tractanda.

Restat divisio in theologiam *fundamentalem* vel *generalem* et *specialem*, de qua divisione paulo inferius agetur.

2. p. Theologia scholastica specialem considerationem meretur.

5. Ad hanc partem sive demonstrandam sive illustrandam aliquas breves considerationes subiicere sufficit.

1. Ad discrimen inter theologiam positivam et scholasticam atque insigne huius momentum intelligendum egregie conferunt haec S Thomae: — „Quilibet actus exequendus est, secundum quod convenit ad suum finem. Disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quaedam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem an ita sit, et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus, quos respiciunt illi, cum quibus disputatur . . . . Quaedam vero disputatio est magistralis in schola non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit (magister), et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur. Alioquin si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet" (Quodl. 4. a. 18.)

6. *2. Gregorius de Valentia quoque de eadem re valde accommodate disserit:* — „Positiva dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso sacrae scripturae sensu, ad eumque eliciendum tum aliis adminiculis, tum praecipue auctoritate SS. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum theologicarum ponit et ideo positiva videtur dicta, quia scilicet ponit et statuit ex Scriptura principia theologiae firmae. Scholastica vero theologia vocatur, prout explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quae vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant et quarum perspicientia velut claris-

simum quoddam lumen iuvat, ut tenebrae, quas haeretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facillime dispici atque dispelli possint. . .“ (Comment. in summ. S. Th. tom. 1. disp. 1. q. 1. p. 1).

3. Ex his, quanti momenti sit theologia scholastica, fa- 7.
cile patet. — Etenim ad intelligentiam fidei ducit, eam fovet, nutrit, tuetur atque hac ratione catholicae veritatis fortissimum contra hostes externos et internos propugnaculum evadit. Quare doctores theologi, qui castigata ab erroribus Aristotelis philosophia utentes praesertim inde a S. Thoma medio aevo atque subsequente tempore ab eam theologiam excolendam strenue atque feliciter adlaborarunt, tum haereticorum atque infidelium acre odium, tum vero etiam Summorum Pontificum summas laudes atque ecclesiae universae approbationem atque admirationem sibi conciliaverunt.

Inter alios v. g. *Sixtus V.* (Bulla de S. Bonaventura doctore ecclesiae decl.) declarat: „Quanto magis illi (haeretici) hanc munitissimam scholasticae theologiae arcem oppugnare et evertere conantur tanto magis nos decere hoc invictum fidei propugnaculum defendere et haereditatem patrum nostrorum conservare ac tueri.“

4. Atque haec quidem hoc quoque tempore valent. — 8.
Quare *Summus Pontifex Leo XIII.* „ut philosophia et theologia scholastica restauretur atque in scholis catholicis colatur ubique“, indefesso conatu sategit, et Pius X. feliciter regnans hac in re praesertim eius vestigia fideliter premit. Atque immortalis memoriae *Pontifex Pius IX.* quoque, ut eandem theologiam ab insulsis impugnationibus vindicaret, sequentem proscripsit et in syllabum inseruit propositionem: „Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.“ (p. 13. Denz.[10] 1713.) Unde nunc quoque theologi considerationem merentur, quae hac de re scribit *Card. Toletus:* „Non est, inquit, theologia scholastica de medio tollenda . . ., imo multum amplectenda, utpote quae obscura et difficilia sunt, aperiens; quae sparsa, ad methodum discendi redigens, et quod

maximum est, ab haereticorum sophismatibus ineptis liberans; quod fuit causa, ut ipsis summo esset odio, nostro praesertim tempore. Sed ut dici solet, pecuarii canes non possunt lupis non esse invisi. Nobis tamen multa in ea navanda est opera cum experiamur in illis partibus, ubi primum ista expelli coepit, plurimum haereses pullulasse, imo ad summum pervenisse, quod summo argumento nobis esse debet huic totis viribus incumbendi." (In summ. th. S. Th. prooem.)

9. *5. Hinc intelligitur, quid de certis conatibus iudicandum sit quorundam recentiorum.* — Nonnulli in fundamentalibus quaestionibus theologiae scholasticae adversantes nunc temporis revelationem conciliandam esse contendunt cum philosophia, ut loquuntur, profundiore recenti, sicuti theologi scholastici olim Aristotelicae philosophiae principia cum fide conciliarunt. Talia autem tentamina parum catholica sunt atque periculo plena; quippe quibus praecepta Sacrae Sedis negligantur atque fundamenta religionis christianae in discrimen adducantur. Illa enim recentior, quae profundior dicitur atque magis ampla philosophia, fere tota quanta turpissima atque stultissima subiectivismi, atheismi, pantheismi, materialismi labe infecta est. Contra hos vero abiectissimos errores ipso magisterio ecclesiastico auctore remedium aliud invenire non est, nisi theologia et philosophia scholastica non sane simpliciter reproducta, sed exculta, evoluta, temporum necessitatibus accommodata.

10. *6. Neque tamen soli theologiae scholasticae operam esse dandam sane evidens est.* — Etenim theologia scholastica et positiva ex aequo adstruendae et in unum corpus doctrinae hoc tempore componendae sunt. Sane non possunt theologiae munera plene expleri, nisi utraque methodus positiva et scholastica adhibeatur. Nam si pure scholastice theologia tractatur, fundamento quadantenus carebit. Nec valebit plene ad confutandos illos haereticos, quorum errores aliunde quam ex verbo Dei scripto vel tradito convelli non possunt. Si vero theologia unice positive tractetur, non illuminabit intellectum, non ostendet, quomodo dogmata

sint vera. Nec solvet repugnantias apparentes dogmatum, quod tamen hac nostra aetate est maxime necessarium. Multo enim minus propter speciales haereses quam propter late grassantes putidissimos errores rationalismi, materialismi, pantheismi et atheismi hisce temporibus plurimorum fides labefactata est.

7. In scholis vero theologicis speciatim magis etiam necessaria est institutio in theologia scholastica quam in theologia positiva. — Nam vel ipsa historia teste ad studium magis extensum theologiae positivae tamquam tessera contra multiplex periculum gravis erroris theologiae scholasticae cognitio praerequiritur. Deinde nisi principijs et systemati theologiae scholasticae theologia positiva nitatur, oblivioni citius datur. Denique contra multiplices errores maiorem securitatem vel potius verum propugnaculum habemus in clara perspicientia generalium et magnorum principiorum et integri pulcherrimi atque firmissimi systematis totius theologiae, quod propria quasi sua mole stat et inconcussum est; quam in cognitione multorum factorum vel multarum rerum particularium haberi unquam potest. 11.

Articulus quintus.

De fontibus theologicis.

Thesis 7. Plures merito distinguuntur fontes theologici, quorum singuli certis normis atque cautelis adhibitis infallibile veritatis argumentum praebent.

Demonstratio.

Haec thesis in praesenti exponenda potius, quam proba- 1.
banda est. Quare praemissa brevi notitia generali de fontium theologicorum notione atque distinctione singuli fontes eorumque usus breviter perlustrantur.

Fontes seu loci theologici illae sedes argumentorum sunt, ex quibus theologia argumenta sua depromit. Iamvero cum theologia sit scientia fidei, fidei autem doctrina

tota contineatur in verbo Dei scripto et tradito, praecipui fontes sunt S. Scriptura et Traditio. Ad hosce duos tamquam tertius accedit Ecclesia, quippe quae est custos verbi Dei et eius interpres authentica. Denique tamquam quartus fons notanda est ratio humana; cum enim theologia sit scientia fidei, rationis utique fide illustratae in theologia multiplex usus est et proinde etiam ipsa inter fontes recenseri potest.

Ad hos quatuor fontes ceteri, qui praeterea a theologis recensentur: Patres et theologi reduci possunt sive ad Traditionem sive ad Ecclesiam, cuius quasi organon et canales sunt.

De singulis hoc loco tantum pauca:

I. S. Scriptura.

2. 1. Cum ipsa Deo inspirante sit conscripta, quoad omnes suos libros et omnes eorum partes Deum habet auctorem atque vere ac proprie verbum Dei est; proinde res omnes et sententiae in ea contentae non solum ut infallibiliter verae, sed etiam ut a Deo dictae suscipiendae et fide divina credendae sunt.

2. Ex variis editionibus autem sola vetus latina, quae Vulgata dicitur, authentica declarata est, sc. conformis cum textu originali. Haec autem definitio Tridentini fuit dogmatica et eo saltem tendit, ut, quaecumque leguntur in Vulgata ad fidem et mores spectantia, ut verbum Dei scriptum admittenda sint. Non vero hoc decretum minuit vim et auctoritatem aliarum versionum; sed imo hae multum inservire possunt ad illustrandum et explicandum sensum Vulgatae et ad patefaciendam totam vim textus originalis.

Illud tamen ex hoc decreto colligendum est, argumentum, ut prorsus sit invictum, desumendum esse ex Vulgata, quamvis etiam ex aliis editionibus desumptum possit esse efficax. Hoc sensu recte affirmatur a quibusdam, dogmaticorum Scripturam esse Vulgatam.

3. Si textus aliquis vel sensus eius dubius est, indubitanter ille tamquam verus tenendus est, quem Ecclesia

aut sollemni decreto aut universali usu tenet. Hic autem usus patet imprimis ex consensu SS. PP. et theologorum. Nunquam igitur licet contra hunc consensum scripturam exponere.

II. Traditio.

3. 1. Traditio est secundus fons, ex quo revelatio divina hauritur; duplici autem modo accipi potest. Aut enim intelligitur hoc nomine organum a S. Scriptura distinctum, per quod tota revelatio pure et incorrupte ad nos pervenit, magisterium sc. orale Apostolorum eorumque successorum, aut vero veritates intelliguntur, quae „ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante quasi per manus traditae ad nos usque perveuerunt". *(Conc. Trid. sess. 4.)* Primo modo accepta dicitur traditio formalis, secundo materialis. Hac via nobis transmissa esse aliqua doctrina capita non contenta vel non clare contenta in Scriptura, certissimum est.

4. 2. Iamvero in hac re caput est agnoscere traditionem genuinam et ideo attendendum est maxime ad hanc regulam universalem, quae desumpta est ex ipsa natura traditionis: „Quod in universa ecclesia docetur et creditur tamquam divinitus revelatum, id, quamvis in Scriptura non contineatur, certo divinitus revelatum est; ecclesia enim universa quoad fidem errare non potest." Ex hac autem regula fundamentali tres speciales eruuntur:

a) Divina traditio est indubia, si in praesenti quidem non reperitur ecclesiae consensus, antiquo autem tempore adfuit. V. g. doctrina Immaculatae Conceptionis.

b) Quod nunc in communi ecclesiae fide continetur, tamquam veritas revelata tenendum est, etsi aliquando dubitatum ea de re fuerit. V. g. doctrina de valore baptismi haereticorum.

c) Si vero neque nunc neque antiquitus habetur consensus inter fideles, expectandum est ecclesiae iudicium, quae est supremus iudex de Scriptura et Traditione.

III. Ecclesia.

5. 1. Ecclesia definiri potest coetus fidelium eiusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione sub uno capite Romano Pontifice adunatus. Distinguitur ecclesia *docens*, quam constituunt episcopi uniti cum Romano Pontifice, et *audiens*, quae est universus fidelium coetus. Ecclesia docens infallibilis est quoad fidem et mores; sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio doceat (constit. vat. de fide c. 3). Quapropter certissimum locum theologicum constituit. Notandum autem est, illa tantum iudicia divina auctoritate certa esse, quae a Romano Pontifice, qui totius ecclesiae docendae potestatem tenet, facta vel eius sententia confirmata sunt.

2. Hinc decretoria argumenta sunt, quae desumuntur

a) e decretis conciliorum generalium a Papa confirmatis;

b) e decretis conciliorum particularium, quibus Romani Pontificis auctoritas accessit, sive per praesentiam suam, sive per actorum approbationem;

c) e decretis, quibus Romanus Pontifex e cathedra loquens doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit;

d) e iudicio ecclesiae non congregatae, sed dispersae, dum maior pars episcoporum aliquid probaverit et R. P. sententia accesserit.

6. 3. Notandum autem est, ad infallibilitatem Pontificis vel Episcoporum cum ipso adunatorum requiri, ut habeant intentionem definiendi vel cum auctoritate declarandi, quae sit sententia a fidelibus cunctis amplectenda. Igitur rationes v. g. allatae ad probandam definitionem statutam, quamvis permagni sint momenti et sine magna temeritate respui non possint, certitudinem tamen definitionis ipsius non adaequant, nisi simul authentica declaratio alicuius textus S. Scripturae vel doctrinae Traditionis dari velit.

Cum infallibilitate ecclesiae docentis cohaeret infallibilitas ecclesiae discentis vel audientis. Infallibiliter sc. verus etiam est consensus communis fidelium; etenim ad hoc

ecclesia docens infallibilitatis praerogativa donata est, ut ecclesia audiens in omnem veritatem inducatur et ab ea non desciscat. Quapropter quae in rebus fidei et morum ab omnibus fidelibus communi consensu tenentur, ea pro indubitatis ab omnibus habenda sunt.

IV. SS. Patres.

1. SS. Patres illi scriptores ecclesiastici vocantur, qui 7.
antiquitate, doctrina singulari et sanctitate eminent. Horum in ecclesia et apud theologos semper maxima fuit auctoritas; ex eorum enim operibus apprime cognoscitur, quaenam fuerit traditio, quaenam ecclesiae fides. Funguntur igitur quasi munere testium traditionis.

2. Ut recte hoc fonte theologiae utamur, nonnulla 8.
animadvertenda sunt:

a) Si cuncti Patres aut paene cuncti in eandem sententiam conveniant, irrefragabilis est eorum auctoritas. Cum enim Ecclesia eos ut Patres veneretur, certum est, ea quae ipsi concordi animo tradunt, ab ipsa ecclesia, quae Spiritu S. regitur, credi et doceri.

b) Haec summa Patrum auctoritas se extendit ad omnia ea, ad quae se extendit ipsum magisterium ecclesiae infallibile; igitur non tantum ad veritates stricte revelatas, sed etiam ad scientificum intellectum dogmatum, imo ad veritates naturales, quae suapte natura cum veritatibus revelatis connexae sunt.

c) Primario illa auctoritas Patrum irrefragabilis est, si non ex privata sua, sed ex communi ecclesiae sententia se loqui significent vel si formaliter ut testes traditionis loquuntur. Hoc tamen tunc tantum requiri videtur, si non adeo multorum testimonia habentur; cum enim consensus moraliter communis firmus et constans in re, quae ad fides et mores pertinet, exstare non possit, nisi eadem sit communis doctrina Ecclesiae, SS. Patres in hoc casu, etsi non formaliter, tamen virtualiter testes sunt traditionis vel communis ecclesiae doctrinae et proinde etiam tunc auctoritatem habent, quae respui non potest.

d) Sufficit consensus moraliter communis, sive ceteri contradicant, sive de re omnino sileant; neque opus est omnium sententias recitari, sed saepe etiam ex paucorum testimoniis consensus cognosci potest, praesertim si maioris sint auctoritatis et ex diversis atque dissitis ecclesiae provinciis.

V. Theologi.

9. 1. Theologi sensu illo, quo fontem theologicum constituunt, vocantur ii post Patres scriptores theologiae, qui laude sanae doctrinae et eximiae scientiae prae ceteris clari sunt. Inter ipsos eminent, qui inter Sanctos ab ecclesia adscripti et doctoris nomine insigniti sunt. Inter praecipuos theologos accensentur sequentes: *Petrus Lombardus, Alexander Halensis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas (Doctor angelicus), Bonaventura (Doctor seraphicus), Duns Scotus, Aureolus, Capreolus, Caietanus, Dominicus Soto, Melchior Canus, Bañez, Maldonatus, Toletus, Molina, Gregor a Valentia, Lessius, Bellarminus, Tanner, Baronius, Estius, Vasquez, Suarez (doctor eximius), Franciscus Salesius, Petavius, uterque Lugo, atque plures alii.*

10. 2. De auctoritate theologorum hoc tenendum est principium: Quod theologi consensu moraliter communi in rebus fidei et morum sententia certa et constanti asserunt, hoc absque haeresis vel saltem temeritatis nota respui non potest. Et ratio huius rei manifesta est: Primo enim, cum ecclesia docens infallibilis munus habeat et exerceat puritati doctrinae invigilandi, dubitari non potest, ea, quae a theologis communi consensu in rebus fidei et morum tenentur, ab ecclesia docente approbari. — Deinde, cum a Pastoribus fidelium tales doctrinae a theologis communiter traditae populo traduntur, si erroneae essent, tota ecclesia audiens ab illibata fide deficeret, quod impossibile est. — Tandem consensus supra dictus non potest habere aliunde fontem nisi manifestam revelationem veritatis illius respectivae vel eius certam consecutionem ex alia doctrina revelata; cum notum sit, theologos cum de sententiis liberis agitur, maxime dissentire solitos esse.

3. In hac de consensu theologorum quaestione triplex tamen genus propositionum theologicarum distinguendum est: Ad primum pertinent eae, quae stricte de fide esse statuuntur. Quoad has, si theologi consentiunt, non potest esse ambigendi locus. Secundum genus est earum, quae conclusiones theologicae vocantur; sunt veritates connexae cum veritatibus revelatis. Etiam in talibus quaestionibus consensus theologorum certum argumentum suppetit neque potest repudiari sine temeritatis et erroris nota. Tertium genus eas propositiones complectitur, quae ipse consensus theologorum ut probabiles tantum considerat; si quidem unquam talis consensus habetur. Evidens autem est, talem consensum propositionem aliquam non reddere certam sed tantum probabilem.

VI. Ratio humana.

Commemoranda hic est ut fons theologiae ratio humana quoque, per quam intelliguntur omnes disciplinae naturali intelligentiae lumine comparabiles. Multiplex sane et legitimus rationis in theologia usus est. Cum autem hic usus pateat partim ex dictis superius, partim ex ipsa theologiae tractatione intelligatur, et cum praeterea alibi de hac re agendum sit, hic amplior explicatio praetermitti potest. 12.

Articulus sextus.

De theologiae fundamentalis vel generalis speciali indole.

Thesis 8. Theologia fundamentalis circa generaliores quidem et fundamentales veritates versatur; verum ipsa quoque dogmatica methodo tractari potest imo etiam debet.

Demonstratio.

I. p. Theologia in fundamentalem et specialem ita dividitur, ut fundamentalis circa generaliores vel fundamentales veritates versetur.

1. *Divisio ista ratione materiae instituta est.* — Videlicet inter quaestiones theologicas aliae sunt magis gene- 1.

rales, praeviae, fundamentales, aliae particularia magis et individua dogmata respiciunt. Etenim quemadmodum philosophia non tantum agit de obiectis cognitis per fontes cognitionis naturalis, sed etiam de ipsis his fontibus, ita etiam theologia non tantum agit de dogmatibus haustis ex revelatione, sed agit etiam de ipsa revelatione, de fontibus totius cognitionis supernaturalis, Scriptura et Traditione, de custode revelationis, de relatione hominis ad revelationem. Iamvero illa theologiae pars, quae in has veritates, quae quasi-fundamenta sunt ceterarum, inquirit, vocatur fundamentalis sive generalis, alia, quae versatur magis in particularibus veritatibus ex revelatione haustis, vocatur specialis.

2. 2. *Theologiae igitur fundamentalis est, quatuor imprimis quaestiones tractare, et sic in quatuor tractatus apte dividitur:*

a) Prima quaestio est, num existat aliqua revelatio. Atque haec quaestio dirimenda est in tractatu de apologia religionis christianae sive de vera religione.

b) Secundo quaeritur de fontibus, per quos revelatio divina incorrupta et integra ad nos perveniat. Huic quaestioni respondebit alter tractatus de fontibus theologicis sive de Traditione et Scriptura.

c) Tertio quaeritur de infallibili custode et interprete doctrinae revelatae. Haec quaestio resolvitur in tractatu de Ecclesia.

d) Tandem quaeritur, quomodo ratio et revelatio se habeant ad invicem, et haec quaestio dirimitur in tractatu de fide.

2. p. Ipsa quoque theologia fundamentalis theologica methodo tractari potest, imo debet.

3. 1. In hac parte examinandum est paucis, qua ratione vel methodo tractanda sit theologia fundamentalis. Duplici scilicet modo hac in re procedi potest. Aut enim ex naturali ratione et humana scientia proficiscimur et historicis atque philosophicis argumentis istas veritates stabilimus,

aut vero ex fide procedentes inquirimus, quid de illis fundamentis ipsa tradat divina revelatio, et rationibus theologicis quoque utimur. Priori modo si proceditur, habetur scientia mere naturalis vel philosophica, quae non est pars, sed potius propaedeutica quaedam theologiae. Theologia enim, ut supra dictum est, versatur circa verum demonstrabile ex verbo Dei et proinde principia sua ex fide accipiat necesse est. — Posteriori modo si proceditur, habetur scientia vere supernaturalis, quae est propria pars theologiae.

2. At num theologice tractari potest theologia funda- 4.
mentalis? Etenim solum introductio ad theologiam proprie dictam esse, non vero ad ipsam theologiam integraliter pertinere videtur. Verum certum est, nos ab ipsa revelatione de existentia revelationis, de fontibus eiusdem, de ecclesia, de fide edoceri et proinde haec omnia esse obiectum fidei; ergo etiam certum est, ea posse theologice tractari. — Sed urgebit aliquis, illa fundamenta fidei ex ipsa fide citra circulum viotiosum demonstrari non posse et proinde theologiam fundamentalem mere philosophice esse tractandam atque abstinendum esse ab argumentis theologicis.

3. Ad solvendam hanc obiectionem considerandus est 5.
duplex scopus, quem sibi propositum habet theologia fundamentalis. Primus et praecipuus est, ut fideles in fide instruantur, confirmentur atque apti reddantur ad reddendam rationem fidei suae; alter vero est, ut ipsa revelatio contra incredulos defendatur. Quoad alterum hunc scopum, si agitur de incredulo universali, non possunt sane adhiberi argumenta theologica, quia secus supponeretur quod probandum est; adhiberi igitur debent argumenta mere philosophica; si vero agitur de incredulo partiali, v. g. de haeretico, qui admittit s. Scripturae auctoritatem, recte sane utimur argumentis ex Scriptura haustis ad demonstrandam adversus illum auctoritatem Traditionis et Ecclesiae et proinde iam theologice proceditur.

Si autem primus scopus attingendus est, recte sane theologica ratio procedendi adhibetur, quin ullo modo circulus vitiosus committatur. Aliqua enim cognitio certa

facti revelationis, Ecclesiae etc. ante fidem sane praesupponitur, sed haec cognitio certa praesupposita non est identica cum scientia apologetica sive cum theologia fundamentali; quia illam cognitionem necessario omnes habent, qui credunt; manifesto autem non omnes habent scientiam apologeticam; cognitio illa praerequisita se habet ad scientiam apologeticam simili modo, sicuti simplex fides in dogmata revelata v. g. Trinitatis et Incarnationis se habet ad intellectum fidei, quem de iisdem dogmatibus theologus eximie excultus habere potest. Nunc autem si illam cognitionem certam ante fidem praesuppositam scientifice, methodice excolimus, argumentis et rationibus diversis etiam theologicis confirmamus, exoritur theologia apologetica vel theologia fundamentalis. Haec igitur subsequitur fidem, non vero ipsam necessario praecedit; haec cum ita sint et cum ulterius ipsa fides in ecclesiam nos edoceat non tantum de contentis in revelatione, sed de ipsa revelatione, de fontibus eius, de missione sua divina, profecto in scientia apologetica ex hac ipsa fide proficisci et argumentari possumus et tunc sane theologice proceditur. Et certe hac ratione novae quoque veritates inveniri et scientia apologetica augeri et extendi potest. Simili ratione etiam in aliis tractatibus theologicis ut v. g. de Deo uno proceditur.

6. 4. Haec ratio procedendi similis est praeterea methodo adhibitae in ea parte philosophiae, quae Critica vel Noëtica dicitur Ibi enim veracitate rationis supposita per rationem in rationem atque fontes eius cognitionis inquiritur atque fundamenta cognitionis humanae contra Scepticos defenduntur; simili igitur modo in apologia, si theologice tractatur, veritate fidei supposita in fidem eiusque fundamenta ex fide inquiritur atque eadem contra incredulos defenduntur.

5. Alia quoque ratione patet, theologiam fundamentalem et ipsam apologiam posse theologice tractari. Nimirum, ut iam supra dictum est, ad proprium munus theologiae spectat demonstrare, declarare, defendere concordiam inter fidem et rationem. — Si igitur demonstretur, eadem

a ratione et a revelatione doceri v. g. de criteriis revelationis, de necessitate religionis etc., tractatio erit sane theologica; sicuti cum in tractatu de Deo uno plura et ex revelatione et ex ratione demonstrantur.

6. Et sane penitus abstinere a fontibus revelationis in ipsa apologia non licet, nisi velis incidere in manifestum periculum erroris; ecclesiae enim vel religio christiana eo modo ut vera demonstranda est, quem ipsa docet; et proinde apologetae, qui putant sibi liberum esse admittere vel respuere argumenta quaedam semper adhibita, v. g. ex miraculis et prophetiis, non tantum philosophice sed etiam theologice graviter errant. Quare in sequenti tractatione non solum argumenta rationis producentur, sed theologica quoque argumenta multipliciter saltem innuentur. 7.

Scholion.

Notitia brevis de historia theologiae. — Opportune in hac praevia vel introductoria quaestione de historia quoque theologiae ageretur. Ne autem nimis haec tractatio excrescat, aliquos auctores referre sufficit, qui hac de re egerunt. Prae aliis igitur conferri possunt: *Werner*, Geschichte der kath. Theologie; *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit 4. Bd.: *Hurter*, Nomenclator, qui fuse de theologiae historia tractarunt; atque *Scheeben, Pesch* aliique, qui in introductione ad opera dogmatica brevius et compendiose eandem exhibuerunt. 8.

Quaestio secunda.

De religione in genere.

Articulus primus.

De notione religionis.

Thesis 9. **Vox religionis varia ratione accipitur; pro scopo vero praesentis tractatus religio apte definitur: complexus eorum omnium, quae rectum hominis ad Deum ordinem constituunt.**

Declaratio.

1. *Materia atque divisio huius quaestionis.* — Priusquam de religione vera et revelata inquiratur, de religione in genere explicanda sunt nonnulla, quae ut fundamentum doctrinae de religione revelata necessario praerequiruntur Neque tamen hic integra religionis philosophia tradenda est sed potissima solum eius capita quinque articulis comprehenduntur:

Articulus primus: de notione religionis.
Articulus secundus: de necessitate religionis.
Articulus tertius: de ambitu religionis.
Articulus quartus: de divisione religionis.
Articulus quintus: de unitate religionis.
Litteraturam vide apud *Hettinger*[3], o. c. p. 68 ss.

Demonstratio.

Praesens thesis, qua primus articulus explicatur, plura continet, quae secundum ordinem distinctis assertionibus explicanda sunt. Itaque sit

Assertio prima: **Religio imprimis generali significatione hominis ad Deum ordinem dicit.**

2. Probatur duplici praesertim ratione.

1. E vocis derivatione. — Si vocis derivatio spectetur, aliter quidem haec ab aliis explicatur ita tamen, ut semper

aliquod inter Deum et hominem vinculum denotari intelligatur. Et *Lactantius* primo ipsam a religando derivat cum scribit: „Hac ratione gignimur, ut generati nos Deo iusta et debita obsequia praebeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati simus; unde et ipsa religio nomen accepit.“ (Instit. divin. IV, 28.) — Atque *Augustinus* in opere quidem de vera religione c. 55. n. 111. consentit dicens: „Ad unum Deum tendentes et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus.“ In alio autem opere, (De civit. Dei X, 3. n. 2.) ab eligendo vel religendo Deo vocem deducit: „Ipse, inquit, fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus.“ A relegendo *Cicero* derivat, et sensum ita explicat: „Qui omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi a relegendo“ (De natura Deorum II 28). *S. Hieronymus* iterum a religando religionem esse dictam affirmat, non quidem, quia homines liget Deo, sed quia eosdem liget cum invicem et in „fascem Domini“ vinciat. (In Amos IX, 6.) Ex his diversis explicationibus ethymologiae vocis ea praefertur a *Max Müller*, celebri de historia religionum auctore, quae a Cicerone statuitur, quia ex hac tantum explicatione eluceat, quod vox religionis semper et ubique reverentiam erga divinitatem denotaverit. Verum quidquid est de hac quaestione, omnium sententias colligit et ita in hac re merito statuit *S. Thomas:* „Sive religio dicatur a frequenti relectione, sive ex iterata electione eius, quod negligenter amissum est, sive dicatur a religatione, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus“ (S. th. 2. 2. q. 81. a. 1).

3. *2. Ex usu vocis communi.* — Quod ex vocis derivatione constat, sc. religionem esse aliquod vinculum inter Deum et hominem, quod est ordo vel relatio hominis ad ad Deum; idem usus quoque tum christianorum, tum gentilium confirmat; ita enim v. g. iam *Cicero* definit: „Religio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam caeremoniamque affert" (De invent. II, 53). *S. Augustinus* vero postquam declaravit unum Deum esse colendum, ita concludit: „Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo" (De vera relig. c. 55).

Assertio secunda: Ordo ille, quem religio dicit, ex parte hominis potissimum cultu vel honore exhibito constituitur, quo Deus ut primum principium atque ultimus finis agnoscitur.

4. Cum duplex hominis ad Deum sit relatio; ontologica, qua a Deo ut a principio et fine pendeat secundum esse suum totum, et moralis, qua illa ontologica dependentia et theoretice et practice agnoscatur atque Deus ut principium et finis colatur; ulterius quaeritur, quaenam ex his relationibus sit religio. Respondendum autem est multiplici manifesta ratione, religionem contineri in illa relatione morali, in cultu sc. Deo exhibito, cuius tamen ontologica illa relatio fundamentum sit et ratio. Hoc enim constat:

1. E communi gentilium et christianorum sententia. — *Ciceronem* iam audivimus dicentem, „religionem superioris cuiusdam naturae curam caeremoniamque afferre." *S. Augustinus* vero „Religio, inquit, est modus Deum cognoscendi et colendi" (De utilit. cred. XII, 27). Atque universim, si quis quaerit de gentis cuiusdam religione, intelligi vult et intelligitur quaerere, quodnam numen colat vel quomodo ipsum colat.

5. *2. Ex conceptu ordinis hominis ad Deum, quem conceptus religionis generalis dicit.* — Etenim homo, cum sit rationalis et liber, in recto ad Deum ordine constitutus non est, nisi infinitam Dei excellentiam atque suam ab ipso tamquam a primo principio et ultimo fine dependentiam agnoscat et in suis actionibus exprimat.

3. Ex eo, quod homo rationalis solus exclusis creaturis irrationalibus subiectum religionis est. — Si nimirum in illa relatione ontologica non autem in hac morali religio esset, etiam canes et feles religionem possent habere, quod tamen sensui naturali et communi persuasioni hominum manifestissime repugnat.

Assertio tertia: Religio, prout dicit cultum Dei debitum, duplici iterum significatione sumitur, una, qua est virtus moralis specialis, altera, qua omne virtutis officium dicit, quo homo ad Deum ordinatur.

6. Deus duplici modo ab hominibus coli potest: primo per actus peculiares, qui immediate ad honorem Dei referuntur et quibus divinae excellentiae reverentia et submissio exhibetur, atque deinde per vitam honestam in genere, qua praecepta Dei et ordo ab ipso statutus servantur atque hac ratione ipsi servitium praestatur. Inde etiam vox religio duplici sensu sumitur; semel ut virtus aliqua prorsus specialis, quae est moralis, et annexa iustitiae; et deinde sumitur ut complexus omnium virtutum vel actuum, quibus homo se totum Deo subiicit, atque eius excellentiam, suam autem dependentiam theoretice et practice agnoscit. Manifestum est, religionem priore sensu intellectam contineri tamquam partem a religione secundo sensu intellectam. Iamvero non solum in priore speciali significatione sed etiam in posteriore speciali maxime legitime adhiberi vocem religionis constat:

7. *1. Ex Scripturae usu.* — Huc pertinet v. g. Act. 10, 2, ubi Cornelius centurio vocatur *„religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi et deprecans Deum semper“* Idem sensus elucet in Iac. 1, 26. 27: *„Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.“*

8. *2. Ex Scriptoribus ecclesiasticis.* — Audiatur v. g. *S. Bonaventura*, ex cuius sententia religio vel „cultus Dei

potest accipi tripliciter: generaliter, proprie, et magis proprie. Uno (primo) modo dicitur cultus actus directus in Deum sub ratione finis, et sic est omnis virtutis. Alio (secundo) modo dicitur cultus Dei actus directus in Deum non solum ratione finis sed etiam obiecti, et sic est virtutum theologicarum. Tertio modo cultus Dei dicitur magis proprie actus directus in Deum non solum sub ratione finis et obiecti, sed etiam sub ratione honorabilis, et talis actus est actus adorationis et sic est virtutis specialis." (Sent. 3. d. 9. a 2. q. 2).

9. *3. Ex fundamento huius usus.* — Cum sc. religionis universim sit hominum recte ad Deum ordinare, non solum illa virtus, quae directe et immediate circa divinam excellentiam versatur, illo nomine condecoranda est, sed aliarum omnium complexus quoque eodem nomine insigniri debet, quia omnes etiam aliae virtutes, etsi non immediate et directe sicuti virtus specialis religionis circa divinam excellentiam versentur, in hac tamen ultimo tamquam in motivo innituntur eamque quadantenus attingunt.

Assertio quarta: Religio prout sensu generaliori omne virtutis officium dicit, quo homo ad Deum ordinatur, denno duplici modo, i. e. subiective et obiective accipitur.

10. In praesenti tractatu vocem religionis non de illa speciali virtute, sed in altera latiori significatione potissimum sumimus. Subiective autem sumitur prouti per actus et habitus, quibus exercetur, consideratur inesse in homine tamquam in subiecto; obiective accepta est norma et principium illorum actuum, doctrina igitur theoretica et practica de Deo, et si est supernaturalis, simul cum mediis, quibus salus obinetur. Hunc sensum esse valde usitatum, patet

1. Ex usu loquendi. — Etenim solemus loqui de religione christiana, iudaica, etc. Idem sensus latet etiam sicuti, in aliis apud Patres sententiis, ita in hac *S. Augustini* sententia ex opere de civit. Dei X c. 32. n. 1. 2.: „Haec est religio, quae universalem continet viam animae libe-

randae, quoniam nulla nisi haec liberare potest. Haec est enim quodammodo regalis via, quae una ducit ad regnum ... Haec est animae liberandae universalis via i. e. universis gentibus divina miseratione concessa". *Vincentio vero Lirinensi* teste (comm. c. 6 n. 16) Stephanus papa „intelligebat nos religionem non qua vellemus ducere, sed potius quo illa duceret, sequi debere."

2. Ex natura rei. — Et profecto necessarium est, ut 11.
religio ita obiective etiam accipiatur; nam religio subiective spectata non potest esse arbitraria; non quibuslibet actibus pro lubitu Deus recte coli potest; ergo iuxta certam regulam sive normam illi actus ordinandi sunt; haec autem regula nihil aliud est, nisi veritatum et officiorum complexus, qui ante hominis operationem subsistunt, vel religio obiectiva.

3. Ex discrimine inter veram et falsam religionem. — Religio enim vera vel falsa esse intelligitur, prout vero Deo legitimum cultum defert, vel falso Deo cultum defert, sive verum Deum cultu non legitimo colit. Ergo existit religio obiectiva, sive complexus veritatum et officiorum, a quo religio subiectiva devians falsa dicitur, cum quo concordans vera appellatur.

Assertio quinta: Denique notari debet peculiaris acceptio vocis religionis, illa, qua per eam designatur status illorum, qui intra societatem christianam modo singulari Deo se adstringunt.

De hac re *S. Thomas* 2. 2. q. 81. a. 1. ad 5. ita ha- 12.
bet: „Quamvis enim religiosi dici possint omnes, qui Deum colunt, specialiter tamen religiosi dicuntur, qui totam vitam suam divino cultui dedicant, a mundanis negotiis se abstrahentes: sicut enim contemplativi dicuntur non omnes, qui contemplantur, sed qui contemplationi totam vitam suam dedicant."

Ratio igitur huius acceptionis manifesta est; si enim vinculum morale in genere, quo homo cum Deo connectitur, religio universe vocatur; vinculum huiusmodi speciale sensu speciali religio merito appellatur.

Et ita quidem quantum satis est, explicata est notio religionis; notatum supra est, religionem hic sumi potissimum in sensu magis generali, quo non virtutem illam specialem, sed totum ordinem hominis ad Deum designet; notetur insuper hic ulterius eandem accipi in praesenti tractatione tum subiective tum obiective pro diversa materia, potissimum autem obiective.

Corollarium.

13. *Falsae et perversae religionis acceptiones reiiciuntur.* — Ex dictis facile est iudicium ferre de notionibus, quae a statuta recedunt eique adversantur. Ex innumeris fere, quas moderni rationalistae atque increduli proposuerunt, nonnullas referre sufficit. Itaque

1. Notio religionis falso a Kant eiusque asseclis in sola moralitate reponitur, exclusis veritatibus, quae sive tenendae sive revelatione supposita credendae sint. — Etenim actus potissimi religionis: adorationis et reverentiae erga Deum exerceri non possunt, nisi de existentia Dei et quadantenus de essentia quoque eiusdem constet. — Praeterea bonis moribus sane Deus colitur, si quidem boni mores ad Dei cultum aliqua ratione diriguntur. Ad hunc autem finem dirigi non possunt, imo boni mores subsistere non possunt, nisi plures veritates certo assensu teneantur. — Denique in hoc ordine supernaturalis revelationis, qui theoreticam religionem respuunt, primum religionis officium transgrediuntur Deo loquenti fidem denegantes. Certum igitur est religionem positivam vel religionis essentiam multiplicem doctrinam religiosam supponere et includere.

14. *2. Perverse quoque religio a Fichte aliisque ex opposito in sola cognitione speculativa summarum veritatum reponitur.* — Religio enim non in eo solum est, quod praecipuos religionis actus praecedit. Praeterea religio non solum cognitionem hominis, sed hominem totum atque praesertim eius liberam voluntatem ad Deum principium primum et finem ultimum recte ordinat. Absurde igitur in sola cognitione reponitur.

3. Absurda eorum quoque est sententia, qui religionem 15.
in solo sensu quodam vago et indeterminato pietatis atque dependentiae a Deo reponunt. — Nam religiosi animi sensus cognitionem veritatum religiosarum supponunt et includunt neque sunt per se vagi et indeterminati, cum veritates, a quibus excitantur, clarae sint atque determinatae. Praeterea tales sensus ad religionem non sufficiunt, quippe quae omnia complectitur, quae hominem ad Deum recte ordinant atque cultum divinum constituunt; sensa autem illa talis quoque homo fovere potest, qui illam intellectus et voluntatis submissionem, quam cultus Dei sive religio includit, omnino recusat. Denique qui sensum illum religiosum tamquam tertiam spiritualem potentiam ab intellectu et voluntate distinguunt, insuper philosophicam absurditatem statuunt.

Articulus secundus.

De necessitate religionis.

Thesis 10. **Naturali rationis lumine evidens est incumbere homini moralem atque absolutam necessitatem religionem exercendi.**

Declaratio.

1. Adversarii refutandi. — Ad necessitatem religionis 1.
defendendam, quae iam adstruenda est, in praesenti thesi imprimis et directe agitur contra Indifferentistas absolutos, qui religionem ut rem indifferentem atque superfluam negligunt et spernunt. His adnumerantur, qui absolutam rationis autonomiam, absolutam conscientiae libertatem, absolutam hominis independentiam stulte praedicant. Deinde agitur etiam contra Atheos, Pantheistas, Materialistas, qui cum omnes Deum a mundo et homine distinctum et partim animae quoque spiritualitatem atque libertatem negent, ipsa fundamenta religionis cuiusvis e medio tollunt. Denique Eudaimonistae quoque et Machiavelistae refutantur, qui cum religionem nonnisi ad hominis felicitatem sive socie-

tatis securitatem postulent, veram religionis necessitatem pervertunt et falsam adstruunt.

2. Quaenam necessitas adstruenda. — Contra adversarios relatos demonstratur religionis necessitas non physica sed moralis, obligatio sc., quae homini incumbit religionem exercere; deinde probatur hanc necessitatem esse absolutam i. e. non dependentem a quibusvis adiunctis, quae ab hoc officio dispensare forte possent; illam enim obligationem ex ipsa essentia hominis exsurgere manifesto ostenditur. Existentia Dei vero in demonstratione supponitur, quia tum in philosophia tum in tractatu de Deo uno demonstrari solet.

Demonstratio.

2. *1. Probatur ex eo, quod Deus est principium hominis.* — Etenim homo totus quantus est, a Deo plane et essentialiter dependet; a Deo per creationem in existentiam positus est, ab ipso continuo in existentia conservatur, ab ipso concurrente in omnibus actionibus suis adiuvatur; est igitur Deus eminenti modo dominus sive superior hominis, est eminenti ratione eius benefactor sc. omnium bonorum largitor, denique sensu eminenti hominum rex atque pater est. Iamvero rectus ordo sive sana ratio profecto postulant, ut ab inferiore superiori, a servo domino, a paupere benefactori, a filio patri, a subdito regi obsequium, amor, gratitudo, reverentia exhibeantur. Ergo eminenti modo necessarium est, ut homo illa versus Deum praestet. Haec autem praestando secundum supra dicta homo religionem exercet et proinde eminenti modo homini officium incumbit religionem exercere.

3. *2. Ex eo, quod Deus est finis hominis.* — a) Deus est finis hominis; hoc patet imprimis a priore ex ipsa videlicet perfectione divina. Qui enim rationabiliter agit, propter aliquem finem necessario agit; ergo Deus, qui est infinite sapiens creando mundum et hominem necessario aliquem finem intendit; hic autem finis non potest esse distinctus a Deo, quia secus Deus se rei a se distinctae subordinaret;

quod impossibile est; ergo Deus semetipsum constituit finem totius creationis et proinde etiam hominis; cum autem ex creatione non accrescat Deo bonum aliquod internum, bonum externum, sc. gloriam suam externam vel manifestationem bonitatis suae intendit.

Homo autem gloriam Dei externam modo suae naturae consentaneo praestare debet; cum igitur ex natura sua imago Dei sit, ipsam vitam etiam divinam, quae est gloria interna, in quantum potest, in se exprimere debet: i. e. prouti Deus se ipsum, ita homo Deum debet cognoscere, agnoscere, laudare, amare, summae bonitati suam voluntatem conformare. In his autem actibus, ut ex dictis patet, religio consistit; ergo homo necessario religionem exercere debet.

b) Deum esse finem ultimum hominis constat etiam 4. argumento a posteriori. Homo sc., ut unicuique ex propria experientia interna notum est, desiderium beatitudinis habet; quod desiderium est essentiale, fundamentale seu radicale, supremum, insuperabile; inest enim omnibus hominibus, cognitionem naturaliter consequitur; beatitudo eadem ut naturae humanae consentanea ita appetitur, ut nulla circa eandem restet saltem libertas specificationis. Quare homo per ipsum auctorem naturae in beatitudinem ordinatus est atque ad ipsam tendere debet; beatitudo autem, cum sit possessio omnis boni, nullo modo continetur in bonis finitis, sed tantum in bono infinito invenitur, quod est Deus; et proinde homo in Deum ut obiectum suae beatitudinis tendere necessario debet; atqui in Deum sane non tendet, nisi cognoscat et agnoscat ipsum, nisi media sciat, quae ad illum ducunt, et actiones suas huic cognitioni accommodet; debet igitur Deum laudare, revereri, ipsi servire ordinem moralem observando: secus enim peccat atque a Deo fine suo ultimo se avertit; debet ergo religionem exercere; ergo iterum ad religionem exercendam homo prorsus obligatus est.

Ex hoc argumento manifeste consequitur incredulos, 5. qui hominem religione spoliare intendunt, ipsius hominis

perfectioni et felicitati adversari: perfectioni, quia hanc non consequitur, nisi consequatur bonum suum: summum autem hominis bonum est assecutio finis ultimi. Ad rem *S. Thomas:* „Illud ad quod aliquid tendit, cum extra ipsum fuerit, et in quo quiescit, cum ipsum habuerit, est finis eius. Unumquodque autem, si perfectione propria careat, in ipsam movetur, quantum in se est, si vero eam habeat in ipsa quiescit. Finis igitur uniuscuiusque rei est eius perfectio. Perfectio autem cuiuslibet est bonum ipsius. Unumquodque igitur ordinatur in bonum sicut in finem." (c. g. l. 3. c. 16.) Adversantur etiam hominis felicitati; nam sine religione homo Deum, obiectum beatitudinis suae, ut ostensum est, consequi non potest.

6. *3. E Dei excellentia in se spectata.* — Necessarium illud est, sine quo rectus ordo non subsistit. Iamvero is profecto non subsisteret, si homo infinitam Dei excellentiam sive omnium perfectionum pelagum non agnosceret, non praedicaret, se ipsi non submitteret, i. e. si Deum non coleret. Rectus enim ordo exigit, ut omnia suo loco subsistant, ut igitur res imperfectiores perfectioribus, inanimatae animatis, creaturae irrationales rationalibus subiiciantur atque ita harum praestantiam agnoscant quasi et fateantur. A fortiori igitur homo Deum colere eique se subicere debet. Cum autem omne ens secundum naturam suam agere debeat, homo id libere praestare debet. Si autem libere Deum colit, religionem exercet; ergo.

7. *4. Ex notione Dei legislatoris.* — Notetur imprimis hoc argumentum antecedentia confirmare et absolvere atque ostendere necessitatem illam, quae iam probata est, veram esse obligationem. Argumentum ita habet: Deus, naturae humanae creator et providus rector, cum sit sapientissimus et sanctissimus, necessario ea vult et homini libero praecipit, quae ab ipso homine fieri eius essentia, imo essentia divina exigit, videlicet bonum morale; atque necessario ea vetat, quae essentiae hominis et insuper essentiae divinae repugnant, quod est malum morale; atqui ut ostensum est, essentia hominis et essentia Dei vel es-

sentiales illae hominis relationes ad Deum ut principium et finem et pelagum perfectionis necessario ab homine exigunt, ut Deum colat sive religionem exerceat. Ergo Deus necessario homini praecipit, ut religionem exerceat; veram igitur obligationem moralem imponit. Neque enim illi praecepto sanctio sua deest, quia cum comminatione poenae aeternae saltem damni latum est.

Etenim gloria Dei externa est finis hominis absoluta necessitate aliquando consequendus; hanc si homo non consequitur eo quod Deum colit et sic in ipso beatitudinem suam assequitur et hac ratione bonitatem Dei manifestat, nihil restat, nisi ut gloriam illam procurare debeat excidendo a beatitudine, poenas luendo et hac ratione iustitiam divinam manifestando. Vera igitur et proprie dicta existit obligatio moralis religionem exercendi. Obligatio enim moralis nihil aliud est, nisi necessitas moralis a voluntate superioris imposita et per sanctionem munita.

5. Ex populorum consensu, qui est naturae humanae interpres. — Communis populorum consensus fuit Deum necessario ab omnibus coli debere; atqui hoc iudicium certum veritatis argumentum est; ergo. Ut hoc argumentum sibi constet, tum maior tum minor eiusdem probandae sunt. Itaque 8.

Primo probatur maior. — a) ex historia numinum. Nam quod historia de gentium diis refert, id totum fere hausit ex cultu iisdem collato, v. g. Iovem aut Mercurium deos habitos fuisse apud Romanos ex hoc innotuit, quod coli conspiciebantur. Imo ipsa deorum nomina non raro cum cultu iisdem exhibito cohaerere inveniuntur.

b) e monumentis, quae cultum indicant. Sane apud populos omnes templa deprehenduntur, altaria, sacrificia, sacerdotes, quae omnia profecto cultum religiosum alicui numini exhibitum esse clamant; omnes porro ad hunc cultum exhibendum obligati esse credebantur; quare qui a cultu deorum abstinebant, athei vituperii causa vocabantur; ipsi Christiani a gentilibus hac de causa athei vocati sunt, quia ab illorum perverso cultu abstinebant.

9 c) ex legislatorum et philosophorum sententia. Hi enim omnes necessitatem cultus divini sive religionis fatentur. Neque sua tantum, sed populorum sensa utique explicabant, quia constat legislatores vulgi sensum esse secutos, populos vero passim cultus fuisse tenaciores, quam philosophos. Plura hic atque innumera fere testimonia afferri possent, sed propter evidentiam rei duo referre sufficit. Primum est notissimum *Plutarchi* dictum adv Coleten c. 31.: „Etsi terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes vel non utentes, gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem templis diisque carentem, quae precibus, iureiurando, orando, non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit nec videbit. Sed facilius condi urbem sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata civitatem coire aut constare." Alterum est *Ciceronis:* „Sua cuique civitati religio est. Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quae hoc praecipiat, careat." (Orat. pro Flacco.)

Atque haec ad maiorem probandam abunde sufficiunt, quippe quae iam non negari soleat, cum ex nova disciplina: historia religionum, nimis manifesto constet. Negatur autem minor argumenti facti. verum frustra; etenim.

10. *Secundo probatur minor manifeste,* quia illa persuasio hominum communis in ipsa natura humana atque in rei veritate fundatur. Etenim

a) non procedit a causa fortuita; quia causae speciales et fortuitae opiniones praeiudicatas excitare possunt in aliquibus hominibus vel hominum societatibus; iudicium autem, de quo agitur, universale est et proinde causam requirit, quae communis est et apud omnes gentes et omnes homines invenitur.

b) Neque e sola traditione explicatur; etsi enim concedatur nonnullas opiniones religiosas ex revelatione primaeva ad omnes gentes manare potuisse, hoc ipsum tamen fieri non potuisset, nisi illa iudicia rationi naturali plane conformia essent et natura ipsa ad ea inclinaret. Ceterum

si concedatur ex primitiva revelatione illam persuasionem promanasse, eo ipso vera esse convincitur.

c) Neque ex natura vitiosa eadem persuasio oriri potuit: neque enim cultus Dei vitiosi quidquam continet, neque igitur naturae vitiosae vel sensibili blanditur, ut de iis dicendum est, quae ex natura vitiosa oriuntur. Saepe quidem cultui Dei vel religioni vitia sunt admixta; at vero haec vitia, quae modum colendi vel religionem exercendi afficiunt, ab ipso studio religionis distinguenda sunt; hoc enim est constans et commune et proinde in natura rationali communi fundatur, illa autem diversa sunt et variantur atque ex perversa hominum voluntate sive foetidis erroribus originem ducunt.

d) Neque ex timore religio processit. Timor enim po- 11.
tius ex religione procedit eamque proinde supponit, quia in agnitione numinis providi et iusti fundatur. Deinde homines non solum Deum vindicem mali et timendum, sed etiam benignum et benefactorem coluerunt, quod vel sola appellatio *Dei Optimi Maximi* demonstrat.

e) Neque ex ignorantia provenit. Gentes enim potius, quo rudiores sunt et ignorantia magis oppressae, eo minus religionem colunt, atque eo magis eam pervertunt; quo vero cultior est humana ratio, eo magis necessitatem religionis perspicit.

f) Neque sola educatio fundamentum est religionis; nam religio communis est et universalis, educatio autem diversa et varia secundum diversa loca, diversas gentes et ita porro. Ergo illa in hac sola fundari non potest.

g) Denique neque a legislatoribus inventa est religio; legislatores enim religionem supposuerunt eaque usi sunt ad homines formandos et gubernandos, uti autem ea non potuissent, nisi in animis hominum insedisset et vixisset; praeterea apud gentes rudes quoque et incultas, apud quas sapientes legislatores non exstabant, religio quamvis rudis et ineculta invenitur; et tandem abiectis legibus non abicitur religio.

Itaque nihil restat, quam ut in ipsa natura rationali 12.
religio fundari dicatur; atque hoc vel ipsi increduli conce-

dunt, cum fatentur ad religionem homines ita inclinari, ut eidem inhaerentes fanatici facile evadant, quare eam abolendam esse delirant. Ad rem sapientius multo loquitur *Cicero* de nat. deor. l. 2. c. 2.: „Non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse . . . opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. Itaque et in nostro populo et in ceteris deorum cultus, religionumque sanctitates existunt in dies maiores atque meliores." Persuasio autem, quae in ipsa natura rationali fundatur, necessario vera est, quia secus ipse auctor naturae mendacii arguendus esset; ergo. cf. Wilmers l. c. n. 35 ss.

13. 6. *Theologice.* — Demonstratio theologica thesis in tota theologia morali continetur, quippe quae hominis erga Deum officia ex revelatione demonstrat et explicat. Deinde theologia dogmatica specialis atque ipsa revelatio fundamenta argumentorum suppeditat, quae modo ex sola ratione ducta sunt. Notandum autem est obiter contra Traditionalistas, ex revelatione non tantum obligationem constare religionem exercendi, sed etiam hanc obligationem ex sola ratione cognosci posse. Videlicet Apostol. Rom. 1, 21. obligationem Deum colendi eiusque legem observandi expresse ad gentes extendit. Ostendit enim gentes naturaliter Deum eiusque virtutem et divinitatem cognoscere et dein subdit: *„ita ut sint inexusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum."* Simili ratione Sapiens omnes vituperat, qui ex pulchritudine mundi non cognoverunt nec agnoverunt Deum atque concludit: *„Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas eius"* (14, 9).

Corollarium.

14. *Falsa doctrina Rationalistarum de rationis autonomia in specie reiicitur.* — Ex facta demonstratione evidens est

falsam atque absurdam eam esse Rationalistarum doctrinam, secundum quam non Deus, sed humana ratio sola fons est atque norma veri et falsi, boni et mali, obligationis moralis et religionis. Haec autem doctrina aliunde quoque falsitatis convincitur; etenim

1. Ratio humana obiectum suum non producit, sed cognoscit; quare ut recta sit ac vera eius cognitio, obiecto conformatur et proinde idem supponit. Ergo humana ratio, cum moralem obligationem atque religionem cognoscat, eandem non producit, verum potius supponit.

2. Obligatio veri nominis nulla oritur nisi procedendo a superiore in inferiorem; atqui humana ratio ipso homine non est superior; ergo per solam rationem in homine vera obligatio non oritur.

3. Ratio humana obligationem imponeret aut libere aut necessario. Atqui non imponit eam libere; sic enim discrimen internum essentiale inter bonum et malum destrueretur, quia iam nulla esset actio intrinsecus bona aut mala, quod communi persuasioni repugnat. Neque ratio obligationem imponere necessario, dici potest, quia sic iam ipsa ante suum imperium ligaretur neque igitur supremus fons esset moralis obligationis.

Neque excipi potest, rationem ligari ipso obiectivo rerum ordine. Etenim primo ipse hic ordo Dei existentia sublata necessario fundamento caret; praeterea praeter Deum nemo est, qui obliget ad conformandas operationes nostras rerum ordini obiectivo et essentiali; denique obligationum, quae ex obiectivo rerum ordine procedunt, praecipuae sunt officia erga Deum; si ergo haec negligantur et spernantur, ut faciunt adversarii contra quos nunc agitur, neque ulla alia obligatio salva subsistet et proinde totus ordo moralis corruet.

4. Tandem per illum ordinem sive per rationem nullo 15.
modo explicatur necessitas absoluta obligationum moralium. Nam communis est persuasio necessitatem officiorum moralium esse tantam, ut sub nulla conditione, etsi totum mundum lucrer vel omnia quaecunque bona finita, liceat

vel unum mendacium dicere. Debet igitur per peccatum bonum infinitum in discrimen vocari; secus enim voluntas humana, cuius obiectum est bonum, destitueretur motivo sufficienti officia moralia adimplendi. Iamvero bonum infinitum praeter Deum non est; ergo.

5. Denique ipsi gentiles agnoverunt obligationem moralem ultimo ab ipso Deo descendere: „Hanc igitur video, inquit *Cicero*, sapientissimorum fuisse sententiam legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et deterrendum idonea." (l. 2. de legib. c. 4.)

16. Quare *Pius IX.* adversarios contrarium asserentes blaterare non immerito dixit: „Perversorum dogmatum cultores blaterant morum leges divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt nullam divinam existere legem. Insuper infitiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem ac temere affirmant humanam rationem nullo prorsus Dei respectu habito unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eandemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere." Alloc. *Maxima quidem,* die 9. Iunii 1862.)

Articulus tertius.

De ambitu religionis.

Thesis 11. **Religio, cuius necessitas demonstrata est, praeter cultum internum etiam externum, praeter privatum etiam publicum complectitur.**

Declaratio.

1. *Sensus atque scopus thesis explicatur* — Cultus hic nihil aliud intelligitur, quam religionis exercitium. Distin-

guitur cultus internus et externus, privatus et publicus. Internus est, qui actibus internis, externus qui actibus externis (sed veris) exercetur. Cultus privatus ille dicitur, qui ab aliquo homine ut est persona privata, cultus publicus ille, qui a communitate aut communitatis nomine, aut saltem ab individuo ut est societatis membrum exercetur.

Cultum externum reiiciunt vel parvi pendunt, qui religionem in cognitione sola aut in solo pio sensu constituunt, imprimis autem Deistae, Rationalistae, Pantheistae. — Cultum publicum reiiciunt, qui societatem volunt esse atheam et qui religionem inter res privatas amandandam esse dictitant. ut solent hoc tempore socialistae.

I. p. Religio praeter cultum internum etiam externum complectitur

1. *Probatur rationibus iisdem, quibus supra necessitatem* 2.
cultus in genere probavimus. — Videlicet

a) Deus colendus est, quia infinita sua excellentia praestat homine; atqui homine praestat, non tantum ut anima, sed etiam ut corpore constat; ergo ut totus et se totum, ut debet. Deo subiiciat, non tantum animae, sed etiam corporis obsequia exhibere debet.

b) Colendus est Deus, quatenus hominis principium et finis est; atqui non solius animae sed etiam corporis Deus est principium et finis; finis etiam, inquam, corporis est, saltem eatenus, quatenus etiam corpus ad Dei gloriam conditum est; ergo tum anima tum corpore Deus ut principium et finis agnoscendus et colendus est.

c) Huc facit etiam populorum consensus, quippe qui circa cultum externum ut sacrificia, adorationes maxime versatur.

2. *Ex natura hominis.* — Cum enim honor sit in 3
honorante, reddendus est pro honorantis conditione et pro eiusdem natura; ergo quia homo anima et corpore constat, sensibilem quoque Deo cultum exhibere debet. — Praeterea externus corporis habitus reverentiae internae est indicium naturale et effectus; quemadmodum generatim homo sensa vividiora prodere solet externe; ergo cultus

internus externo carere nec potest nec debet. — Tandem externus corporis habitus multum iuvat internam animi compositionem, ut ipsa experientia notum est; ergo convenienter hoc adminiculum ad internam reverentiam fovendam ab homine adhibetur. Praeclare hac de re *S. Thomas*: „Exercentur, inquit, ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deus excitent, sed quibus se ipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus, quae non fiunt quasi Deus his indigeat, qui omnia novit, et cuius voluntas est immutabilis, et affectum mentis et etiam motum corporis non propter se acceptat; sed propter nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio dirigatur in Deum et affectio accendatur; simul etiam per hoc Deum profitemur animae et corporis auctorem, cui et spiritualia et corporalia obsequia exhibemus." (c. g. l. 3. c. 119.)

4. 3. *Ex relatione hominis ad alios.* — Cum infinita sit Dei excellentia, omni modo colendus est. Iamvero imperfectus et minutus esset cultus, quo homo Dei excellentiam agnosceret et praedicaret coram solo Deo non autem coram hominibus. Ergo. Et profecto si bonam opinionem, quam de homine habemus, propalare solemus, hoc ipsum sane Deo non est denegandum vel subtrahendum. Imo; quo magis aliquis persuasum habet Deum esse colendum, eo magis optabit, ut et alii eum colant et suo exemplo eos ad hoc perducere conabitur. Unde ipse Christus Dominus dicit: „*Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrum vestrum, qui in coelis est*" (Matth. 5, 16).

2. p. Religio praeter cultum privatum etiam publicum necessario complectitur.

5. 1. *Probatur applicando iterum rationes supra allatas.* — Etenim etiam societatis Deus est conditor et rector; hominem enim creavit socialem et societatem humanam gubernat legibus, quas singulorum animis impressit; deinde etiam societatis Deus est finis, si non proximus tamen

ultimus. Ergo etiam a societate ut tali Deus est colendus, i. e. necessarius est cultus non tantum externus sed publicus quoque.

2. *Ex relationibus subditorum et principum.* — Oboedientia modo debito a subditis praestari non potest, nisi Deus simul palam honoretur et quidem qua societatis auctor et ultimum fundamentum. Nam oboedientia homini, qui praeest, ideo praestanda est, qua a Deo potestas praecipiendi descendit ut ab ultimo fonte secundum illud Apostoli: „*Non est potestas nisi a Deo*“ (Rom. 13. 1). Pariter qui praesunt, modo debito praecipere non possunt, nisi agnoscant se a Deo potestate donatos esse ac proinde fines et ambitum potestatis sibi commissae non excedant. Iamvero quod agnoscere debent praepositi, ut rite gubernent, et subditi, ut rite oboediant, id etiam modo oboediendi et praecipiendi palam exprimendum est, et de facto exprimitur, cum primum recte praecipitur et oboeditur. Haec autem virtualis saltem attestatio Deum esse auctorem societatis, continet sane cultum quendam publicum. Ergo.

Huc pertinent, quae *S. Augustinus* de regum officiis 6.
disserit: „Aliter servit Deo, quia homo est, aliter, quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam rex est, servit leges iusta praecipientes et contraria prohibentes convenienti rigore sanciendo: sicut servivit Ezechias lucos et templa idolorum et illa excelsa, quae contra praecepta Dei fuerant constructa, destruendo . . . sicut servivit rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo . . . sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo.“ (ep. 185. al. 50. cap. 5. ad Bonifac).

3. *Ex eo, quod cultus publicus necessarius est, ut so-* 7.
cietas salva subsistat. — Absque iustitia nequit societas salva consistere; non enim remanet ad multitudinem continendam nisi mera vis materialis, quae historia teste nunquam diu hunc effectum producit. „Remota iustitia, inquit *Augustinus*, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia

et latrocinia quid sunt nisi parva regna?" (De civ. Dei l. 4. c. 4.); iamvero sublata religione nequit iustitia ullo modo salva consistere; nam iustitia virtus est, qua redditur unicuique ius suum; est autem ius potestas moralis aliquid agendi vel obtinendi inviolabilis, seu vis cuius alii erga nos obligati manent. Infert igitur iustitia vel supponit ius in uno et obligationem in altero. Iamvero sublata religione, sublato Deo, aufertur omne ius et omnis obligatio; Deus enim, ut ex philosophia morali constat, est ultimum et absolute necessarium fundamentum omnis iuris et obligationis. Quod iam perspexit atque sincere fassus est *Cicero:* „Haud scio, inquit, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur." (De nat. deor. l, 2, n. 4.) Ergo sublata religione iustitia aufertur et nihil remanet nisi vis mere materialis, quae certo certius societatem in interitum ducit; iamvero ex alia parte Deus vult, ut subsistat societas civilis et proinde vult, ut media eius conservationis adhibeantur; et proinde religionem praecipit. Ergo religio a Deo societati ut tali praecepta est etiam eatenus, quatenus est necessarium medium subsistentiae eiusdem. — Unde accommodate iterum ad rem *Augustinus* declarat a rege sicut generatim bona iubenda et mala prohibenda, ita religionem, quoque promovendam esse. „In hoc reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, in quantum sunt reges, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quae ad divinam religionem. Frustra dicis: relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis et in stupris et in quibuscunque aliis facinoribus et flagitiis libero arbitrio dimittendum esse proclamas? Quae tamen omnia iustis legibus comprimi utilissimum ac saluberrimum est" (cont. Cresçon. l. 3. c. 57).

8. 4. *Ex consensu populorum.* — Quod argumentum iam supra in praecedenti thesi expositum est. Nemo hanc communem antiquorum persuasionem melius expressit, quam *Cicero,* cuius plura testimonia iam allata sunt. Iuvat autem

hic addere duo, ex quibus patet, quanti merito ab ipso eiusque maioribus pro salute societatis habitus sit actus religionis, qui est iusiurandum: „Nullum vinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores antiquius esse voluerunt. Id indicant leges in XII Tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de iureiurando, iudicabant.“ (De offic. l. 3. c. 31.) „Quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quantae salutis sint foederum religiones? Quam multos divini suplicii timor a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos Diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?“ (de leg. l. 2. c. 7).

Scholia duo.

1. *Utriusque partis demonstratio theologica.* — Utraque 9.
pars manifeste etiam patet ex S. Scriptura, quippe quae innumeris locis praesertim in libro Levitici docet, ad religionem pertinere etiam cultum externum et publicum. Inde etiam *Pius IX.*, validissimus veritatis et iurium ecclesiae defensor, contrariam doctrinam de statu atheo sollemniter ut sacrae Scripturae, Ecclesiae et SS. Patrum doctrinae oppositam proscripsit in encyclica. *Quanta cura* 8. Dec. 1864.: „Probe noscitis, V. Fr., hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque naturalismi, uti vocant, principium applicantes, audent docere: optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, acsi ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine. Atque contra ss. Litterarum, Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam asserere non dubitant, optimam esse conditionem societatis, in qua imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulat.“ (Denz. 1689.)

10. 2. *Obiectiones solvuntur.* — a) Obiiciunt contra cultum externum: Ipse Christus Dominus cultum externum improbare videtur et a religione excludere; dicit enim Ioan. 4, 21: „*Neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem . . . Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate . . . Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in Spiritu et veritate oportet adorare.*“ — *R.* primo: Ipse Christus Dominus cultum externum exercuit; ergo illis verbis noluit abrogare cultum ratum. Etenim elata voce Deo gratias agebat, eumque laudabat atque orabat ac tandem seipsum in cruce Deo Patri obtulit sacrificium visibile et cruentum, necnon incruentum instituit in ss. sacramento. — *R.* secundo cum *Toleto:* (in 2. 2. q. 84 a. 7): „Christum duo ibi docuisse Samaritanam: Unum est, cessaturam illam adorationem, quae fiebat et in Ierusalem et in monte illo; nam illa rogaverat tacite, utra adoratio esset melior. Alterum est, illam adorationem transformandam esse in quandam adorationem spiritualem, cui non repugnat, quod fiat in loco aut in templo et cum caeremoniis exterioribus nostris. Nam adhuc totum hoc spiritualis adoratio est; nostrae enim caeremoniae duplici de causa assumuntur: primo quia effectus sunt abundantiae devotionis internae; secundo ad excitandam devotionem internam; hoc autem non aufert spiritualitatem adorationis. Sicut confessio exterior fidei spiritualis est, licet fiat voce, ita etiam laudare Deum ore, ut fecit Christus: *Confiteor, tibi Pater* etc. In hoc igitur differunt nostrae caeremoniae a caeremoniis Iudaicis, quod Iudaicae assumebantur propter illasmet caeremonias, quatenus erant figurae futurorum mysteriorum; quod voluit dicere Christus Samaritanae.“

11. b) contra cultum publicum obiicitur: Societas civilis ut talis non habet alia officia, quam quae ex fine eius consequuntur; finis autem eius est prosperitas publica; ergo neglectis ceteris omnibus in solam hanc prosperitatem intendere debet. — *R.* primo: cultus Dei etiam requiritur ad prosperitatem publicam; verum etsi non requireretur, tamen, cum ille finis subordinetur fini ultimo totius crea-

turae, non posset procurari neglecto fine ultimo vel cultu divino. —

Articulus quartus.

De divisione religionis.

Thesis 12. Varia religionis divisio merito distingui potest.

Probatur thesis diversas divisiones exponendo. 1.

1. *Religio in veram et falsam dividitur spectata norma sua: divina essentia et voluntate.* — Vera igitur vel falsa est religio, prouti cum essentia et voluntate divina concordat vel non concordat. Itaque

a) religio subiective spectata vera est, si actus cultus et submissionis, in quibus religio dicta est consistere, versantur circa verum Deum et quidem modo, qui ei congruit vel debetur. — Falsa autem est religio eodem modo sumpta, si iidem illi actus non versantur circa verum Deum, vel si versantur quidem circa verum Deum, sed modo, qui non est congruus. Priore ratione falsus est cultus idololatriae, altera ratione iam falsus est iudaismus et revelatione supposita religio mere naturalis.

b) Pari modo, ut de actibus, verum et falsum dicuntur de religione obiectiva i. e. de illo doctrinarum et officiorum complexu, quo religionem obiectivam constitutam esse dictum est. Vera scilicet est, si complexus ille doctrinarum et officiorum et institutorum cum divina essentia et voluntate concordat, si igitur verum Deum respiciunt et quidem eo modo, qui ei congruit vel debetur. Falsa est, si complexus idem cum divina essentia et voluntate non concordat, igitur si vel non respicit verum Deum vel respicit quidem, sed modo qui non est congruus.

Haec divisio reiicitur a modernis indifferentistis. Sic 2.
Max Müller eam similem dicit illi, qua quis linguas divideret in propriam ipsius linguam et alienas, vel qua Graecus linguas divideret in graecam et barbaras. Ita in opere

germanice verso: Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft, p. 112. — *R.* Similitudo in hac comparatione nulla est. Linguae enim constituuntur ex signis conventionalibus et eatenus arbitrariis; sunt instrumenta, quibus homo suas cogitationes alteri aperit et proinde vario quidem modo dividi possunt, sed non in veras et falsas. Religio autem necessario cognitionem involvit Dei colendi et modi, quo coli velit et debeat; omnis autem cognitio ex natura sua aut vera aut falsa est. Proinde hominum voluntati commissum est, hac vel illa ratione cogitationes patefacere, nullo autem modo sibi quemcunque Deum fingere vel verum Deum quocunque modo colere. Quapropter nullo modo synonima sunt: religio propria et aliena, vera et falsa.

3. 2. *Religio spectato fundamento sive vinculo, quo ipsa hominem Deo ligat, in naturalem et positivam dividitur.* — Porro naturalis ea est, quae constituitur illo solo vinculo, quod e creatione necessario sequitur et a voluntate divina necessario imponitur. Naturali religione Deus colitur solum ut auctor naturae et ut finis naturalis. — Non igitur religio naturalis ea est, quae complectitur solum id, quod omnibus religionibus etiam falsis est commune; neque illa quam homo sibi pro arbitrio fingit vel constituit; neque tandem illa, qua homo ut Deum materiam colit.

Positiva autem religio illa est, quae constituitur vinculo, quod libera Dei ordinatione sive actione statutum est, ordinatione igitur sive actione, quae a creatione distincta est et ipsi superadditur. Religio positiva vera includit religionem naturalem et eam supponit, sed ipsi aliquid addit, saltem spectato modo obligandi, sicuti generatim lex positiva aliquid addit legi naturali.

4. 3. *Religio positiva iterum subdividitur ratione finis et mediorum.* — Etenim est positiva aut tantum propter cultum sive officiorum complexum positive determinatum, qui Deo ut naturae auctori debetur, aut propter cultum positive determinatum, qui Deo debetur tamquam auctori gratiae vel bonorum supernaturalium i. e. bonorum, quae a Deo

conferuntur praeter et supra id, quod ordo creationis sive natura continet et exigit. Prior est supernaturalis tantum quoad modum et originem, naturalis vero quoad substantiam; altera vero supernaturalis et tum quoad modum et originem, tum quoad substantiam.

4. *Religio denique supernaturalis quoad substantiam re-* 5.
spectu bonorum et mediorum eius dividitur in supernaturalem late talem vel praeternaturalem et supernaturalem stricte talem. — Praeternaturalis religio est, si complectatur bona, quae humanae quidem naturae, non autem omni creatae vel creabili naturae indebita sunt; ut v. g. sunt impassibilitas, immortalitas, libertas a concupiscentia et alia plura. Stricte vel absolute supernaturalis religio est, quae complectatur bona, quae omnis creatae et creabilis naturae exigentiam excedunt, ut est gratia sanctificans, visio Dei intuitiva, et quae cum istis cohaerent.

Distinctio religionis in naturalem, positivam, supernaturalem est potius rationis vel saltem inadaequate, quam adaequate realis; etenim historice loquendo non est, ut deinceps ostendetur, nisi una vera religio, nempe supernaturalis, quae ob diversitatem veritatum, officiorum, bonorum, quae complectitur, sub alio et alio respectu est naturalis, positiva, supernaturalis. Eadem secundum diversas epochas vel diversos status distinguitur in primaevam, quae Adae et Patriarchis data fuit; iudaicam, quae a Deo per Moysen Iudaeis impertita est, et christianam, quae per Iesum Christum humano generi universo donata est.

Corollaria.

1. *Religio mere naturalis absolute et per se possibilis* 6.
est. — *Absolute* possibilis est i. e. in aliquo ordine divinae providentiae, non in praesenti ordine supernaturalis elevationis, quippe in quo supernaturalis finis attingendus est, qui per meram religionem naturalem attingi nequit. Dicitur praeterea *per se* possibilis i. e. pro hominis natura in se spectata; quare quaestio circa naturam humanam

vitiis depravatam excluditur. — Atque ita intellecta et restricta assertio evidens apparet. Etenim homo naturaliter Deum cognoscere potest; naturaliter etiam sua erga ipsum officia cognoscit; naturalibus quoque suis viribus atque naturalibus Dei auxiliis adiutus illa officia explere potest. Atque ita reipsa homines, ut supra ostensum est, ipsa natura docente et impellente Deo cultum aliquem exhibuerunt. In hisce autem omnibus vera et mera religio naturalis continetur. Ergo religio naturalis possibilis est. Et certe nulla plane necessitas probari potest, ut Deus hominem ad finem destinet, qui eius naturam excedat, nulla necessitas, ut alia officia imponat praeter ea, quae cum ipsa creatione necessario connectuntur, vel ut alias veritates manifestet praeter eas, quae ex ipso mundo creato cognoscuntur, vel ut bona conferat, quae hominis naturae non sunt debita. Omnia enim haec ex ipsa sua natura in liberrima Dei voluntate posita esse conspiciuntur. Imo per talem necessitatem ipse conceptus religionis vel doni naturalis et supernaturalis perverteretur vel potius tolleretur.

7. Frustra obiicitur, ab Apologetis religionem christianam exhiberi tamquam religionem absolutam, praeter quam alia esse non possit. Etenim aliud est, de quo loquuntur Apologetae, quod religio mere naturalis in hoc ordine iam esse non possit, quia Deus supernaturalem instituit; aliud vero, de quo modo agitur, quod absolute vel in quocunque ordine esse nequeat. Deinde in hoc ordine, quem Apologetae prae oculis habent, nullibi religio naturalis pura et sine depravatione extat, praeterquam in religione christiana divinitus revelata, in qua continetur.

8. 2. *Possibilis est religio positiva quoad substantiam naturalis.* — Haec assertio, dummodo termini penetrentur, ex ipsa rei natura evidens est. Etenim cum in religione naturali multa sint indeterminata quoad tempus, locum, modum, adiuncta, nihil sane repugnat, quominus positiva libera Dei voluntate haec omnia accuratius determinentur, instituantur et quibusdam etiam augeantur et compleantur.

Non repugnat hoc ex parte Dei, imo hoc possibile esse manifeste consequitur ex omnibus titulis, propter quos Deus simpliciter sibi cultum vindicare potest et debet. Neque repugnat hoc ex parte hominis, imo maxime conveniens est; quia religio, quae non solum in naturali lege, sed in positiva directa Dei voluntate innititur, nobilior apparet, constantius exercetur, uniformior est, efficacius hominem in suum exercitium pertrahit, maiore praemio eum dignum reddit.

3. *Possibilis est etiam religio positiva et quoad substantiam supernaturalis, quae sc. communicationem bonorum complectitur sive late sive stricte supernaturalium.* — Atque 9.

a) primo facile apparet Deum posse hominem sibi nectere vinculo vel religione praeternaturali i. e. posse ei conferre dona cum relativis officiis, quae humanae quidem naturae exigentiam excedunt, aliis autem naturis naturaliter sunt collata, ut scientiam infusam, impassibilitatem; in hoc enim nulla contradictio est; Deus autem omnia potest, quae contradictionem non involvunt.

Confirmatur per communem populorum consensum, qui omnes religionem a Deo institutam esse crediderunt, quae altiorum bonorum communicatione niteretur, ut traditiones de primitivo aliquo felicitatis statu ostendunt.

b) Possibilis etiam est, vel potius non demonstratur impossibilis religio absolute supernaturalis sive talis, quae fundetur in communicatione bonorum, quae omnis naturae creatae exigentiam excedunt. Quae assertio ex infinita Dei excellentia et dignitate atque ex bonorum illorum indole finita explicanda est. Verum haec explicatio huius loci non est quia sive in alio tractatu theologico sive quoad speciale quoddam donum in alio huius tractatus loco mox exhibenda est.

Articulus quintus.

De unitate religionis.

Thesis 13. Una est religio, quam omnes homines profiteri tenentur, quare absurda est perversa tolerantiae dogmaticae doctrina.

Declaratio.

1. 1. *Error refutandus.* — Indifferentistae relativi, qui ut distinguantur ab indifferentistis absolutis eo nomine vocantur, alicuius religionis necessitatem fatentur quidem; verum diversas religiones aeque bonas et utiles esse atque in qualibet earum hominem obligationi suae satisfacere posse docent. Qui nefastus error inde pervenisse videtur, quod privatam singulorum hominum rationem supremum veritatis vel falsitatis religionis quasi iudicem esse statuerunt; inde enim, quia diversi populi, imo diversi homines circa religionem profitendam dissentiunt, manifeste consequitur, diversis populis imo magnam partem hominibus quoque diversis diversam convenire religionem. Duplex vero distinguitur indifferentismus religiosus, alter universalis, alter particularis. Primus religiones quae in mundo sunt, omnes respicit easque aeque bonas esse affirmat, alter christianae religionis veritate admissa nullum inter ecclesiam catholicam et diversas sectas discrimen essentiale intercedere statuit. Indifferentismus relativus etiam tolerantia dogmatica vocatur. Ab hac vero distinguenda est tolerantia civilis, quae est legum dispositio, qua aequalis libertas vel protectio externo cuiuscunque religionis exercitio conceditur. Tolerantia civilis liberalismus quoque vocatur. Absurdum Indifferentismi relativi vel tolerantiae dogmaticae errorem diserte proscripsit *Pius IX.* in propositione syllabi 18.: „Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem consequi possunt." (Denz.[19] 1718.)

2. 2. *Ratio demonstrationis et divisio thesis.* — In praesenti thesi praetermissis tolerantia civili et indifferentismo

particulari, quippe de quibus alibi tractatur, directe saltem solum agendum est de indifferentismo universali vel tolerantia dogmatica generali. Refutatur vero hic error opponendo ipsi et demonstrando verae religionis unitatem. In qua demonstratione, ut clare procedatur atque accurate, distinguendum est inter religionem naturalem et supernaturalem; non enim de utraque eadem prorsus ratione statuendum est. Quare duplici thesis parte distincta in prima asseritur, unam tantum absolute esse posse religionem veram naturalem; in altera vero parte statuitur, inter religiones reipsa exstantes unam tantum esse veram et supernaturalem.

Demonstratio.

I. p. Una tantum absolute esse potest religio vera naturalis.

1. *Probatur ex eadem omnium hominum naturali ad Deum relatione.* — Religio naturalis, ut dictum est, in essentiali hominum ad Deum relatione ontologica innititur atque ex ipsa necessario resultat, prouti eadem per creationem manifestatur. Atqui una eademque in omnibus hominibus est isthaec naturalis relatio, scilicet a Deo tamquam a primo principio et ultimo fine dependentia; sicuti una est Dei natura, una eademque singulorum hominum natura; ergo religio quoque naturalis necessario una est. Paulo aliter idem fere argumentum ducitur 3.

2. *ex eo, quod idem est veritatum religionis naturalis et officiorum fons.* — Diversitas oriri posset ex eo, quod Deus aliis alias veritates manifestasset et alia officia imposuisset; atqui omnibus hominibus easdem prorsus veritates manifestavit et officia plane eadem pro iisdem adiunctis imposuit; etenim religio naturalis eas tantum veritates complectitur, quae creatione exprimuntur; atque ea tantum officia continet, quae cum creatione necessario connectuntur. Creatione autem obiectiva pro omnibus hominibus eaedem veritates manifestantur ut patet; atque eadem cum creatione pro omnibus hominibus eadem officia

necessario connectuntur, quia officia quae a necessaria Dei voluntate procedunt, eadem sunt pro omnibus hominibus in iisdem adiunctis positis, cum essentiis rerum accommodentur, quae necessariae sunt et immutabiles; ergo nulla potest esse diversitas religionis naturalis.

4. *Excipitur primo,* unitati religionis naturalis obstare videri diversitatem humanorum de diversis religionis naturalis doctrinis vel officiis iudiciorum; hac enim diversitate suaderi potius diversitatem religionum naturalium. — *R.* Distinguendum est inter religionem naturalem obiective spectatam et hominum de ea iudicio. Illa una est atque etiam manifestatio eius obiectiva tantum una habetur; haec autem diversa sunt, quia homines propter falsas apparentias, malas inclinationes, praecipitantiam aliasque rationes saepe falso iudicare ideoque dissentire solent. Accedit, quod nonnulla religionis naturalis officia sunt satis, indeterminata, ut facile circa ea errari possit.

Excipiunt secundo, plura ex eis quae indeterminata sunt in religione naturali ut v. g. cultus sacrificalis tempus, modus diversis temporibus diversimode a diversis auctoritatibus religiosis determinari posse atque eo ipso diversitatem religionis naturalis induci. — *R.* Haec diversitas determinationis indeterminatorum non inducit diversitatem religionum naturalium, quia praecise ea respicit, quae religione naturali determinata non sunt, et proinde accidentaliter ad eandem se habet. Neque tamen per talem determinationem religio naturalis evadit positiva, quia positiva ea tantum dicitur religio, quae immediate ab ipso Deo instituta est.

2. p. Una tantum est religio supernaturalis.

5. Absolute quidem possibile apparet, ut plures essent religiones supernaturales, si quidem officia imposita, bona communicata, media salutis subministrata et maior sive minor ambitus veritatum supernaturalium considerentur; non autem sane plures esse possunt, quae diversas et oppositas doctrinas theoreticas continerent. Reipsa autem

unam tantum esse religionem supernaturalem, quae per revelationem patriarchalem adumbrata, per mosaicam praeparata, per christianam absoluta et completa vel perfecte constituta apparet, non est hoc loco fuse demonstrandum, sed scopus est et conclusio totius theologiae fundamentalis. Hic tantum potius intenditur absurditatem notare doctrinae Indifferentismi, secundum quam omnes religiones sunt aeque verae et homini licet quamlibet profiteri. Adiicitur tamen breve ex Scriptura argumentum, quo satis demonstratur directe quoque unam esse religionem positivam supernaturalem. Itaque

1. *Absurdum est omnes religiones aeque esse veras.* — 6. Etenim in tali hypothesi oppositа vel contradictoria essent vera ut v. g. esse unum Deum et plures, esse tantum religionem naturalem et esse simul religionem supernaturalem. Mahumeta simul esset propheta et deceptor, Messias promissus venisset et non venisset, Christus esset homo-Deus et esset deceptor. Ecclesia catholica esset unica religio salvificans et simul omnes aliae religiones ad salutem sufficerent.

2. ***Absurdum igitur etiam est, hominem quamlibet religionem sequi posse.*** — Homo scilicet Deum colere, ei servire, in eum tendere eo solum modo potest et debet, quo ipse Deus vult vel permittit; Deus autem non potest praescribere, imo ne tolerari quidem, ut colatur cultu falso aut intrinsecus malo, qualem exhibent multae ex religionibus, quae in mundo existunt vel exstiterunt.

3. ***Reipsa una vera tantum ex doctrina Scripturae religio positiva et supernaturalis existit.*** — 7. Quae assertio hoc loco sufficienter hac brevi *Becani* argumentatione demonstratur: „Sane, inquit, in evangelio multa sunt, ex quibus constat, Christum unam fidem (vel religionem) mandasse, variam et multiplicem prohibuisse. Primo voluit unam tantum esse ecclesiam, unum ovile, unum baptismum. Haec autem sine unitate fidei consistere non possunt. Secundo voluit discipulos suos attendere a falsis prophetis; at in multiplici religione necesse est alios esse veros, alios falsos

prophetas. Ergo si hi excludendi sunt, fides una retinenda est; varia explodenda. Tertio voluit ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint; at perpetua esse non potest, si una omnium fides non sit, quod ipse testatur: *„Omne regnum in se ipso divisum desolabitur“* (Luc. 11, 17). Apostolus disertis verbis id confirmat (Rom. 16. 17): *„Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam quam vos didicistis faciunt; et declinate ab illis“* (Gal. 1, 8): *„Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.“*

Scholion.

8. *Indifferentismi censura per magisterium ecclesiae authenticum lata.* — Ex dictis intelligitur, quam merito *Pius P. IX.* hunc putidum indifferentismi errorem notaverit et denuntiaverit. Ita in *ep. enc. Qui pluribus d.* 9. Nov. 1846 datis, postquam varios enumeravit errores, subdit: „Huc spectat horrendum et vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cuiuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cuiusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse cominiscuntur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio iustitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial.“ Et in *ep. enc. Singulari quidem* de d. 17. Mart. 1856 reprobato indifferentismo absoluto pergit: „A qua turpissima sane indifferentismi forma haud admodum distat illud de religionum indifferentia systema e tenebris eruptum, quo homines a veritate alienati, veraeque confessionis adversarii, suaeque salutis immemores, et inter se pugnantia docentes, et nunquam stabilitam sententiam habentes, nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, et pacem passim cum omnibus miscent, omnibusque aeternae vitae portum ex qualibet religione patere contendunt. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent.“

Corollarium.

Assertiones quaedam de religione naturali. — In iis, 9.
quae supra de religione naturali dicta sunt quaedam implicite saltem continentur, quae distincte hic exhibere expedit. Itaque

1. Religio naturalis constans est vel immutabilis. — Etenim immutabilis primo est ille respectus ontologicus hominis ad Deum tamquam suum principium et suum finem, in quo respectu religio fundatur; immutabilis secundo etiam est manifestatio obiectiva eiusdem respectus per creationem; immutabilis denique tertio est lex naturalis, qua constituitur: haec enim necessario vetat, quae a norma moralitatis ultima vel a fine ultimo difformia sunt atque necessario ea praecipit, quae ultimae normae conformia et ad finem assequendum necessaria sunt.

2. Religio naturalis universalis quoque est. Universale enim primo est fundamentum eius, respectus ille ontologicus, ex quo necessario promanat; universalis etiam secundo est manifestatio obiectiva eiusdem per creationem, ut per se saltem et generaliter omnes homines Deum suamque ab ipso dependentiam cognoscere possint; universalis denique tertio est lex moralis, qua religio est constituta, quia omnes homines aequali modo in iisdem adiunctis ligat.

3. Religio naturalis in supernaturali religione necessario 10.
includitur et ab ea supponitur. — Ratio est manifesta, quia religio naturalis per voluntatem Dei necessariam constituitur, religio vero supernaturalis per accedentem voluntatem Dei liberam instituitur; iamvero voluntas Dei libera non tollit voluntatem Dei necessariam, sed eam potius supponit; pari igitur ratione, quae a voluntate Dei libera instituuntur, ea quae voluntate Dei necessaria constituta sunt, non tollunt, sed supponunt. Atque ita certe officia erga Deum naturalia in statu religionis supernaturalis aeque observanda sunt, quam in statu naturae purae vel religionis naturalis. Religio supernaturalis igitur ad religionem naturalem accedit, eam perficit et includit.

Quaestio tertia.

De revelatione in genere.

Articulus primus.

De possibilitate revelationis.

Thesis 14. Revelatio divina proprie dicta et supernaturalis tum immediata tum mediata veritatum, quae religionem naturalem constituunt, certo possibilis est.

Declaratio.

1. *1. Argumentum quaestionis definitur et dividitur.* — Demonstrata necessitate religionis in genere, propius iam accedendum est ad ipsam religionem veram et revelatam demonstrandam. Primo autem de revelatione in genere sive de eiusdem possibilitate atque necessitate inquirendum est. Adversarii enim religionis christianae non solum factum revelationis divinae negant, sed ipsam eius possibilitatem a priori repudiant necnon omnem religionem progressui humanitatis atque alicuius primitivae religionis successivae evolutioni tribuere conantur. Simul quidem infra cum facto revelationis possibilitas sane quoque eiusdem demonstrabitur; verum ut methodice contra adversarios procedatur, distincta ratione prius possibilitas et necessitas revelationis explicandae et probandae sunt. Itaque praesens quaestio duos articulos complectitur:

Articulus primus: de revelationis possibilitate.

Articulus secundus: de revelationis necessitate. Cf. ex operibus supra allatis: *Wilmers*, p. 46—92; *Hettinger*, p. 132 ss.; *Schmid*, p. 125–65; *Schanz* II, p. 409 ss.; *Ottiger* I, p. 33—148 etc.

2. *2. Notio revelationis explicatur.* — Vox revelationis, si ethymologice spectatur, nihil aliud dicit, quam veli remotionem, unde per usum accomodata est ad significandam

manifestationem rei occultae vel occultae veritatis. Divina igitur revelatio generatim sumpta est manifestatio quaedam veritatis a Deo facta. Deus autem duplici modo humanam mentem illustrat vel ei veritatem aliquam manifestat: ut auctor naturae et tamquam auctor gratiae. Quare imprimis duplex revelatio distinguitur: naturalis et supernaturalis. Ad utramque accuratius intelligendam multum confert haec *S. Thomae* expositio: „Cum quaelibet virtus creata sit finita, erit eius efficacia ad determinatos effectus limitata. Unde in aliquos effectus non potest, nisi nova virtus addatur. Sic igitur sunt quaedam intelligibiles veritates, ad quas se extendit efficacia intellectus agentis; sicut principia, quae naturaliter homo cognoscit, et ea quae ab his deducuntur: et ad haec cognoscenda non requiritur nova lux intelligibilis, sed sufficit lumen naturaliter inditum. Quaedam vero sunt, ad quae principia praedicta non se extendunt; sicut ea quae sunt fidei, et rationis facultatem excedentia, ut futura contingentia, et alia huiusmodi; et haec cognoscere mens humana non potest, nisi divinitus novo lumine illustretur superaddito lumini naturali. Quamvis autem non requiratur novi luminis additio ad cognitionem eorum, ad quae naturalis ratio se extendit, requiritur tamen divina operatio. Praeter operationem enim, qua Deus naturas rerum instituit, singulis formas et virtutes proprias tribuens, quibus possent suas operationes exercere, operatur etiam in rebus opera providentiae omnium rerum virtutes ad actus proprios dirigendo et movendo. Ita enim universa creatura divinae gubernationi subiicitur, sicut instrumenta subduntur gubernationi artificis . . . ita omnes virtutes activae creatae operantur secundum quod diriguntur et moventur a Creatore. Sic igitur in omni cognitione veritatis indiget mens humana divina operatione: sed in naturaliter cognitis non indiget nova luce. sed solo motu et directione eius; in aliis autem etiam nova illustratione." (Super Boëth. De Trinitate q. 1. a. 1.)

3. Itaque quatenus Deus primo est auctor naturalis luminis intellectus, quo homo tamquam medio subiectivo co-

gnoscit, et quatenus secundo est auctor creationis, ex qua homo tamquam medio obiectivo cognoscit et quatenus tertio in explicatione huius cognitionis tamquam causa principalis concurrens operatur, habetur revelatio naturalis; quatenus vero non mediate per creationem sive per naturalem luminis rationis explicationem, sed per indebitam adeoque supernaturalem illustrationem directe veritates manifestat, sive per indebitam operationem hominem ad cognitionem determinat vel eidem cognitionem infundit, habetur revelatio supernaturalis. In priori revelatione veritas, quae revelari dicitur, mediate a Deo manifestatur, ut veritas religiosa per mundum creatum prius cognitum, in altera vero veritas revelata immediatum manifestationis obiectum est. Prior est revelatio improprie dicta, altera revelatio proprie dicta recte vocatur. Ratio est, quia haec altera supernaturalis etiam ad veritates naturali lumini impervias ideoque velo quodam quasi tectas se extendit. Etenim revelatio, ut dictum est secundum sensum vocis, remotionem veli significat, quo aliquid tegitur, et ideo maxime et proprie ad veritates supernaturales spectat. Quod vel ab ipso Apostolo innui videtur; cum enim de iis loquitur, quae naturaliter de Deo a philosophis gentilibus cognosci poterant, vocem *manifestare* adhibet: *„Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur“* (Rom. 1, 19, 20). E converso autem *de profundis Dei* agens, quae per se abscondita sunt a naturali intelligentia, voce *revelare* utitur: *„Nobis revelavit Deus per Spiritum suum“* (1. Cor. 2, 10) Quare nomen revelationis, si simpliciter et sine addito adhibetur, semper revelationem supernaturalem et proprie dictam significat; atque in hoc sensu in hoc quoque tractatu sumitur.

4. Iam haec ipsa supernaturalis et proprie dicta revelatio non una ratione iterum distinguitur:

a) Ratione modi cognitionis, quam importat, in perfectam et imperfectam. Quam distinctionem innuit Apostolus (1. Cor. 13, 9. ss.): *„Ex parte enim cognoscimus et*

ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est . . . Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum." In priore igitur ipsa veritas manifestanda praesentialiter exhibetur et in se intuitive inspicitur; in altera analogica cognitione quasi per speculum in aenigmate cognoscitur; quare prior clara est et a S. Petro *diei* comparatur, altera obscura et ab eodem Apostolo *lucernae* lucenti in caliginoso loco assimilatur: „*Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris*" (2. Pet. 1, 19).

b) Revelatio supernaturalis praeterea ratione obiecti dividitur in supernaturalem quoad modum et supernaturalem quoad substantiam. Prior respicit obiecta, quae naturalibus rationis humanae viribus sunt cognoscibilia, ut existentia Dei, creatio, animae immortalitas; altera obiecta respicit rationi plane impervia, ut mysterium Trinitatis, Incarnationis et alia.

c) Deinde ratione modi, quo fit, est immediata vel me- 5.
diata: immediata, quando Deus directe alicui homini sine alterius hominis interventu veritatem manifestat, qualis est revelatio Prophetis vel Apostolis facta; mediata est, quae per interventum alterius hominis fit, qualis est revelatio nobis facta, cum veritates revelatas non directe a Deo, sed a legatis Dei accipimus.

d) Ratione subiecti ad quod dirigitur revelatio adhuc dividitur in privatam et publicam: privata est, quae per se et primario ad utilitatem alicuius hominis vel paucorum fit; publica, quando per se ad omnes homines dirigitur et in utilitatem eorum editur.

e) Denique revelatio dividitur in subiectivam et obiectivam; obiectiva nihil est aliud quam ipsa veritas revelata in se spectata; subiectiva autem revelatio est haec veritas, prouti consideratur aut procedere ex aliquo subiecto aut alicui subiecto inesse. Haec subiectiva iterum est activa

aut passiva; activa est ipse actus divinus, quo revelatio fit; passiva est receptio veritatis, quae revelatur. Quae distinctio est solum secundum diversos respectus.

6. *3. Doctrina catholica.* Revelationis possibilitatem simul cum facto eiusdem proposuit *Concilium Vaticanum.* Etenim in sess. 3. declarat: „Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur:* attamen placuisse eius sapientiae et bonitati alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: „*Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio*“ (sess. 3. cap. 2. Denz. 1785).

7. Atque iterum „Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus: obiecto autem, quia praeter ea ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Iesum Christum facta est, pronunciat. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis“ (sess. 3. cap. 4. Denz. 1795).

8. Atque in eadem sessione hanc utramque propositionem definivit: „Si quis dixerit, fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei ex-

hibendo edoceatur, anathema sit" (cap. 2. can. 2. Denz. 1807). „Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit" (cap. 4. can. 1. Denz. 1816).

Itaque ex doctrina catholica duo circa possibilitatem revelationis tenenda sunt: primum est possibilem esse revelationem in genere, vel naturalium veritatum secundo mysteriorum quoque vel supernaturalium veritatum revelationem fieri posse.

9. *4. Adversarii doctrinae catholicae.* — Utrique huius doctrinae parti adversarii ecclesiae catholicae errores Naturalismi et Rationalismi his temporibus praesertim late per orbem diffusos opposuerunt. Et Naturalistae quidem omnem revelationem supernaturalem negantes solum revelationem naturalem concedunt. Neque tamen ideo omnes circa revelationem naturalem consentiunt. Dum enim aliqui concedere videntur, Deum quandoque speciali interventu homines ad investigandam religionem naturalem instigare et specialibus adiutoriis, ut v. g. viros ingenio illustres tamquam religionis magistros excitando, religiosae cognitionis propagationem promovere; ceteri omnem plane peculiarem supernaturalem Dei interventum in hominum historia plane negant. Rationalistae deinde imprimis mysteria vel veritates supernaturales esse et revelari prorsus negant, quia ex eorum opinione ratio humana mensura omnis veritatis est adeoque nulla veritas humanae rationi impervia esse potest. Proinde quae mysteria in christiana religione continentur et in Scriptura proponuntur aut simpliciter falsa esse declarant aut vero ita explicant, ut veritates per se rationales esse videantur. Quod vero attinet revelationem veritatum rationalium, alii eam possibilem atque utilem esse fateri videntur, alii autem huius quoque possibilitatem praefracte negant atque sic ad naturalistas accedunt. —

10. Naturalismi et rationalismi error a reformatione saeculi 16. suam accepit originem vel saltem propagationem et pro-

motionem. Cum enim medio aevo apud quosdam paucos tantum doctores, ut Abaelardum, sententiae quaedam rationalisticae inveniantur, mox post reformationem Rationalismus cum Protestantismo late per orbem diffusus est; atque aliter sane vix fieri potuit. Cum enim Reformatores rationem privatam supremum interpretationis Scripturae iudicem proclamarent, unusquisque ea, quae suo privato iudicio non convenirent dogmata audacter reiecit. Atque ita factum est, ut theologia protestantica fere tota naturalismi et rationalismi labe infecta tabescat.

Iam contra hos adversarios primo in praesenti thesi doctrina catholica: esse possibilem revelationem veritatum rationalium, vindicanda est ea ratione, ut in prima parte possibilitas revelationis immediatae, in secunda possibilitas revelationis mediatae ostendatur.

Demonstratio.

I. p. Possibilis est divina revelatio immediata earum veritatum, quae religionem naturalem constituunt.

11. *1. Probatur ex ipsa rei natura* — Cum revelationis conceptus tria includat: Deum revelantem, hominem, cui fit revelatio, veritatem, quae revelatur, revelationis impossibilitas repeti deberet aut ex parte Dei revelantis aut ex parte hominis, cui revelatio impertitur, aut ex parte veritatum revelatarum. Atqui evidens est, nullam esse ex hoc triplici capite revelationis religionis naturalis repugnantiam. Etenim

a) revelatio evidenter possibilis apparet ex parte Dei revelantis. Et primo quidem Deus habet potentiam physicam revelandi illas veritates. Quod enim Deus per creaturas mediate facere in ratione causae efficientis potest et quod ipse homo efficere valet, hoc sane etiam Deus solus immediate facere potest. Et certe absurdum apparet, Deum, qui rationis lumen homini indidit, eidem doctrinas pro libitu communicare non posse. — Praeterea secundo exercitium huius potentiae physicae neque impeditur ab aliis

attributis divinis; tantum enim abest, ut revelatio religionis naturalis cum divinis attributis: sapientia bonitate aliisque pugnet. ut maxime potius cum iis conveniat, cum in Dei gloriam et hominum salutem egregie conferat.

Quod autem Rationalistae *excipiunt,* opus primum Dei, 12.
sc. creationem, si Deus revelet, imperfectum apparere aut vero revelationem esse superfluam, falsum est, quia neutrum sequitur. Non sequitur primum, quia etiam quod iam perfectum est, potest adhuc perfici, si quidem finitum est; non sequitur alterum, quia illud, quod necessarium non est, multipliciter tamen utile esse potest. — Quod *praeterea dicunt,* cum possibilitate divinae revelationis immediatae connexum esse, quod homo certior reddatur Deum esse revelantem, non autem apparere, qua ratione hac de re certior fiat, aeque ineptum est. Etenim cur haec cognitio, scilicet seipsum esse revelantem, minus possit a Deo communicari, quam aliae? Nulla scilicet talis dubitationis extat ratio. Ceterum quo modo haec quoque cognitio communicetur, infra explicabitur.

b) Neque repugnat eadem revelatio ex parte hominis. 13.
Inter media enim, quibus homo ad veritatis cognitionem pertingit, non intellectus solum, ratio et experientia inveniuntur, sed auctoritas etiam testium, quibus edocetur. Si vero universim homini non adversatur aliorum edoceri magisterio, naturae eius maxime debet esse conveniens, magisterio subesse ipsius Veritatis. Quod vero Rationalistae dicunt revelationem laedere rationis humanae dignitatem, undequaque absurdum est. Cum enim eo dignius sit magisterium, quo altior est intellectus docentis, magisterium divinum prae homine edocendo infinitae dignitatis est. Praeterea dignitas humanae rationis in eo est, ut veritati se conformet; atqui veritas, quae divina revelatione communicatur, certior est quam ulla veritas naturaliter cognita. Denique ad dignitatem humanae rationis pertinet amplitudo quoque cognitionum; multa autem ad religionis rationem spectantia per revelationem homo discit, quae sine ea ignoraret; ergo.

c) Denique revelatio divina non repugnat ex parte veritatis revelandae. Manifestatio enim internae veritatis rationi, quippe quae posita est in intelligibilitate, maxime convenit. Quamvis autem veritates religionis naturalis a ratione sibi relicta cognosci absolute possint, dici tamen nequit, eas non alio praeterea modo, magisterio scilicet cognosci posse; imo summopere conveniens apparet, ut infallibili Dei magisterio homini exponantur.

14. *2. Ex consensu generis humani.* — Etenim fidem primitivae alicuius revelationis divinae hominibus factae apud omnes fere populos viguisse ipsa historia testis est. Atqui tali communi persuasioni falsum subesse nequit; ergo ex communi generis humani fide, cum actus cuiusvis rei supponat eiusdem potentiam, revelationis possibilitas affirmanda est. (Cf. Lüken, Die Traditionen des Menschengeschlechtes 2. Aufl. S. 3.)

2. p. Revelatio mediata quoque possibilis est.

15. *1. Probatur ex comparatione cum hominibus.* — Homines enim non solum immediate et per se, sed etiam mediate et per alios suos conceptus suasque voluntates aliis manifestant. Quod autem hominibus competit neque ullam imperfectionem arguit, Deo quoque certe tribuendum est; ergo nihil repugnat divina revelatio mediata.

2. Ex inanitate obiectionum, quas adversarii faciunt. — Duo enim sunt, quae potissimum contra revelationem mediatam urgent: primum est, de facto talis revelationis divinae non posse certo constare; secundum est, talem revelationem mutationi et corruptioni esse obnoxiam. Atqui utraque ratio nihil valet; Deo enim omnipotenti atque infinite sapienti medium deesse non potest sive ad credibilem reddendam revelationem a se factam sive ad mutationem eiusdem atque corruptionem impediendam. Qua vero ratione homines de mediata revelatione divina absolutam certitudinem acquirere possint, et quo modo doctrina mediate revelata a corruptione custodiatur, alibi accuratius explicabitur.

3. Ex maiori revelationis mediatae convenientia. Re- 16.
vera tantum abest, ut repugnet revelatio divina mediata, ut potius convenientior sit, quam revelatio omnibus hominibus immediate divinitus facta. Nimirum

a) Cum totum genus humanum in ordine naturali ab uno capite descendat atque unam familiam constituat, in ordine quoque supernaturali ut in unam familiam atque societatem efformetur, sane conveniens est. Atqui in genere humano, si consideretur ut familia naturalis, institutio singulorum in veritatibus naturalibus, in scientia, arte et ita porro a paucioribus, a patre, magistro tamquam capite et fonte descendit; ergo etiam in ordine supernaturali, ut unitas et concentus familiae vel societatis servetur, institutio in veritatibus religiosis potius quam a Deo singulis hominibus immediate impertiri, mediate per electa organa vel capita descendere debet; ergo magis conveniens est pro genere humano universim spectato revelatio mediata quam immediata.

b) Praeterea singulis hominibus magis etiam utilis est 17.
revelatio mediata quam immediata; per illam enim magis quam per hanc in submissione et obedientia exercentur, necnon efficacius tum ab illusionibus praeservantur, tum in unitate eiusdem fidei et religionis continentur.

c) Magis quoque perfectiones diversae divinae per revelationem mediatam manifestantur: potentia, quatenus praecones revelationis mediatae vel legati divini quasi parentes spirituales in ordine religioso constituuntur; bonitas, quatenus iidem auctoritate divina investiuntur atque hac ratione dignitatem divinam speciali modo participant; sapientia divina, quatenus creaturis utitur ad fines altiores assequendos.

Maiorem hanc revelationis mediatae convenientiam paucis iam expressit *S. Thomas:* „Cum quae a Deo sunt, ordine quodam agantur, in manifestatione eorum, quae sunt fidei, ordinem quendam observare oportuit, scilicet, ut quidam immediate a Deo reciperent, alii vero ab his et sic per ordinem usque ad ultimos.“ (c. g. l. 3. c. 154.)

Corollaria.

18. *1. Revelatio divina immediata triplici modo fieri posse intelligitur.* — Possibilitas revelationis (immediatae) ex facta evidenti demonstratione certo tenenda esset, etsi non constaret ulla ratione de modo vel modis, quibus fiat. Aliud est enim rem aliquam esse vel fieri posse et aliud est modus, quo sit vel fiat. Ceterum triplex est modus, quo Deum hominibus veritatem revelare posse intelligitur. Quem triplicem modum exhibet *S. Thomas:* „Repraesentantur autem divinitus menti prophetae quandoque quidem mediante sensu exterius quaedam formae sensibiles; sicut Daniel vidit scripturam parietis, ut legitur Daniel. 5, 13 ss.: quandoque autem per formas imaginarias sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptas (puta si alicui coeco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines) vel etiam divinitus ordinatas ex his, quae a sensibus sunt acceptae; sicut Ieremias vidit ollam succensam a facie aquilonis, ut habetur Ierem. 1. sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti; sicut patet de his, qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli" (2. 2. q. 173. a. 2). Atque haec S. Thomae explicatio facile intelligitur, si consideretur modus, quo unus homo alteri aliquid revelat vel communicat: scilicet sive pronuntiando sive scribendo verba externa format, quae in sensus alterius agunt atque mediante phantasia intellectum ad cognoscendum determinant. Atqui verba eiusmodi externa formare sive scribendo sive sonos articulatos efficiendo Deus quoque sane potest. Hic igitur est primus modus, quo Deus homini aliquid revelare potest. Potest autem Deus praetermissis verbis externis quibusvis immediate in ipsos sensus vel non mutatis sensibus externis immediate in ipsam phantasiam agere et mediante phantasia intellectum ad cognitionem determinare; qui est secundus modus possibilis divinae revelationis. Potest denique Deus praetermissa quacumque sensuum vel phantasiae immutatione immediate in ipsum intellectum agere eumque ad cognitionem aliquam determinare vel cognitionem ali-

quam infundere, qua res vel immediate in se vel mediate in aliis cognoscatur, atque hic est tertius modus possibilis. Deum autem revera triplici illa ratione agere posse indubium plane est, quia quidquid creaturae possunt neque imperfectionem involvit, Deo a fortiori tribuendum est. Nullam autem triplex illa actio divina imperfectionem involvit.

Quaeri autem potest, num eodem hoc triplici modo 19.
Deus hominem certiorem quoque reddere possit revelationem esse divinae originis? — *R.* Poterit certe, et quidem aut primo interno lumine superaddito hanc ipsam veritatem immediate ostendendo aut vero secundo revelationem sigillis divinis, ut miraculis et prophetiis, circumvestiendo. Quo postremo modo imprimis de divina origine revelationis mediatae constare potest. Ceterum homo, qui immediate a Deo revelationem accipit, de divina eius origine certus esse posse videtur tertio eam cognoscendo vel concludendo ex subiectiva ipsius i. e. Dei in semetipsum actionis indole, quemadmodum, qui in vita spirituali versati sunt, aliquando satis certo inter motus gratiae sive Dei et impulsus alios discernunt. Denique quandoque de divina revelationis origine constare potest ex obiectiva eius indole, siquidem veritas revelata talis est, quae a nulla creatura naturaliter cognoscitur, ut sunt v. g. futura libera.

2. Revelatio divina, prout facta est in hoc ordine, for- 20.
maliter locutio divina est. — Haec est enim communis Ecclesiae consideratio atque ipse Apostolus divinam revelationem locutionis nomine exhibet: „*Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*“ (Hebr. 1, 1). Atque accommodate et merito divinam revelationem in praesenti vita nobis factam tamquam formalem Dei locutionem exhiberi, commode satis intelligitur, si conceptus locutionis consideretur atque paucis evolvatur. Iamvero prout *S. Thomas* declarat, ex communi hominum sensu „nihil aliud est loqui ad alterum, quam conceptum mentis (intellige obiectivum) alteri manifestare“ (S. th. 1. p. q. 107. a. 1). Itaque

21. a) Locutio in genere definiri potest propria actio entis intelligentis qua intelligentis per se ordinata ad mentem suam alteri manifestandam. Non igitur ad locutionem sufficit, ut ex effectu aliquo ab ente intelligente producto quacunque ratione ad eius mentem concludatur, sed locutio ita ab intelligente procedit, ut per se et immediate mentis loquentis manifestativa sit: vel per locutionem conceptus loquentis directe ad alium ut manifestandus dirigitur. Neque praeterea ad locutionem sufficere videtur, ut per actionem aliquam aliquod obiectum, licet directe, manifestetur; sed per locutionem obiectum prout est in mente loquentis notificatur. Hinc causae naturales ratione carentes, etsi in nobis notitiam generent alicuius obiecti, non ideo tamen proprie nobis loqui dicuntur, sed solum metaphorice, sicut coeli loqui et Dei gloriam narrare dicuntur. Ratio est, quia non manifestant mentem suam, vel quia non notificant obiectum, prout est ab ipsis cognitum. Deinde eiulatus quoque hominis propter dolorem emissus per se nondum est locutio, quia quamvis ex eo concludatur, eiulantem dolere, non tamen per se et immediate et necessario ad conceptum obiectivum dolentis communicandum ordinatur, ut ex brutis eiulantibus manifestum est. E contra verbum doleo pronuntiando dolens conceptum mentis suae alteri per se et immediate manifestat atque proinde loquitur. Neque denique opus arte factum locutio dicitur, quia quamvis sit manifestativum conceptus obiectivi sui auctoris, non immediate vel directe hunc conceptum manifestat; vel conceptus artificis opus artis facientis non directe ut manifestandus ad alterum, sed directe tamquam exprimendus ad opus externum et mediate tantum ut manifestandus ad alterum dirigitur.

22. b) Locutio humana verbo perficitur. Verbum autem est id, quod a loquente producitur ad notificandum audienti conceptum suum vel obiectum, prout est in mente loquentis: qualia sunt vocabula pronuntiata vel scripta, nutus etc. Cum enim non possimus ipsam mentem nostram vel scientiam in alios transferre, vocibus atque aliis eiusmodi signis

utimur, ut cum aliis cognitionem nostram communicemus. De hac conceptuum per signa manifestatione pulchre *Gregorius M.*: „Alienis oculis intra secretum mentis quasi post parietem corporis stamus; sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguae ianuam egredimur, ut quales sumus intrinsecus, ostendamus.“ Quare in verbo externo et sensibili duo distinguenda sunt: alterum materiale, formale alterum. Materiale est signum externum et sensibile, formale est conceptus mentis, qui per signum exprimitur. De qua distinctione praeclare *Augustinus*: „Verbum, inquit, si non habeat rationem significantem, verbum non dicitur. Vox autem, etsi tantummodo sonet et irrationabiliter perstrepat tamquam sonus clamantis, non loquentis, vox dici potest, verbum dici non potest . . . Verbum valet plurimum et sine voce: vox inanis est sine verbo. Reddamus rationem, et quod proposuimus, explicemus. Ecce voluisti aliquid dicere: hoc ipsum, quod vis dicere, iam corde conceptum est, tenetur memoria, paratur voluntate, vivit intellectu. Et hoc ipsum, quod vis dicere, non est alicuius linguae. Res ipsa, quam vis dicere, quae corde concepta est, non est alicuius linguae, nec graecae, nec latinae, nec punicae, nec hebraeae, nec cuiusdam gentis. Res est tantum corde concepta, parata procedere. Ergo, ut dixi, res est quaedam, sententia quaedam, ratio corde concepta, parata procedere, ut insinuetur audienti. Sic igitur quomodo nota est ei, in cuius corde est, verbum est iam notum dicturo, nondum audituro . . . Invenit Graecum? graecam vocem quaerit, qua procedat ad Graecum. Invenit Latinum? latinam vocem quaerit, qua procedat ad Latinum. Invenit Punicum? punicam vocem quaerit, qua procedat ad Punicum. Remove diversitatem auditorum, et verbum illud, quod corde conceptum est, nec graecum est, nec latinum, nec punicum, nec cuiusdam linguae . . . Quam multas voces faceret personarum mutatione verbum cordis sine ulla sui mutatione vel varietate? Pergit ad Latinum voce latina, ad Graecum graeca, ad Hebraeum hebraea. Ad audientem pervenit, nec a loquente discedit. Numquid

enim quod dicendo in alio facio, ego amitto? Sonus ille adhibitus medius in te aliquid propagavit, a me non emigravit" (serm. 288. n. 3).

23. c) Ex dictis intelligitur, quid sit locutio Dei, imprimis locutio Dei ad homines. Videlicet est *actio Dei per se ordinata ad manifestandum conceptum divinae sapientiae hominibus*. Duo igitur ad divinam locutionem proprie dictam requiruntur. Unum est increatum: conceptus divinus; alterum est creatum: est id, quo per se et vi actionis, qua producitur, haec divina conceptio homini manifestatur. Quapropter creatio non est locutio proprie dicta, quia per eam divinus conceptus non immediate ut manifestandus ad hominem dirigitur, sed mediate tantum; nam immediate potius ut exprimendus dirigitur ad opus externum. Quamvis igitur ex obiectis creatis argumentando colligere possimus, illa esse in mente divina, non tamen ideo per creationem Deus loquitur proprie; secus enim loqueretur nobis Deus in quacunque cognitione, quia quaecunque cognoscimus, eo ipso possumus colligere, ea obiecta esse in mente divina. Neque per solam infusionem scientiae Deus proprie loqui videtur, quia talis scientia vel eius infusio in sola notificatione obiecti in se spectati sistere potest; ut vero sit locutio, manifestare debet ipsam mentem divinam vel obiectum, prout est in mente divina. Processio autem in divinis a theologis communiter consideratur ut locutio divina, eminens quidem et interna, sed vera et propria; quia generatio Filii vel Verbi est actio per se ordinata ad manifestandam et communicandam Filio intellectionem paternam vel essentiam divinam sub ratione intellectionis. Ex dictis iam illud quoque intelligitur, revelationem latius patere, quam locutionem divinam; ad revelationem enim sufficit manifestatio obiecti, prout est in se; locutio vero dicit solam manifestationem obiecti, prout est in mente divina. Si vero modus spectetur, quo divina locutio ad homines perficitur, dicendum est, eodem illo triplici modo fieri posse, quo revelationem fieri dictum est, quia locutio divina ex dictis nihil aliud est, nisi revelatio divina, quae manifestat

obiectum prout est in mente divina. Quare pleraeque revelationis divisiones locutioni quoque divinae applicari possunt, ut v. g. ea, qua in immediatam et mediatam dividitur. Ad quam divisionem haec *S. Thomae* expositio pertinet: „Fides est duplex, scilicet secundum duplicem auditum, et duplicem locutionem. Est enim fides ex auditu, ut dicitur Rom. 10. Est enim quaedam locutio exterior, qua Deus nobis per praedicatores loquitur; quaedam interior, qua loquitur nobis per inspirationem internam. Dicitur autem interior inspiratio locutio quaedam ad similitudinem exterioris locutionis: sicut enim in exteriori locutione proferimus ad ipsum audientem non ipsam rem quam notificare cupimus, sed signum illius rei, scilicet vocem significativam; ita Deus interius inspirando non exhibet essentiam suam ad videndum sed aliquod essentiae suae signum, quod est aliqua spiritualis similitudo suae sapientiae. Ab utroque auditu fides in corde fidelium oritur. Per auditum interiorem in his, qui fidem primo acceperunt et docuerunt, sicut in Apostolis et Prophetis; unde in Ps. 84, 9.: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Per secundum vero auditum fides oritur in corde aliorum fidelium, qui per alios homines cognitionem fidei accipiunt." (De verit. q. 18. a. 3); cf. S. th. 1. p. q. 107. a. 1. ss. et Lugo de fid. disp. 1. s. 10.)

24. *3. Divina locutio pro hac vita nobis facta non est primario docens, sed potius attestans.* — Qui alteri veritatem communicat, duplicem finem spectare potest; atque secundum duplicem diversum finem diversa erit propositio veritatis. Aut scilicet loquens docere intendit audientem, et tunc rationes internae veritatis proponendae sunt, ut audiens propter has veritati assentiatur; et habetur institutio sive magisterium, qua scientia intenditur; aut vero veritas a loquente proponitur simpliciter attestando, et tunc tamquam motivum assensus auctoritas loquentis, sc. scientia eius et veracitas, interponitur; atque haec est attestatio sive locutio attestans, cui ex parte auditoris respondet fides. Ad rem *S. Thomas:* „Est duplex modus acquirendi scientiam; unus,

quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur inventio; alius quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina . . . Processus rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones et ex his in alias. Unde et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli per huiusmodi sibi proposita sicut per quaedam instrumenta pervenit in cognitionem ignotorum . . . Si autem aliquis alicui proponat ea, quae in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur, non faceret in eo scientiam, sed forte opinionem vel fidem." (Qq. disp. q. 11. de magistro a. 1.) Locutione attestante potissimum in factis proponendis utimur; potest tamen talis attestatio in scientiis quoque proponendis locum habere. Iamvero locutionem Dei in hac vita nobis factam primario esse locutionem attestantem, certum est ex evidenti Scripturae et Traditionis doctrina, secundum quam revelationi vel locutioni divinae ex parte hominum tamquam essentiale et primum officium fides respondet; fides enim assensus est, qui propter auctoritatem Dei testantis praestatur. Secundario autem divina locutio est etiam docens, quia per eam veritatum religiosarum et vel ipsorum mysteriorum rationes internae panduntur vel saltem innuuntur, ut deinceps in decursu theologiae patebit. Quae cum ita sint, notandum tamen est, per revelationem huius ordinis modum obiectivum cognoscendi non mutari essentialiter, ut v. g. fit per visionem beatificam in altera vita; sed per revelationem quoque ad modum viatorum cognoscimus atque res divinae nobis conceptibus analogicis repraesentantur, non autem cognitione intuitiva in se videntur.

Scholion.

25. *Difficultates reliquae solvuntur.* — Cum pleraeque obiectiones per demonstrationes et explicationes factas

praeoccupatae sint, duae solum restant breviter expediendae:

1. Itaque *Strauss* hac ratione contra possibilitatem revelationis immediatae obiicit: Cum essentia animi consistat in activitate, patiens cogitari nequit, nisi simul sub alio respectu agens sit, i. e. absoluta passio in animo humano admitti non potest, quare quivis conceptus, qui hanc implicat, necessario falsus est. Iamvero supposita revelatione i. e. operatione immediata Dei in animum humanum, huic absoluta passio tribuenda erit. Etenim ens summum necessario erit summe activum; summae autem activitati in animo humano omnimoda passivitas respondebit. (Cf. Christl. Glbslehre 1. B. p. 140.) — *R.* Falsum est essentiam animi humani in pura activitate consistere; in cogitatione enim etiam naturali activus et passivus simul est; activus, quatenus actum vitalem elicit, passivus, quatenus ad actum vitalem determinatur et eum in se recipit. In cognitione autem per revelationem accepta res sub hoc respectu non aliter se habet, quam in cognitione naturali; activus scilicet intellectus est, quatenus cognitionem vitaliter elicit, passivus, quatenus ad eandem non a creaturis, sed a Deo determinatur eamque in se recipit. Divina igitur revelatio nullatenus activitatem vitalem mentis nostrae tollit, sed eam supponit; nisi enim rationales animas haberemus neque igitur vitaliter agere possemus, Deus ipse nobis nihil revelare posset, quemadmodum lapidi nulla potest fieri revelatio.

2. Praeterea obiicitur: Cum revelatio ex conceptu suo **26.** sit veritatis occultae manifestatio, perperam affirmatur a Deo veritates religionis naturalis revelari posse, quippe quae non sunt occultae, sed naturaliter cognoscibiles et manifestae. — *R.* Quamvis veritates religionis naturalis naturaliter sint cognoscibiles, non tamen ab omnibus nec semper per omnes actu cognoscuntur, quare ei saltem revelari possunt, qui ea actu nondum novit. Praeterea etsi quis veritates easdem naturali rationis lumine iam noverit, occultae tamen eaedem adhuc eatenus manent, quatenus

ex alio fonte et alio modo praeterea cognosci possunt: alio fonte quidem, quia praeterquam ex naturali rationis lumine ex revelatione quoque divina cognosci possunt; alio modo, quia non solum naturali certitudine cognosci possunt, sed certitudine fidei quoque, quae certitudinem naturalem omnem longe superat, utpote quae in excellentissimo motivo nititur, in auctoritate sc. Dei loquentis.

27. Instant vero, praecise fieri non posse, ut idem naturali rationis lumine atque simul ex revelatione divina, quae sit locutio Dei attestans, cognoscatur; secus enim idem simul sciri et credi posset, quod impossibile apparet. *R. d.* ultimam assertionem: Non potest idem simul sciri et credi fide humana *tr.* — fide divina *sbd.*: sub eodem respectu *c.* sub diversis respectibus *sbd.*: diversis actibus *n.* eodem actu *tr.* Etenim sub alio respectu veritas aliqua a scientia et sub alio respectu a fide attingitur. Nulla autem in hoc apparet repugnantia, quominus idem obiectum sub diversis respectibus attingatur, saltem si agatur de diversis actibus et de fide divina in comparatione cum scientia naturali. Transmitti potest quaestio, num eadem veritas eodem simul actu sciri et credi possit, quia huc non pertinet, sed alibi tractatur; transmitti quoque potest altera quaestio, num scientia naturali et fide humana idem simul sciri et credi possit; de hoc enim merito forte dubitetur; auctoritas enim humana plerumque saltem est motivum inferius et debilius manifestatione veritatis perfecta per experientiam vel cogitationem mentis; quare iuxta claram cognitionem scientificam fides humana vix subsistere potest vel plane superflua apparet, uf v. g. lux lampadis iuxta solis lumen abundat atque disparet. Aliter autem penitus loquendum est de fide divina; haec enim in motivo excellentissimo innititur, quare novum et plane diversum assensum fundare et acquisitam iam certitudinem multum augere potest.

Thesis 15. Neque divinam mysteriorum revelationem repugnare probari potest.

Cf. S. Th., c. g. l. 1., c. 3. — *Suar.*, de fide p. 1. disp. 3. s. 1. — *Denzinger,* Religiöse Erkenntniss,

II, 91 ss. *Ottiger* I, p. 69 ss. — Z. f. k. Th. X, 497 ss. 595 ss.

Declaratio.

1. *Notio mysterii accuratius explicatur.* — Notio mys- 1.
terii obvia in praecedente thesi proposita, in praesenti, priusquam demonstratio instituatur, accuratius explicanda est. Iam igitur secundum etymologiam vocis mysterium nihil aliud est, nisi res vel veritas abscondita. Potest autem res abscondita esse multiplici ratione, quare multiplici quoque sensu mysterium dicitur. Itaque

a) res abscondita esse potest propterea, quia nullus est nexus vel non sufficiens inter ipsam et intellectum nostrum, vel quia intellectui nostro non est sufficienter proposita, quamvis per se eius vires non excedat. Tales v. g. habentur res, quae sunt in media terra vel in profundo mari, numerus stellarum etc. Atque haec sunt *mysteria latissimo sensu sumpta.*

b) Deinde res aliqua abscondita nobis est, quia quamvis eius existentia cognoscatur atque etiam demonstretur, modus tamen essendi eius vel propria ratio interna a nobis non perspicitur. Huc pertinent v. g. essentia et attributa divina ut libertas et immutabilitas, praevisio futurorum liberorum, libertas humana, extensio continua et plura alia. Haec enim omnia cognosci a nobis et demonstrari quoque possunt, verum modum existentiae eorum atque internam rationem reipsa non penetramus. Hae autem veritates, quia naturalem cognitionis ordinem non simpliciter excedunt, *mysteria naturalia dicuntur.*

c) Deinde potest esse res abscondita, quia vires intellectus nostri excedit secundum quid, quatenus eius existentia a naturali ratione certo saltem cognosci non potest; quales sunt secreta cordium, actus futuri liberi, positiva instituta religionis christianae ut auctoritas Romani Pontificis, condonatio peccatorum pro casu poenitentiae actae etc.; quorum intelligentia, postquam revelata sunt, difficultatem peculiarem non creat. Atque tales veritates *mysteria praeternaturalia* vocantur.

2. d) Denique potest esse veritas abscondita absolute, quatenus intelligentiam naturalem hominis excedit simpliciter, i. e. ita, ut duo illa, quae in omni re quaeri possunt: an sit et quid sit res sive eius existentia et essentia vel interna possibilitas nos lateant. Rei existentiam cognoscimus, si eam aut a priori aut a posteriori per effectus demonstramus, essentiam, si eam ex internis rationibus explicare possumus, ut v. g. theorema aliquod geometricum. Talia mysteria, quae *absoluta sive stricte dicta sive supernaturalia* vocantur, habenda sunt v. g. subsistentia unius Dei in tribus personis, Incarnatio Verbi aeterni et alia nonnulla. Et revera trium personarum in una natura divina subsistentiam naturaliter invenire non valemus; neque postquam revelata est, haec veritas ex divina natura ullo modo positive efficaciter vel certo demonstrari vel plene explicari potest. Possunt vero mysteria singula negative demonstrari, i. e. argumenta contra facta ita possunt solvi, ut ostendatur nihil posse contra possibilitatem vel veritatem mysterii effici. Atque haec duo probe distinguenda sunt: aliud enim est positive demonstrare, aliquam rem esse possibilem, atque aliud ostendere argumenta contra eius possibilitatem facta esse inefficacia, vel non ostendi eius repugnantiam. Nondum igitur, si obiectiones factae solvantur, eo ipso rem possibilem esse positive demonstratum est. „Sicut enim, inquit *Card. Franzelin*, potest esse obiective possibile, imo et realiter existens, quod lumine rationis non cognoscimus positive ut possibile, quamvis neque cognoscamus evidenter ut impossibile: ita hoc idem accidere potest in eo, quod obiective re ipsa involvit contradictionem. Quid enim neque possibilitatem neque impossibilitatem cognoscere est aliud quam ignorantia? Quomodo vero inferre possum ex ipsa mea ignorantia possibilitatem rei, quamdiu nullae suppetunt rationes sive intrinsecus perspectae sive ex revelatione deductae, quibus me ab illa mea ignorantia expediam?“ (De sacram. in gen. p. 131).

Ex his omnibus definiri mysterium absolutum potest: 3. *Veritas ita omnem intellectus humani vim excedens, ut ratio sola eam neque invenire neque revelatione acceptam demonstrare possit;* vel: *veritas simpliciter supernaturalis adeo, ut sola revelatione eius existentia nobis certa fiat; internus autem subiecti cum praedicato nexus, sive quomodo et quare res ita sit, omnino non possit ab homine naturaliter intelligi.* Qua utraque definitione, quae reipsa sunt obiective identicae, mysteria absoluta facile ab omnibus aliis mysteriis improprie talibus distinguuntur. Ita v. g., quae est mysterium naturale, concordiam inter libertatem et immutabilitatem divinam vel modum internum horum attributorum non intelligimus quidem, verum utriusque attributi existentiam demonstramus atque a priori ex natura divina deducimus. Trinitatem vero personarum in una natura divina, quae est mysterium absolutum, nec invenire nec, postquam revelata est, a priori ex natura divina deducere valemus. Quod igitur veritas aliqua conceptu analogico exhibeatur, ad mysterium non sufficit, quia secus omnia attributa divina mysteriis accensenda essent, quod nemo dicit. — Atque haec mysterii notio, quemadmodum auctoritate theologorum fulcitur, ita etiam cum declaratione *Concilii Vaticani* apprime concordat. Postquam enim mysteria nisi divinitus revelata cognosci non posse statuit (cf. th. 14. n. 7), eorum naturam magis explicans ita pergit: „Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum ita excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem. — Verum

etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere." (sess. 3. c. 4. Denz. 1797.)

4. *2. De errore Semirationalistarum.* — Quod mysteria eorumque revelationem attinet, ad Naturalistas et Rationalistas accesserunt Semirationalistae, qui hoc nomine vocantur, quia non omnem supernaturalem Dei revelationem negant, sed in eadem mysteria absoluta vel stricte dicta contineri infitiantur. Quem errorem theologi concilii Vaticani hac ratione exhibent: „Error, quo negatur contineri in revelatione mysteria supra captum rationis, nunc universaliori nunc temperatiori forma enuntiatus constituit ipsum logicum principium Semirationalismi. Aiunt scilicet, veritates proponi historice in revelatione, sed eas omnes, saltem postquam ita historice innotuerunt, posse etiam ex intrinsecis necessariis principiis lumine rationis perspectis intelligi et demonstrari, imo hoc ipsum esse proprium munus philosophiae. Qui creationem et operationes Dei ad extra affirmant necessarias esse ex ipsa Dei natura et amore, quo seipsum non potest non amare, illi absque distinctione universim loquuntur de demonstratione philosophica omnium veritatum revelatarum, quamvis directe prae oculis habere soleant mysteria praecipua ss. Trinitatis et Incarnationis; alii vero distinguunt veritates in duplicem classem, quarum aliae fundamentum habeant in liberis Dei consiliis, aliae sint in se necessariae ex ipsis rerum essentiis, atque de his posterioribus nominatimque de mysterio ss. Trinitatis affirmant illam philosophicam demonstrationem ex principiis lumine rationis perspectis, ac proinde negant ea mysteria esse supra captum rationis." (Coll. Lac. pag. 525).

5. Praeter multos protestantes ex catholicis recentiore tempore semirationalismi labe infecti sunt *Hermes, Hirscher, Günther,* eiusque schola, *Frohschammer* aliique; neque

Schell ab hoc errore satis recessit, ut ex tentaminibus apparet, quibus ex conceptu Dei tamquam causa sui ipsius Trinitatem personarum divinarum supposita eiusdem revelatione ex sola ratione explicare et demonstrare voluisse videtur. (cf. Dogmatik, 1. B. 3. Buch, passim.)

3. Divisio thesis et ratio demonstrationis. — Doctrina 6. catholica in praesente thesi ita vindicatur, ut in prima parte existentia mysteriorum, in altera vero parte possibilitas revelationis eorundem ostendatur. Quod vero philosophicam thesis demonstrationem attinet, non videntur nec caute nec recte procedere, qui existentiam mysteriorum positive a priori probare conantur. Potius enim dicendum esse videtur: sicuti a naturali ratione neque possibilitas neque impossibilitas mysterii alicuius singularis demonstrari potest, ita neque existentiam neque repugnantiam mysteriorum in genere probari posse. (Cf. Zeitschrift für kath. Theologie, 1886 p. 497 ss.) In cuius rei explicationem in demonstratione thesis philosophica argumenta, quae proferri solent, primo proponuntur atque deinde circa valorem suum paucis eximinantur. Denique utraque pars simul, ne quidquam explicationi vel probationi thesis desit, theologicis argumentis probatur.

Demonstratio philosophica.

1. p. Mysteria stricte dicta non probantur repugnare.

I. Argumenta, quibus mysteriorum existentiam probant, proponuntur. — Quae pro hac parte fieri solent argumenta philosophica, ad haec reducuntur: 7.

1. Probatur ex gradibus intelligibilium vel ex diversitate inter intellectum humanum et divinum. — Quod argumentum a *S. Thoma* ita evolvitur: „Duorum enim, quorum unus alio intellectu subtilius intuetur, ille cuius intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest; sicut patet in rustico, qui nullo modo philosophiae subtiles considerationes capere potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus

optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae, quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu quam homo, quanto ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur naturali cognitione, est dignior rebus sensibilibus et etiam ipsa anima, per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit. Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat et ideo perfecte de se intelligit quid est, et omnia cognoscit, quae de seipso intelligibilia sunt; non autem naturali cognitione angelus de Deo cognoscit quid est, quia et ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causae virtutem non adaequans. Unde non omnia, quae in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; nec ad omnia, quae angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philosopho proponuntur, falsa esse assereret, propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur ex hoc, quod ratione investigari non possunt" (c. g. l. 1. c. 3).

8. *2. Ex obiecto proprio intellectus humani.* — Est argumentum, quod item a *S. Thoma* proponitur: „Cum principium totius scientiae, quam de aliqua re ratio percipit, sit intellectus substantiae ipsius, eo quod secundum doctrinam Philosophi Anal. post. II, c. 3 demonstrationis principium est quod quid est, oportet, quod secundum modum, quo substantia rei intelligitur, sit eorum modus, quae de re illa cognoscuntur. Unde, si intellectus humanus alicuius rei substantiam comprehendit, puta lapidis vel trianguli, nullum intelligibilium illius rei facultatem humanae rationis excedet. Quod quidem nobis circa Deum non accidit. Nam ad substantiam ipsius capiendam intellectus humanus non potest naturali virtute pertingere, cum intellectus nostri secundum

modum praesentis vitae cognitio a sensu incipiat. Et ideo ea, quae in sensus non cadunt, non possunt humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus eorum cognitio colligitur. Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, ut in eis divina substantia videatur quid sit, cum sint effectus causae virtutem non adaequantes. Ducitur tamen ex sensibilibus intellectus noster in divinam cognitionem, ut cognoscat de Deo quia est, et alia huiusmodi, quae oportet attribui primo principio. Sunt igitur quaedam intelligibilium divinorum, quae humanae rationi sunt pervia; quaedam vero, quae omnino vim humanae rationis excedunt." (ib.)

Paulo aliter idem fere argumentum ducitur

3. Ex finita Dei per mundum repraesentatione. — Res **9.** creatae, quia finitae sunt, infinite a Deo distant neque igitur eodem genere cum Deo continentur. Proinde valde imperfecta est Dei primi principii per creaturas tamquam effectus manifestatio. Quare plura in Deo esse debent intelligibilia, quae per creationem non sunt manifesta vel expressa. Atqui homo, quaecunque de Deo naturaliter cognoscit, ex hac Dei per creaturas obiectiva manifestatione comparando, negando, concludendo cognoscit, cognitione igitur mediata, analoga, imperfecta. Ergo homo, cum naturaliter Deum mediate ex creaturis, non intuitive, cognoscat, plura, quae in Deo sunt intellegibilia, necessario ignorare debet.

4. Ex infinitate essentiae et potentiae divinae. — In- **10.** finitum infinitus solum intellectus emetiri potest. Atqui infinitum perfectionis pelagus est essentia divina atque infinita quoque est potentia divina, quippe quae ad omnia, quae fieri possunt, necessario se extendit. Intellectus autem humanus finitus et imperfectus est atque ideo ad illum solem infinitae perfectionis similiter se habet, atque oculus noctuae ad solem in coelo splendentem. Quare recte concluditur, ut *Lactantius* habet: „Veritas i. e. arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio ac propriis non potest sensibus comprehendi: alioquin nihil inter Deum hominemque

distaret, si consilia et dispositiones illius maiestatis aeternae cogitatio assequeretur humana" (Praef. instit. div.). Et *Augustinus:* „Demus, inquit, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis" (Ep. 137. ad Volus. n. 8).

11. *5. Ex inductione vel consideratione mysteriorum naturalium.* — Est iterum argumentum *S. Thomae:* „Idem manifeste apparet et defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimae substantiae omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit. Huic etiam consonat dictum Philosophi, qui asserit, quod intellectus noster sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertitionis ad solem. Metaph. II, c. 1." (ib.) Atque revera quot et quanta mysteria in ipsa natura extant? Quid enim sint et quomodo fiant attractio, electricitas, extensio continua, impenetrabilitas, vegetatio, sensatio multaque alia, plena explicatio desideratur. Quanta dein in ipsa naturali Dei cognitione mysteria occurrunt? Vel quis plene explicaverit immutabilitatem et libertatem divinam, praevisionem futurorum liberorum, creationem et ita porro? Ergo concludendum esse plane videtur, in Deo plura intelligibilia inveniri, quae naturalem intellectus humani vim penitus excedant.

12. ***II. Argumenta proposita paucis examinantur.*** — Demonstratione facta efficaciter ostenditur existere saltem mysteria late dicta; si vero quaestio ponatur, num iisdem positive probetur existentia mysteriorum absolutorum, negandum potius id esse recte dicatur. Non enim evinci videtur, esse veritates, quae ita intellectum humanum excedant, ut neque earum existentia ab eodem inveniri neque etiam si revelentur, earum possibilitas intelligi vel demonstrari possit. Quod ut videatur, iam ad singula argumenta supra facta quaedam animadvertenda sunt. Itaque.

1. ad rationem dictam ex gradibus intelligibilium vel intellectuum. — Discrimen inter intellectum divinum et humanum subsistit ac intelligitur, etsi mysteria proprie dicta pro humano intellectu non existant. Posset enim dici: omnes veritates divinas ab humano intellectu esse quidem cognoscibiles, verum non collective, sed solum distributive; vel inveniri quidem posse et demonstrari omnem veritatem divinam, neque tamen comprehendi vel summa claritate et intensitate cognosci; vel etsi non omnes inveniri possint ab homine, omnium possibilitatem saltem, si quidem revelentur, ab homine perspici posse; vel denique omne verum divinum esse ab homine cognoscibile non quidem immediate vel intuitive, sed mediate et analogice. Atque hac ratione discrimen infinitum esse inter intellectum humanum et divinum, satis adhuc intelligeretur, quamvis mysteria stricte dicta iam nulla essent.

2. Ad rationem sumptam ex obiecto proprio intellectus 13.
humani. — Argumentum hoc in eo tandem nititur, quod per creaturas, quae sunt medium obiectivum humanae cognitionis divinorum, perfectiones divinae neque adaequate neque secundum propriam rationem repraesententur vel exprimantur. Atqui ex hac ratione non videtur consequi esse in Deo aliqua vera, quae nulla ratione neque analogice creatione sint expressa, ita ut nullo modo ex mundo tamquam ex effectu divino deduci possint. Infinitum enim secundum omnia, quae in eo sunt, intelligibilia a finito non quidem perfecte, sed imperfecte repraesentari posse videtur: quemadmodum similiter Beati in coelo Deum totum quidem vident, ita ut nihil divinorum eos lateat, non tamen totaliter vel perfecte i. e. non summa claritate vel intensitate. Qua igitur ratione probetur, ex creatione non posse omnia vera divina neque imperfecte cognosci?

3. Ad argumentum ex finita Dei per mundum reprae- 14.
sentatione. — Responsum iam est ad secundum.

4. Ad argumentum factum ex infinitate divinae essentiae et potentiae. — Respondetur sicuti supra, imprimis ex incomprehensibilitate, quae non dicit hoc vel illud verum nec

inveniri, nec revelatum demonstrari vel intelligi posse, sed tantum non cognosci perfecta claritate vel intensitate, non totaliter, quamvis totum.

5. Ad rationem per inductionem ex mysteriis naturalibus. — Ex hominis imperfecta mysteriorum naturalium cognitione consequitur sane, humanam Dei cognitionem cum suo obiecto comparatam esse etiam magis imperfectam; sed quomodo exinde consequatur in Deo vera esse, quae nec inveniri, nec, si revelentur, secundum suam internam rationem ullo modo intelligi vel demonstrari possint, nullatenus intelligitur.

Itaque existentia mysteriorum, quae stricte talia sunt, positiva demonstratione evinci non videtur. Verum ex argumentis factis illud sane perspicitur, multo minus repugnantiam mysteriorum demonstrari posse. Etenim qui repugnantiam mysteriorum affirmat, sua se intelligentia arcanum infinitae veritatis ita clare perspicere contendit, ut nihil in eo esse intelligat, quod humanam intelligentiam simpliciter excedat. Atqui hoc absurdum esse, argumentis supra propositis clare evincitur. Neque in alium sensum S. Thomae argumenta accipienda esse videntur.

2. p. Neque revelatio mysteriorum repugnat.

15. *1. Probatur ex ipsa notione mysterii.* — Veritatem enim aliquam mysterium esse unum hoc significat, eam sola ratione nec inveniri nec demonstrari nec quoad essentiam suam explicari posse; minime vero dicit eam notionibus analogicis neque ita apprehendi posse, ut quamvis interna essentia lateat, existentia tamen patefiat. Si autem mysterium hac ratione apprehendi potest, aperte revelationis obiectum esse potest.

2. Ex mysteriorum late dictorum communicatione apud homines. — Nempe plura inter homines ob docentis auctoritatem admitti solent, quae ab audientium intelligentia non penetrantur. Potest igitur aliqua veritas propter humanam auctoritatem mente teneri et iudicio exprimi, quin internus nexus subiecti et praedicati perspiciatur; atqui

auctoritas Dei summa est atque infinita: ergo a fortiori Deus veritatem revelare et assensui hominum proponere posse dicendus est, cuius interna ratio hominibus abscondita sit et maneat.

16. *3. Ex ipsa natura talis revelationis.* — Mysterii revelatio in eo est, ut homini sententia mysterium continens primum proponatur atque dein eius veritas affirmetur. Atqui neutrum ex his impossibile apparet. Nulla enim in eo repugnantia cernitur, quin aliqua sententia proponatur, cuius quidem sensus intelligatur, non autem interna veritas vel possibilitas perspiciatur. Aliud enim est intelligere sensum alicuius affirmationis et aliud veritatem vel internam rationem eiusdem perspicere. Neque praeterea quidquam repugnat, quin Deus sententiae propositae veritatem affirmet atque hac ratione auctoritate sua interposita hominem certum de eadem reddat. Ergo nihil repugnat, quin Deus hominibus mysteria revelet.

17. *Hac demonstratione certe evincitur, nullam in revelatione mysteriorum ostendi posse repugnantiam; neque tamen hac demonstratione positive possibilitas revelationis mysteriorum probari videtur.* — Ad talem enim positivam demonstrationem probare oporteret, per conceptus ex creturarum consideratione haustos aliqua saltem ratione mysteria illa concipi atque repraesentari posse. Hoc autem ostendi certo posse non videtur; vel quomodo demonstretur ex una parte in Deo esse aliqua, quae per creationem obiectivam nulla ratione homini manifestentur, ex altera tamen parte illa eadem, si revelentur, per conceptus ex creatione haustos ab homine concipi posse? Itaque potius dicendum esse videtur, sicuti neque existentia neque repugnantia mysteriorum naturali ratione evincitur, ita nec possibilitatem neque impossibilitatem revelationis eorundem naturaliter positive demonstrari. Atque hoc pro scopo apologetico plane sufficere intelligitur. Reipsa mysteria esse atque a Deo revelari posse ex ipsa revelatione constat. Quae demonstratio theologica iam instituenda est.

Demonstratio theologica.

18. Utraque thesis pars i. e. tum existentia mysteriorum tum possibilitas revelationis eorundem simul ex eo manifesta est, quod in revelatione divinitus facta reipsa talia mysteria continentur. Hoc enim certo constat

1. ex doctrina sacrae Scripturae. — Haec enim pluribus locis aperte docet Deum veritatum ordinem hominibus revelasse, qui naturalem cognitionem omnem longe excedat.

a) Huc imprimis pertinent, quae Apostolus tradit 1. Cor. 2, 1. ss. In hoc capite epistolae S. Paulus, postquam simplicem suam apud Corinthios praedicationem commemoravit eamque evangelio, utpote sapientiae mundanae opposito, convenire declaravit, ultra iam progrediens docet, eam tamen in revelatione sapientiam contineri, quae humanam mentem longe excedat ideoque sapientissimis quoque abscondita manserit. *„Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent“* (6. 7. 8). Itaque duplicem Apostolus sapientiam distinguit easque sibi invicem opponit. Altera est huius saeculi, principum huius saeculi, qui destruuntur, i. e.: scientia ab hominibus huius saeculi inventa, de rebus huius saeculi vel veritatibus naturalibus agens, per humanas rationes procedens; in qua principes huius saeculi excellunt, sive hoc nomine philosophi ethnici, sive docti et eruditi Iudaei, sive daemones sive hi omnes designantur; pro subiecta materia certe intelligendi sunt, qui sapientia naturali praestant; denique cum hoc saeculo sapientia illa est peritura. Altera vero est longe sublimior, non est huius saeculi neque principum huius saeculi, sed a Deo originem ducit, de rebus divinis agit, per rationes divinitus revelatas procedit, abscondita est, in mysterio posita, humanae rationi naturaliter impervia; nobis autem Deus revelationem eius praedestinavit in gloriam; quare,

sicuti haec, est aeterna. Quae dotes si considerentur, iam dubitari non potest, ab Apostolo tamquam obiectum sublimis istius sapientiae veritates exhiberi, quae naturalem hominis cognitionem absolute excedant.

Verum expressius eandem doctrinam Apostolus ex- 19.
hibet atque confirmat alio Scripturae testimonio: *„Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit iis, qui diligunt illum“* (9). Alludit hac sententia ad verba Isaiae: *„A saeculo non audierunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quae praeparasti exspectantibus te“* (64, 4). Iamvero expressio *in cor ascendere* attento usu loquendi Scripturae nihil aliud significare potest, quam animum subire. (cf. Is. 44, 18; Gen. 6, 5; Ps. 32, 11; 48, 2: Ierem. 3, 16; 19, 5; 32, 35; 51, 10; Is. 65, 17; Act. 7. 23). Quo posito facile intelligitur Apostolum omnem bonorum et veritatum, de quibus agit, naturalem cognitionem penitus excludere. Etenim sicuti per verba: *oculus non vidit* omnis sensibilis eorum vel experimentalis cognitio excluditur atque per verba: *auris non audivit* omnis perceptio per testimonium humanum removetur, ita iam per verba: *nec in cor hominis ascendit* omnis etiam earum per cogitationem mentis accepta notitia impossibilis declaratur; nulli autem alii naturalis cognitionis fontes supersunt; ergo.

Sed nova adhuc et manifestior veritatis confirmatio ex 20.
iis resultat, quae Apostolus addit rationem aperiens, propter quam veritates illae absconditae sint atque homini imperviae. *„Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum novit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei“* (11). Itaque cum antea magis factum inculcasset, veritates illas sive coelestem illam sapientiam ab hominibus atque etiam principibus eorum ignorari, ignorantiae eiusdem rationem explicans declarat, solum Spiritum sanctum naturaliter sapientiam illam possidere, quia solus, utpote Dei Spiritus, profunda Deitatis scrutari potest i. e.

contemplando penetrare. Quare omnibus aliis etiam perfectissimis creaturis ipsam huius cognitionis facultatem naturalem plane negat. Evidenter igitur Apostolus veritatum ordinem adstruit, cuius cognitio non solum hominis, sed omnium creaturarum vires naturales tam longe excedit, ut nulla creatura nisi per supernaturalem revelationem ad eam pervenire possit.

21. Denique Apostolus quasi supernaturalem illarum veritatum indolem adhuc clarius ostensurus declarat, easdem quemadmodum ab iis solis, qui Spiritum Dei acceperunt, praedicari possunt, ita ab iis quoque solis, qui ab eodem Spiritu illustrantur, sibi appropriari et quadantenus intelligi posse. „*Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis; quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes* (i. e. veritatibus a Spiritu communicatis verba ab eodem Spiritu suggesta adaptantes). *Animalis autem homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia.*“ (12.—15.) *Animalem* hominem S. Paulus *spirituali* opponit; illum incapacem dicit doctrinam spiritualem recipiendi et intelligendi: huic autem eam facultatem tribuit. Iamvero spiritualis homo (πνευματικός) ex usu loquendi Scripturae universim, imprimis autem ipsius Apostoli est, qui gratia sanctificante ornatus et a Spiritu Dei illuminatus est et regitur; (cf. Rom. 8, 1; 1. Cor. 12, 1; 14, 2; 2. Cor. 3, 6. 8; Gal. 3, 3.-5. 14; 5, 22; Phil. 1, 19; 2, 1; 3, 3; 1. Thess. 5, 19; 1. Tim. 3, 16 etc.); animalis vero homo (ψυχικός) est, qui naturali tantum vita fruitur atque sola ratione sua naturali regitur. (1. Cor. 2, 14; 1. Cor. 15, 44; Jac. 3, 5; Jud. 19). Quare illis verbis Apostolus declarat facultatem, qua veritates illas amplectimur nobisque appropriamus atque quadantenus intelligimus, esse prorsus supernaturalem; cum Spiritu Dei enim per eam unimur atque hac ratione per eandem illa nobis revelantur, quae abscondita sunt in

profundis Dei ideoque naturali rationi suis viribus relictae stulta apparent. Quibus omnibus iam manifestum prorsus est illas veritates ita rationem naturalem excedere, ut non tantum ab eadem inveniri nequeant, sed etiam cum revelatae sint, homini naturaliter spectato imperviae atque indemonstrabiles maneant atque sola fide teneri et solo lumine divino quadantenus intelligi possint. Ex doctrina igitur S. Pauli revelatio hominibus facta mysteria stricte dicta continet.

b) Eandem doctrinam Christus Dominus ipse proposuit 22.
Matth. 11, 25. 26.: „*Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui Filius voluerit revelare.*“ Quamvis enim hic sapientes et prudentes superbi intelligendi esse videantur, non tamen superbia tamquam sola vel propria ratio exhibetur, cur illa veritas (Paternitas et Filiatio divina) hominibus abscondita sit. Tamquam propria ratio potius assignatur, quod cognitio eiusdem veritatis Deo soli propria sit atque naturalis. Quamvis igitur parvuli humiles intelligendi sint et humilitas tamquam conditio exhibeatur, sino qua ad cognitionem illius veritatis perveniri non possit, medium tamen unicum, quo quis ad cognitionem illam pervenire queat, sola declaratur esse revelatio.

c) Denique testimonium veritatis, de qua agitur, S. Io- 23.
annes quoque exhibet. Rationem enim, cur per Christum tantum veritas et gratia nobis factae sint, his declarat verbis: „*Deum nemo vidit unquam; Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*“ (Ioan. 1, 18.) Quemadmodum igitur Apostolus asseverat, solum Spiritum, qui profunda Dei scrutatur, divina nobis mysteria revelare posse, ita evangelista quoque testatur, solum Filium Dei dona revelare potuisse pretiosa, quae nobis Deus in Christo donavit. Iamvero, quae personae, quae profunda Dei scrutantur vel in sinu Patris sunt, solae scire atque revelare possunt, ea mysteria sunt, quae non solum intellectum humanum, sed angelorum quoque vires naturales prorsus excedunt; ergo.

24. 2. *Ex ss. Patrum doctrina.* — a) Cum SS. PP. quavis aetate existentiam et revelationem mysteriorum ut rem certissimam vel supponerent vel diserte profiterentur, praecipua tamen occasio hoc caput doctrinae revelatae explicandi atque vindicandi extitit diuturnum Ecclesiae adversus Arianos et nominatim Eunomianos bellum. Haeretici enim isti absurda arrogantia sibi intuitivam atque comprehensivam divinae essentiae cognitionem vindicaverunt eo potissimum scopo, ut dogma catholicum de Trinitate personarum in una natura divina subsistentium e medio tollerent. Si enim perfectam Dei prouti est in se cognitionem habeamus, nihil in ipso esse potest, quod humanam intelligentiam fugiat vel excedat. Sed nullatenus intelligimus subsistentiam trium personarum in una essentia divina; ergo, ita iam concludebant haeretici, nec est nec esse potest Trinitas personarum divinarum, qualem Ecclesia catholica profitetur. Iam SS. PP. ad sophisticam hanc atque absurdam haereticorum argumentationem repellendam ipsum eius fundamentum diruentes assertionem illam de intuitione et comprehensione divinae naturae tum ex revelatione tum ex ratione falsitatis atque absurditatis convincunt. Atque hac ratione via complanata ad adstruendam doctrinam catholicam de veritatibus superrationalibus nominatim mysterio SS. Trinitatis, eam ipsam doctrinam iam ex fontibus revelationis exposuerunt et demonstrarunt. Vel etiam vice versa ex fontibus revelationis directe demonstrarunt revelatas nobis esse divinitus veritates, imprimis Trinitatis mysterium, quae humanae rationi plane imperviae sunt, atque inde falsitatem principii haereticorum ostenderunt. Conveniebant igitur SS. PP. cum haereticis in eo, quod dogma SS. Trinitatis aliaque mysteria ratione naturali intelligi non possunt; sed contra eos statuebant et demonstrabant, non ex philosophia solum, sed ex revelatione Dei, ex fide ecclesiae hauriendum esse, quid de Deo divinisque rebus credendum sit. Itaque SS. Patribus non modo certa erat existentia mysteriorum; sed ex ipsa hac veritate tamquam certissimo principio alia quoque fidei catholicae capita de-

fenderunt atque explicarunt. Atque ita contra Eunomianos egerunt *s. Basilius* et *Gregorius Nyssenus* in suis contra Eunomium libris, *Gregorius Naz.* praesertim in oratione 1. theologica, *Cyrillus Hieros.* in catechesi 6., *Epiphanius* haeres. 76, *Chrysostomus* in homiliis quinque de incomprehensibili Dei natura, *Cyrillus Alex.* in thesauro aliique.

b) Ut vero distinctius pateat, quam certissima sit hac in re Traditionis doctrina, aliorum praeter nominatos Patrum diserta aliqua testimonia referre expedit. Itaque iam *S. Irenaeus* declarat mirum non esse, mysteria in revelatione de Deo facta contineri, cum in ipsa natura multa nobis impervia maneant: „Et non est mirum, si in spiritualibus et coelestibus et in his, quae habent revelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam horum, quae ante pedes sunt, (dico autem, quae sunt in hac creatura, quae et contrectantur a nobis et videntur et sunt nobiscum), multa fugerunt nostram scientiam et Deo haec ipsa committimus." (l. 2. c. 18. n. 2.)

S. Ephraem Syri collectio orationum exstat, quas **26.** contra eos habuit, qui mysteria fidei, nominatim Filii generationem, superbe et audacter scrutantes in errores inciderunt atque ecclesiam turbarunt; in quibus orationibus clarissime doctrinam catholicam proponit atque eadem ratione ac Irenaeus illustrat: „Generatio Filii Dei supra omnem mentis humanae vim et aciem assurgit" (or. 1). „Attamen etsi anima suum sub aspectum non cadit, speculum tamen ipsa sibi data est, in quo se videat; videbit autem, si tandem intelliget mutis animantibus se longe praestare . . . Quae in propriis haesitat et labitur, quidnam extra se persequendo assequatur aut inveniat quaeritando non sua? Itane quae ipsa sibi praesens non est, praesentem habeat absentem, abditum illum, retrusum et impenetrabili caligine circumseptum? Sed agedum si mens nostra seipsam nescit, scientis omnia generationem cogitare, quo pacto sibi fas esse putet?" (ib.) Deinde beatos illos praedicat, qui mysteria divina fide amplectantur, quin ea velint ratione comprehendere: „Beatus, qui, quod assequi se posse novit,

conatur et agitat; beatus, qui eo tendere recusat, quo se perventurum desperat." (or. 2.) „Beatus, qui novit, Domine, te quidem in sinu esse divinitatis: se autem cecidisse recogitat in sinum terrae matris suae." (or. 3.) „Cum ergo Spiritus de Filio dicat: Generationem eius quis enarrabit? (Is. 53. 8) audeatne humana mens transilire terminum, quem, cum Spiritus attigisset, conticuit." (or. 5.)

27. *S. Ambrosius* conqueritur, quod per philosophiam fides corrupta sit atque inde originem haeresis arianae repetit, quod generationem aeternam ut naturalis scientiae problema considerarint, quare exaggerando paulisper: „Elaborandum est, inquit, ut in hoc saeculo stulti simus. Nihil nobiscum philosophia: ne fidem nostram per elementa huius mundi traducat a vero; ne quis assertionem nostram per philosophiam depraedetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognoscimus; dum Christi generationem putant usu huius saeculi colligendum (?. am). Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem." (In ps. 118 s. 22, c. 10.)

28. *S. Hilarius* de incarnatione agens enixe inculcat, Deum divinaque opera a ratione humana non posse plene intelligi atque idem humanae rationi mysteria scrutanti accidere, quod oculo corporali in solem obtutum figenti accidere solet: „Aedificationem Dei in fide esse (docet Apostolus 1. Tim. 1, 3. 4.), ut humanae verecundiae modum fideli omnipotentiae Dei religione concludat, neque se infirmitas nostra ad perspicienda ea, quae perspiciendi naturam hebetant, extendat. Quod si contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis lucis solertius acies curiosae contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videri, ne videas; quid nobis in Dei rebus et in Sole iustitiae expectandum est? Nonne incumbet volentibus supersapere stultitia? Nonne ipsum illud acre intelligentiae lumen stupor hebetis desipientiae occupabit? Non enim natura inferior causam naturae potioris intelliget, nec subiacet humanae conceptioni ratio coelestis. Nam intra conditionem infirmi-

tatis erit, quidquid infirmi conscientiae subditur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas . . . Est ergo in Deo, quod percipi potest: est plane, si modo, quod potes, velis. Sicut enim est in sole, quod videas, si hoc velis videre, quod potes; amittes autem, quod potes videre, dum quod non potes, niteris: ita et in rebus Dei habes, quod intelligas, si intelligere, quod potes, velis. Ceterum si ultra, quam potes, speras, id quoque, quod potuisti, nosse non poteris. — Nondum intemporalis nativitatis illius sacramentum movebo; competentis loci est ille tractatus. Interim mihi assumtae carnis mysterium in verbis est." (De Trin. l. 10. n. 53. 54.) Qua comparatione alii quoque SS. PP. utuntur.

29. *S. Augustinus* quoque non semel declarat, superrationalia dogmata in revelatione christiana contineri. Ita v. g. de Trinitate agens: „Quis disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet, ut alia iam taceam, hoc unum, quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas." (De Trinit. l. 15. c. 6.) Et *Hieronymus* de eodem Trinitatis mysterio agens, quod naturalem rationem attinet, confitetur: „De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae." (Prooem. ad l. 18. in Is.; cf. com. in Eph. l. 2. c. 3.) Denique cum pluribus aliis ss. Patribus *S. Leo* vel qui alius est auctor de vocatione gentium declarat, per fidem nobis de multis circa Deum quidem constare, *quid* sint, ignorari vero de multis *cur* sint vel *quomodo* sint: „Multa sunt in dispensatione divinorum operum, quorum causis latentibus, soli monstrantur effectus, ut cum pateat, quod geritur, non pateat, cur gératur, negotio in medium adducto et in occultum ratione subducta, ut in eadem re et de inscrutabilibus praesumtio comprimatur et de manifestis falsitas refutetur" (l. 1. c. 14.).

30. Atque hoc iterum ex cognitione creaturarum confirmant, ut iam supra laudatus *Ephraem Syrus,* qui similitudine addita rem pulchre illustrat: „Geminas habet Unigenitus facies, alteram occultam, conspicuam alteram, nec ista

velatur, nec illa prostat sensibus aut ratione tenetur . . . . Illius intuere Patrem, duas item habere facies deprehendis, indeque factum, ut nemo hunc esse non teneat, qualis autem idem sit, nemo non ignoret, adeo abditus ille est ac retrusus." (Adv. Scrut. III. serm. 3.) — „Quam verius ipsum hoc iudicium de illarum Opifice eiusque Unigenito ferendum sit? utrumque igitur tibi certum ratumque sit, tum geminas illas habere notiones, alteram manifestam, arcanam alteram, tum idcirco in ambobus secernenda esse, quae nostram intelligentiam non fugiunt, et quae abdita et abstrusa sunt, ut omnes mentes supereffluant: scilicet notissimum esse, illos esse, qui autem et quales sint, ignotum usque mansurum." (ibid.) „Uti enim ipse, cuius nutu crevit mundus, in obscuro delitescit; sic opera eius nostram intelligentiam fugiunt, nec ea solum modo, quae per se abdita sunt et retrusa, sed etiam, quae nostris undique sensibus se offerunt et percipiuntur. Adeo nec ea, quae reperit, nostrae facultatis est comprehendere, nec ea coniectare, quae reperire potest: ille dumtaxat Unigenitus, qui in eius conditur sinu, operum eius modum et numerum novit: scilicet cum ipse idem abditus sit et manifestus, abdita et manifesta tenet: Cui autem Sapientiae aedem vix e limine inspicere licuit, quem finges ad altissimos eius fontes perveniendi aditum?" (ibid.)

31. *3. Ex consensu theologorum.* — Doctrinae Scripturae atque Patrum testimoniis accedit unanimis theologorum sententia, qui moraliter omnes tamquam certissimam doctrinam tradunt, in revelatione christiana vere et proprie dicta mysteria contineri, nominatim vero subsistentiam trium personarum in una natura divina tale mysterium habendum esse. Conferantur commentarii in Magistrum sententiarum (l. 1. dist. 3.) et in s. Thomam (1. p. q. 32. a. 1.) necnon praesertim Suarez l. 1. c. 11. 12. et Vasquez in 1. p. disp. 133.

32. *4. Ex declaratione S. P. Pii IX.* — Cum *S. P. Pius IX.* in epistola ad Archiepiscopum Monac. 11. Dec. 1862 doctrinam catholicam egregie et fortiter contra novatores Semi-

rationalistas in Germania vindicans factam argumentationem compendio fere referat, eius declarationem praestat hic adiicere: „Cum haec dogmata (quae supernaturalem hominis elevationem ac supernaturale eius cum Deo commercium respiciunt) sint supra naturam, idcirco naturali ratione ac naturalibus principiis attingi non possunt. Nunquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad huiusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea. Quod si haec isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet doctorum opinione, sed a communi et nunquam immutata Ecclesiae doctrina recedere. Ex divinis enim Litteris et sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam multasque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit, *mysterium quod absconditum fuit a saeculis et generationibus* (Col. 1, 26) et ita quidem, ut postquam *multifariam multisque modis olim locutus esset patribus in prophetis, novissime nobis locutus est in Filio, per quem fecit et saecula* (Hebr. 1, 1. 2) . . . *Deum enim nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*" (Ioann. 1, 18.) Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens de *gratia et veritate* (Ioann. 1, 17), *quae per Iesum Christum facta est, „loquimur,* inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est . . . quam nemo principium huius saeculi cognovit . . . nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*" (1. Cor 2, 7. 8. 10. 11). Hisce 33.
aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis, ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum Sanctum fide suscipitur, et constanter docuerunt, per hanc ea nobis in Christo revelari

mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam angelicam naturalem intelligentiam transcendunt quaeque, etiamsi divina revelatione innotuerint et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino. Ex his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse obiectum naturalis scientiae seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire" (Denz. n. 1673). Iterum dein idem Pontifex eundem Semirationalismi errorem reiecit in Syllabi prop. 9. (Denz. 1709).

Corrollarium.

34. *Rationalistarum doctrina de rationis respectu veritatis autonomia reiicitur.* — Autonomia rationis, quae a Rationalistis absurde asseritur, iam supra (thes. 10. n. 14. 15.) reiecta est, quatenus ratio fons atque norma obligationis moralis atque religionis dicitur. Quatenus vero eodem systemate ratio humana asseritur esse fons et norma omnis veri, ex huius thesis demonstratione absurdum esse perspicitur. Idem vero propriis argumentis efficere propter maiorem rei evidentiam praestat. Itaque

1. Norma et fons omnis veri non est nisi veritas ipsa, veritas igitur vel intellectio subsistens; ex participatione enim ipsius veritatis omnia alia vera sunt. Veritas subsistens autem necessario infinita est; ratio humana vero multipliciter limitatur; ergo ratio humana non est fons et norma omnis veritatis. Ad rem *S. Thomas:* „Omne, quod convenit alicui per participationem, prius est in aliquo substantialiter . . . anima autem humana est intellectiva secundum participationem . . . oportet igitur esse aliquid superius anima, quod sit intellectus secundem totam

suam naturam, a quo intellectualitas animae derivatur, et a quo eius intelligere dependeat." (Qq. disp. q. unic. de spir. creat. a. 10).

2. Absurdum est in fonte et norma veritatis vel in ipsa veritate esse dubitationem, errorem, ignorantiam: atqui ratio humana multiplici dubitationi, errori, ignorantiae obnoxia est; ergo.

3. Norma omnis veritatis vel ipsa veritas est necessaria 35.
et immutabilis; ratio autem humana est contingens et mutabilis atque ipsa sua cognitione continuo actu mutatur; ergo. „Necesse est, inquit *S. Thomas*, quod ante omne mobile inveniatur aliquid immobile secundum motum illum . . . Ipsum autem intelligere animae humanae est per modum motus. Intelligit enim anima discurrendo ex effectibus ad causas et de causis in effectus et de similibus in similia et de oppositis in opposita . . . oportet ergo esse supra animam aliquem intellectum, cuius intelligere sit fixum et quietum absque huiusmodi discursu." (ib.)

4. Fons et norma veritatis non potest esse nisi intellectus absolutus vel purus intelligendi actus; atqui anima humana evidenter non est purus intelligendi actus; sed de potentia transit in actum; ergo non est norma omnis veritatis. Accommodate iterum *S. Thomas*: „Necesse est, quod licet in uno et eodem potentia sit prior quam actus, tamen simpliciter actus praecedit potentiam in altero et similiter ante omne imperfectum necesse est esse aliquid perfectum. Anima autem humana invenitur in principio in potentia ad intelligibilia et invenitur imperfecta in intelligendo, quia nunquam consequetur in hac vita omnium intelligibilium veritatem. Oportet ergo supra animam esse aliquem intellectum semper actu existentem et totaliter perfectum intelligentia veritatis." (ib.)

5. Denique ratio humana diversa est in singulis hominibus atque iudicia diversorum hominum sunt opposita atque contradictoria; atqui absurdum est in ipso fonte atque norma veritatis opposita et contradictoria inveniri; ergo.

Scholia.

36. *1. De aliquali mysteriorum intelligentia.* — Quamvis mysteria, quae sunt stricte talia neque ratione naturali demonstrari, neque revelata ad instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt, explicari vel intelligi possint, attamen ratio humana fide illustrata, ut iam supra (th. 15. n. 3.) ex concilio Vaticano notatum est, aliquam saltem eorum eamque fructuosissimam intelligentiam assequi potest, et quidem duplici praesertim vel triplici via: primo ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, secundo ex mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo, tertio ex comparatione vel compositione cum veritatibus rationalibus.

a) Rationem primae viae mysteria aliquatenus intelligendi vel illustrandi explicat *S. Thomas*: „Res quidem sensibiles, ex quibus humana ratio cognitionis principium sumit, aliquale vestigium in se divinae imitationis retinent, videlicet quod sunt et bonae sunt, ita tamen imperfectum, quod ad declarandam ipsius Dei substantiam omnino insufficiens invenitur . . . Humana igitur ratio ad cognoscendam fidei veritatem, quae solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquas veras similitudines colligere, quae tamen non sufficiunt ad hoc, quod praedicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur" (C. g. l. 1. c. 8). Hac ratione unio hypostatica Verbi divini cum humana natura ex unione inter animam et corpus et ex filiatione humana Filiatio divina tum naturalis tum gratuita vel adoptiva illustrari solet.

37. b) Quod secundam viam mysteria quadantenus intelligendi attinet, animadvertendum est, mysteria religionis christianae non esse tantum singulares quasdam disparatas veritates; verum mirabile systema constituunt, sublimem ordinem, mundum supernaturalem atque coelestem. Miro enim modo cum invicem connectuntur, ita ut unum fere ex altero consequatur vel saltem illustretur. Mysterium SS. Trinitatis tamquam fons et exemplar ceterorum appa-

ret: sicuti enim in mysterio illo communicatio naturae divinae ab una persona ad aliam habetur, ita etiam aliquo quamvis diverso modo in Incarnatione, in Filiatione adoptiva communicatio quaedam divinae naturae invenitur. Verum SS. Trinitas finis quoque quodammodo ceterorum mysteriorum est; ad hoc enim Incarnatio, gratia, gloria tendunt, ut ita divina, quae intra ipsum Deum in tres personas se explicat, creaturis, quantum fieri potest, in participationem communicetur.

c) Denique tertius modus videtur addi posse, quo mysteria aliqualiter explicari et intelligi possint, compositio sc. vel comparatio cum veritatibus rationalibus. Etenim non raro ostendi potest, ex mysterio revelato veritatem aliquam naturalem profundius explicari; vel ex probabili veritate naturali mysterium deducitur. Priore ratione *S. Thomas* mysterium SS. Trinitatis explicat (S. th. 1. p. q. 32. a. 1 ad 2.); altera *S. Anselmus* ex sententia, Deum peccata, nisi condigna ipsi satisfactio praestetur, non esse condonaturum, Incarnationis necessitatem illustrat (in opusc. *Cur Deus homo*).

Talem autem mysteriorum quantamcunque intelligen- 38.
tiam utilem esse atque desiderandam evidens est; quare SS. Doctores et Patres hortantur, ut mysteria pie et submisse credentes, aliquam tamen eorum, quantum fieri potest, intelligentiam assequi conemur. „Utile est, inquit *S. Thomas*, ut in huiusmodi rationibus quantumcunque debilibus se mens humana exerceat: dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi praesumtio; quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere iucundissimum est. Cui quidem sententiae auctoritas *Hilarii* concordat, qui sic dicit (de Trinit. l. 2. n. 4.) loquens de huiusmodi veritate: „Haec credendo incipe, percurre, persiste: et si non perventurum sciam, gratulor tamen profecturum. Qui enim pie infinita prosequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo. Sed ne te inseras in illud secretum et in arcanum interminabilis veritatis non te immergas, summam intelli-

gentiae comprehendere praesumens, sed intellige incomprehensibilia esse." Et *S. Augustinus* testatur: „Cur ergo sic quaerit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quaerit, etsi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod et inveniendum quaeritur et quaerendum invenitur. Nam et quaeritur, ut inveniatur dulcius, et invenitur, ut quaeratur avidius" (de Trinit. l. 15. c. 2).

39. 2. *Obiectiones solvuntur.* — 1.) Omne ens est cognoscibile: ergo mysteria non existunt. — *R. D.* antecedens: intrinsecus intelligibile *c.* — extrinsecus *sbd.*: ex parte intellectus finiti *n.* — infiniti *c.* — *Instant:* Atqui ex parte intellectus finiti, imo humani; nam omne ens est obiectum adaequatum et formale intellectus humani. — *R. n.* min. subs.; ad probationem *d.*: ita, ut omne ens ab eo cognoscatur *n.* — ita, ut in omni actu cognoscatur aliquod ens et ut omnia entia aliquo modo cognosci possint *sbd* · si rite proponantur *c.*, secus *n.* — Videlicet adagium: *Obiectum adaequatum intellectus humani est ens* refertur ad intellectum humanum *absolute consideratum* vel facta praecisione tum a connaturali unione cum corpore tum a modo connaturali agendi per vires sibi debitas. Consequitur igitur ex illo adagio cognitionem cuiuslibet veritatis naturae intellectus non adversari, ut v. g. sensibus repugnat spiritualium cognitio; non autem sequitur intellectum humanum naturaliter ad omnem veritatem cognoscendam pervenire posse.

40. 2.) *Bayle* obiicit: Mysteria sunt contra rationem; nam contra rationem est, quod ipsi non est conforme; atqui mysteria sunt supra rationem et proinde eidem non conformia. — *R. N.* assert.; ad rat. addit. *d.*: quod non est conforme ita, ut sit positive difforme *c.* — quod non est conforme, quia non est proportionatum *n.* — „Illud idem, inquit *S. Thomas*, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus

sit auctor nostrae naturae. Haec ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis huiusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium, non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturalia rationi esse contraria" (C. Gent. l. 1. c. 7).

3) Mysteria credi non possunt; ergo nec revelari Pro- 41.
batur anteced.: nam aut manifestantur intellectui aut non; si manifestantur, non sunt amplius mysteria; si non manifestantur, actus fidei caecus est et proinde intellectui repugnans. — *R. N.* anteced.; ad prob. *d.* mai.: sive extrinsecus et imperfecte, sive intrinsecus et perfecte *c.* — tantum intrinsecus et perfecte *n.* — *d.* min. 1. p.: si manifestantur intrinsecus et perfecte *c.* — si manifestantur extrinsecus et imperfecte *n.* — *d.* min. 2. p.: si nihil manifestatur *c.* — si modus quidem lateat, pateat tamen factum et auctoritas Dei *n.* — Solutio manifesta est ex dictis. Ceterum, ut etiam iam supra dictum est, mysteriorum quoque internae rationis aliqualis cognitio possibilis est atque ab ipsa revelatione suppeditatur.

Articulus secundus.

De necessitate revelationis.

Thesis 16. Divina revelatio veritatum religionis naturalis in praesenti generis humani conditione moraliter necessaria est in eum finem, ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint.

Cf. *Wilmers*, th. 24, p. 82—3 — *Ottiger* I, p. 91 ss — *Hettinger*, p. 147 ss. — *Granderath*, Const. dogm. Conc. Vat. p. 78 ss. — Z. f. k. Th. 1882, p. 283 ss. —.

Declaratio.

1. Doctrina catholica de revelationis necessitate. — Vera 1.
de revelationis necessitate doctrina a *Concilio Vaticano* proponitur: „Huic divinae revelationi tribuendum quidem est,

ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant" (cap. 2. de revel. Denz. 1786.). Itaque secundum Ecclesiae doctrinam alia est necessitas revelationis veritatum religionis naturalis et alia necessitas revelationis veritatum superrationalium. Quare prior in praesenti thesi, altera in sequenti explicatur.

2. 2. *Sensus thesis accuratius definitur.* — Ut multiplici ambiguitati aditus praecludatur, prae oculis habita Concilii Vaticani declaratione modo relata sensus praesentis thesis ita circumscribitur:

a) Revelatio necessaria dicitur non ad quamcumque religionis naturalis cognitionem acquirendam, sed ad eam quae perfectae atque certae cognitionis nomen meretur. Ut autem perfecta censeatur, plerasque religionis naturalis veritates complecti debet.

b) Necessitas ad hunc finem assequendum asseritur moralis; impotentia igitur moralis in hominibus adstruitur i. e. tot et tantis difficultatibus homines universim in cognoscenda religione naturali impediuntur, ut ratione habita modi agendi hominum certo ad cognitionem illam non perveniant sine speciali Dei auxilio. Non igitur impotentia physica adstruitur vel talis, qua homo careret potentia interna physica vel aliquo externo physice necessario requisito ad illam cognitionem assequendam.

c) Necessitas adstruitur pro humano genere universim spectato, non pro singulis quibuscunque hominibus. Non igitur negatur, quosdam homines existere posse, qui tam egregiis naturae dotibus ornati sint, ut morali illa impotentia non laborent. Quare relativa quoque eadem necessitas est i. e. diversa pro diversis hominibus.

d) Denique revelationi ea necessitas non ita tribuitur, quasi sola revelatione, prouti facta est in hoc ordine impotentiae dictae morali succurri possit: etenim alia quoque praesidia excogitari posse videntur, quibus Deus homini subvenire valeat; sed eo sensu revelatio eadem necessaria esse affirmatur, quod ipsa de facto praesidium a Deo prae aliis electum constituit.

3. Oppositi errores. — Doctrina catholica media inter- 3.
cedit inter errores Rationalismi et Traditionalismi. Rationalistae sicuti possibilitatem revelationis, ita quoque a fortiori necessitatem eiusdem negant. Traditionalistae, ut *De Bonald, Bonetty, Ventura*, excessu peccant asserentes hominem non tantum morali, sed physica etiam impotentia laborare, quin ad necessariam religionis naturalis cognitionem perveniat. - Traditionalistis praeiverat *Lutherus*, qui ita humanam naturam depressit, ut asserere non erubesceret, adeo eandem peccato originali esse corruptam, ut ex se sit physice impotens cognoscendi et operandi quodvis bonum morale. — Traditionalismus in praesenti thesi non directe reicitur, tum quia falsitas eius iam constat ex thesi 10, tum quia alibi ex professo de hoc errore ab Apostolica sede proscripto agendum est.

4. De radice impotentiae mentis cognoscendi congrue 4.
religionem naturalem. — Si quaeratur, unde moralis illa impotentia generis humani proveniat, respondendum est, *primo* in ordine historico esse peccatum originale; sequela enim peccati originalis fuit privatio scientiae infusae, qua perfecte omnino cognoscebatur religio naturalis. In ordine autem ontologico *secundo* radix est imperfectio humanae naturae in se consideratae: per peccatum enim originale nulla dona naturalia homini ablata sunt. Quia autem impotentia eadem in ipsa naturae humanae imperfectione fundatur, dicenda est antecedens, non consequens, i. e., malum usum liberi arbitrii singulorum hominum praecedit, non simpliciter consequitur, quamvis per peccata augeri possit vel reipsa saepe augeatur. Quae ex ipsa demonstratione manifestiora sunt.

Demonstratio.

5. *1. Probatur argumento S. Thomae ex Summa c. g. l. 1. c. 4.:* „Hoc autem (revelationem esse necessariam), inquit, de illa (veritate) primo ostendendum est, quae inquisitioni rationis pervia esse potest, ne forte alicui videatur, ex quo ratione haberi potest, frustra id supernaturali inspiratione credendum traditum esse. Sequerentur tamen tria inconvenientia, si huius veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem impediuntur propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indisposita ad sciendum. Unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. — Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. — Quidam autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum, quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, cum fere totius philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter quod metaphysica, quae circa divina versatur, inter philosophiae partes ultima remanet addiscenda. — Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest; quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cuius tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum."

6. „Secundum inconveniens est, quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter huiusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis nonnisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quae prae-

exiguntur, ut dictum est; tum propter hoc, quod tempore iuventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in septimo Physicorum. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiae tenebris; cum Dei cognitio, quae homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret."

„Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis 7.
humanae plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in iudicando, et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed alíqua probabili vel sophistica ratione asseritur, quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi."

„Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam, quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet; ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse et absque dubitatione et errore."

Paulo aliter idem fere argumentum struitur.

2. Ex indole cognitionis religiosae requisitae. — Co- 8.
gnitio religionis, ut fini suo sit congrua, debet esse universalis, certa et efficax atque immunis ab errore; atqui ad huiusmodi cognitionem obtinendam humano generi revelatio moraliter necessaria est; ergo revelatio religionis naturalis humano generi moraliter necessaria est.

Probatur maior: a) Cognitio religionis debet esse *universalis* tum subiective, tum obiective, tum tempore: subiective universalis, quia omnes homines religionem exercere debent; obiective universalis i. e. complecti debet plerasque saltem veritates religionis naturalis, nam primo ut cultus

Deo redditus congruus sit, homo nosse debet, quis sit colendus, ob quas rationes et quomodo coli debeat; secundo: ut homo congruo modo finem attingat, satis plenam ipsius finis atque meliorum ad ipsum conducentium cognitionem habere debet; homo enim ut ens liberum et intelligens in finem suum tendat oportet: tertio: ut homo in congruo versus Deum ordine sit, ea legis naturalis cognitione instructus esse debet, quae ad praecepta primaria non restringatur, sed ad alia quoque, ad ea saltem se extendat, quae conditioni suae propria sunt. Denique tempore quoque debet esse universalis, quia religionis officia, cum homo ad rationis usum pervenit quovis tempore urgent. „Non studendum, inquit *Lactantius,* est sapientiae, quod fine et modo careat, sed sapiendum est et quidem mature. Non enim nobis altera vita conceditur, ut cum in hac sapientiam quaeramus, in illa sapere possimus, in hac utrumque fieri necesse est; cito inveniri debet, ut cito suscipi possit, ne quid pereat ex vita, cuius finis incertus est." (Div. instit. l. 3 c. 16.)

9. b) Cognitio eadem debet esse *certa et efficax;* etenim quamvis etiam cum sola probabilitate homo possit rationabiliter saepenumero operari, attamen operatio non poterit esse constans nec invicta in difficultatibus, nisi circa plura saltem religionis capita homo plena certitudine fruatur. Ita v. g. homo debito modo et cum debita constantia Deum colere non poterit, nisi certe sciat Deum existere, quamvis forte aliquis Dei cultus sine illa certitudine subsistere aliquando possit. Similiter loquendum sane est de cognitione finis, immortalitatis animae, retributionis pro bona vel mala vita post mortem in altero mundo exspectandae; nisi certa sit talis cognitio, hominem non satis incitat ad prosequendum finem, potius enim homo anxiabitur et haesitat, ne frustra conetur et laboret. Imprimis autem, ut homo in difficultatibus et laboribus constantem et infractum animum servet, certus esse debet, peccatori non poenitenti statutam esse atque praeparatam poenam aeternam; etenim quamvis poenae aeternae reus fieri aliquis possit, etsi ipsam non

certo noverit, non tamen probabili tantum eiusdem cognitione vel aliqua suspicione tam efficaciter ad mandata Dei servanda impelletur, quam per cognitionem eiusdem certam.

c) Tandem eadem cognitio debet esse *immunis a foedis erroribus*. Religio enim, quae de Deo deque cultu eius atque praeceptis falsa docet, Deo dedecori est atque hominum facile corrumpit mores, quippe qui Deum ipsum pro ultima norma habent. Et certe error quoque, qui non versetur circa ipsum Deum, religionem defoedat; religio enim ea profecto dedecus affert, quae vana aut superstitiosa exercitia praescribit vel in interpretanda lege divina turpes errores committit. Accedit, quod si tales errores dein detegantur, facile verae quoque persuasiones simul abiicientur atque omnia nutabunt.

Probatur minor, sc. absque revelatione talis religionis naturalis cognitio humano generi moraliter impossibilis est. Etenim a) eiusmodi cognitio non potest a singulis hominibus proprio conatu atque labore acquiri. Et certe *primo*: plerique a tali labore prorsus impediuntur, alii per defectum ingenii, alii per occupationes terrenas ad vitam sustentandam necessarias, alii per segnitiem et desidiam. Iam igitur deficeret universalitas illius cognitionis. — *Deinde* etsi in paucis omnia illa impedimenta desint, attamen tales quoque homines post longum tantum tempus requisitam religionis naturalis cognitionem acquirere possent, quod eo magis dicendum est, quia iuvenilis aetas ad eiusmodi scientiam acquirendam minus idonea invenitur; studium enim requiritur difficile, altum, longum sibi tempus postulans. — *Denique* neque in paucis istis cognitio religionis quoad plura quoque et praecipua capita ab errore immunis esset nec certa nec efficax, quod ex difficultatibus et impedimentis eiusmodi cognitionis intelligitur atque ab ipsa historia philosophiae luculenter confirmatur. 10.

b) Absque revelatione genus humanum non potest a paucis in religione congruo modo edoceri. Nam dato paucos studio suo naturaliter ad perfectam religionis naturalis cognitionem pervenire, attamen *primo*: Philosophi qua tales 11.

non auctoritate sed rationibus atque argumentis docent, quae methodus doctrinae populo accommodata non est: eadem enim in ipsa incommoda offenduntur, quae modo supra pro studio singulorum notata sunt. — *Praeterea* philosophi, si auctoritate docere velint, non tamen possunt; carent enim auctoritate, qua populum moveant, ut ab ipsis discat. Et certe cum nullus sit titulus eiusmodi auctoritatis, qui in populum indoctum et rudem aliquid valeat, insuper historia teste nullus est philosophus, qui non habuerit alios contradictores et oblocutores. Hoc autem quantum philosophorum apud populum auctoritatem imminuat, facile intelligitur. Multo autem magis ipsa eo quoque imminuitur, quia iterum historia teste vix ullus philosophus inveniatur, cuius vita cum sermone et disciplina concordet. Testantur hac de re *Cicero* qq. tusc. l. c. 2. 4., *Macedo* apud Gellium noct. attic. l. 13. c. 8. aliique. — *Denique* notitia religionis hac via acquisita a multiplici errore non esset immunis, ut patet, si consideretur philosophia non solum antiqua, sed imprimis recentior, quae foedissimis Atheismi, Pantheismi, Materialismi, Hedonismi, Fatalismi, Subiectivismi, Nihilismi erroribus oppressa iacet. Philosophia igitur nequaquam sufficit ad populum in religione congrue erudiendum. Praeclare *Lactantius:* „Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effraenatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem . . . Nam quis haec philosophorum aut unquam praestitit, aut praestare, si velit, potest."

Ergo genus humanum naturalibus suis viribus relictum ad congruam religionis naturalis cognitionem pervenire moraliter non potest; necessarium igitur est, ut Deus ipsi speciali auxilio subveniat ad talem cognitionem acquirendam; in praesenti vero ordine eiusmodi auxilium est ipsa revelatio; ergo revelatio humano generi moraliter necessaria est.

12. *3. A posteriori ex historia generis humani.* — Fatis enim religiosis generis humani luculenta demonstratio continetur impotentiae moralis, qua naturalibus viribus relictum

in cognoscenda religione laborat. Tribus haec demonstratio absolvitur: primo ostenditur, quanta miseria genus humanum universim seposito populo iudaico sub respectu religioso laboraverit; secundo consideratur, hac miseria ipsos quoque philosophos oppressos esse, neque igitur ab ipsis remedium eidem impotentiae adhiberi potuisse; tertio his duobus expositis argumentatio in forma proponitur. Itaque:

a) Consideretur status religionis apud populos, qui di- 13.
vinae revelationis luce ad perfectam religionis cognitionem perducti non fuerunt. Duo certe elementa religionis ratio praecipue complectitur, cultum nempe et legem moralem. Iam igitur *primo* quod cultum divinum attinet, pagani ea Dei notione imbuti erant, quae non solum imperfecta est, sed Deo prorsus indigna. Etenim polytheismum professi sunt ac deos agnoverunt, quos *Augustino* teste (de civit. Dei l. 6. c. 10.). *Seneca* „ignobilem deorum turbam" nominat et qui secundum eiusdem *Senecae* verba „si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur." Atque merito quidem ita antiquus ille philosophus; non enim solum nobilissima attributa, quibus maxime religio nititur, ut creationem divinitati denegarunt, sed ut *Varro* testatur apud *Augustin.* l. c. c. 5. n. 2., „omnia diis attribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemptissimum hominem cadere non possunt." Atque absurdis his et impiis opinionibus, quas de numine fovebant, cultus erat conformis. Quod manifestum erit, si spectentur ritus ridiculi, qui sacerdotum ministerio perficiebantur, vana augurum et haruspicum disciplina atque reliqui divinationis usus, imprimis autem enormia flagitia et scelera diebus festis admissa atque publica religione consecrata. Hoc loco humano sanguine litabatur, illo numen colebatur scortationibus atque impudicitiis, vel bacchantum furoribus. „Non tantum sanguis, sed multo scelestius pudor humanus immolatus interibat." (Aug. ep. 91.) Neque eiusmodi impura instituta apud unum tantum aut alterum populum obtinuerunt, sed apud omnes fere, imo illos quoque, qui in humanis scientiis et artibus cultissimi omnium censebantur. — Deinde *secundo* 14.

altero religionis praecipuo elemento, scilicet lege morali considerata, religio paganorum sub multiplici respectu nihil fere fuit, quam publica, sollemnis, continua scelerum et flagitiorum approbatio atque incitamentum. Leges civiles quoque nullam fere ordinis moralis rationem habuerunt, frequenter eundem infregerunt, non tolerarunt solum, sed etiam approbarunt atque sanxerunt ea ipsa, quae primis morum principiis atque omni honestati repugnant; horrenda et pudenda crimina publico usu et universali consuetudine honestata quasi fuerunt ita, ut totum fere genus humanum sub atroci libidinis et crudelitatis iugo gemuerit. Virtus autem atque quaevis fere bonitas moralis ex religionis praeceptis exulabat: „Demonstrentur loca, ubi populi audirent, quid dii praeciperent de cohibenda avaritia, ambitione frangenda, luxuria refraenanda." (August. de civit. Dei l. 2. c. 6.) Imprimis ipsa de diis doctrina, de furtis, iurgiis, impudicitiis eorum homines ad vitia alliciebat. „Omnes cultores talium deorum, inquit *Augustinus*, mox ut eos libido perpulerit, ferventi, ut ait Persius (Sat. III, 37), ‚tincta veneno' magis intuentur, quid Iupiter fecerit, quam quid docuerit Plato vel censuerit Cato" (August. de civit. Dei l. 2 c. 7). Conferri possunt praeter Augustinum op cit. ex Apologetis et christianis scriptoribus: *Tertullianus*, apol.; *Clemens Alexandrinus*, cohort. ad gent.; *Arnobius* adv. gentes; *Origines* cont. Cels.; *Eusebius* praep. Ev.; *Lactantius* div. inst.; — ex paganis: *Plinius*, Hist. nat. l. 30. c 12.; *Suetonius*, Octav. c. 15.; *Caesar*, de bello gall. l. 6. c. 16.; *Plutarchus*, de superstit. c. 13.; — ex modernis: *Sachs*, Die Argeer im römischen Cultus; *Döllinger*, Heidenthum und Judenthum; *Tholuck*, Der sittliche Zustand des Heidenthums: *Haas*, Der Geist der Antike.

15. b) Neque melior evasit haec misera religionis conditio per philosophorum studia; philosophi enim reformationi generis humani in omnem errorem et pravitatem prolapsi pares non erant. Negandum quidem non est, in philosophorum gentilium scriptis plura inveniri egregie dicta de

religione naturali, cuiusmodi ea merito habentur, quae supra (th. 7.) iam ex Cicerone allata sunt. Attamen:

Primo omnes philosophi universim multas religionis naturalis veritates ignorarunt; quae autem ipsis ignotae non manserunt earum alius alias, nullus omnes tenuisse cognoscitur. „Facile docere, inquit *Lactantius*, pene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam ... nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa est illis veritas, quam se quaerere simulabant, sed ipsi eam suo potissimum vitio perdiderunt.“ (Div. inst. l. 7. c. 7.)

Secundo nullus invenitur philosophus revelationis igna- 16.
rus, qui non gravissimis circa ipsa prima religionis principia erroribus implicatus fuerit. Et quidem *Cicerone* ipso teste in libris de natura deorum, quod Deum attinet, non solum dissentiebant, sed etiam adeo absurdis sententiis multi addicti erant, quae quomodo a sana mente probari potuerint, vix credi possit. Imprimis plures, si ipsa res spectetur, athei fuerunt, ut *Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Leucippus, Democritus, Diogenes Appollonius, Epicurus*; de quibus conferri possunt *Plutarchus*, de placit. philos.; *Aristoteles*, metaph. l. 1.; *Eusebius*, praepar. evangel. l. 1. c. c. 7. et 8.; *Diodorus Siculus*, l. 1. Alii duo principia originalia esse professi sunt, sive unum bonum et alterum malum, sive unum efficiens et alterum materiale; atque alii iterum divinitatem mundi docuerunt. Testes huius rei sunt *Plutarchus*, de Iside et Osiride, de placit. phil. l. 1. c. 3.; *Lactantius*, div. inst. l. 2. c. 8.; *Diogen. Laërt.* l. 3 § 69; *Cicero*, qq. acad. l. 2. c. 41.; *Augustinus*, de civit. Dei l. 7. c. 9. Qui vero unum Deum admittebant, alii omnipotentiam, alii providentiam, alii sapientiam, alii misericordiam vel negarunt vel perverterunt. Conferri possunt praeter auctores modo relatos: *Augustinus*, de duab. animab. cont. Manich. c. 14. et *Iustinus*, cohort. ad Graecos n. 25. Imo antiquitatis philosophi praestantissimi Plato atque Aristo-

teles in graves circa Deum errores lapsi sunt. Uterque enim Dualismum amplexus est, cum neuter creationem mundi agnosceret; praeterea Plato Deum ipsum fato subiecit, Aristoteles vero providentiam divinam negavit. (cf. *Elser*, Die Lehre des Aristoteles über das Wirken Gottes; *Rolfes*, Die aristotelische Auffassung vom Verhältnisse Gottes zur Welt und zum Menschen).

17. Quod deinde alterum religionis cardinem, animae immortalitatem attinet, alii eam praefracte negant, ut *Plinius*, qui haec habet: „Non magis a morte sensus ullus aut corporis aut animae, quam ante nativitatem" (hist. nat. l. 7. c. 53.); alii incerti de ea haeserunt atque etiam illi, qui saniore et nobiliore doctrina excellunt. Ita *Cicero:* „Ea, inquit, quae vis, ut potero, explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa, quae dixero; sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens; ultra enim quo progrediar, quam ut verisimile videam, non habeo." (Tuscul. l. 1. c. 11.) Atque iterum ibidem scribit: „Nescio quomodo, dum lego (demonstrationem immortalitatis animae) assentior; cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur." Et *Seneca:* „Credebam facile, ait, opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis quam probantium" (ep. 102).

18. Denique cum circa praecipuos religionis cardines ita philosophi errarent, mirandum sane non est, quod in morum doctrina quoque in adeo graves et turpes errores inciderent, ut *Cicero* enuntiaret: „Nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum." (De divinit. l. 2. c. 58). Sic aliorum foedis doctrinis silentio pressis et praetermissis vel ipse *Plato* uxorum communitatem, infantium infirmorum expositionem, concubitus vagos, in festo Bacchi ebrietatem vel permisit vel etiam commendavit. Quare *Lactantius:* „Ferri, inquit, hoc potest, quamdiu de pecunia dici videtur; quod ipsum quam impossibile sit et quam iniustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, ut possit fieri: omnes enim

sapientes erunt et pecuniam contemnent. Quo ergo illum communitas perduxit? Matrimonia quoque, inquit, communia esse debebant . . . O miram Platonis aequitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? ubi fides coniugalis? Quae si tollas, omnis iustitia sublata est. At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent aut reges philosopharentur" (Inst. div. l. 3. c. 21). Neque Cicero, qui ceteroquin inter antiquos sicuti vitae integritate, ita etiam doctrinae puritate eminet, omnem circa legem moralem scopulum evitavit, ut iterum testatur *Lactantius,* qui relata hac Ciceronis sententia: „At vero si quis voluerit, animi sui complicatam notionem evolvere, iam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit, quibus possit; noceat nemini nisi lacessitus iniuria" (De offic. l. 3. c. 19.) ita pergit: „O quam simplicem veramque sententiam duorum verborum adiectione corrupit? Quid enim opus fuerit adiungere: *nisi lacessitus iniuria?*" (Inst. l. 6. c. 18). Omnes autem quicunque antiqui philosophi neque amoris Dei neque humilitatis, quae virtutes maxime ad vitam moralem valent, cognitionem habuisse videntur. „Absurdum namque fuerit, ita *Aristoteles,* si quisquam dixerit se Iovem amare" (Magn. moral. l. 2. c. 11. alias 13).

Tertio accedit, quod philosophi ideo quoque inepti 19.
erant ad populum in religione edocendum, quia quae verbis saepe pulchre docebant, vita factisque negabant. „Colebat, inquit *S. Augustinus,* de Seneca agens, quod reprehendebat, agebat, quod arguebat, quod culpabat, adorabat" (De civit. Dei l. 6. c. 2). Et *Lactantius* de eadem re testatur: „Cum ex philosophis perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum, quis non videat eos homines virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos, et sub obtentu sapientiae sua vitia celantes, domi facientes ea, quae in scholis arguissent" (Divin. inst. l. 3. c. 15). Imo ipse *Cicero* quoque huius philosophorum doctrinae cum vita contradictionis testis est: „Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita

moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? Qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? Qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate et iactatione, iis ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio" (Tuscul. l. 2. c. 4). Merito igitur a *Tertulliano* philosophi appellati sunt rerum destructores et aedificatores, amici et inimici erroris (Apol. c. 46). Quae cum ignota non manerent, nullam philosophos auctoritatem habuisse ad populum in religione edocendum patet. Ceterum etsi vita cum doctrina concors fuisset, neque tamen ea auctoritate instructi fuissent. „Nihil ponderis, inquit *Lactantius,* habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate maiori i. e. divina carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem esse putat, qui audit, quam sit ille, qui praecipit." (Div. inst. l. 3. c. 27.)

20. *Quarto:* Si vero potuissent philosophi populum in religione edocere, neque tamen voluerunt. Plerique enim superba arrogantia populum despicientes paucos tantum collegerunt discipulos, quibus suas doctrinas proponerent. „Est enim, inquit *Cicero,* philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsa suspecta et invisa" (Tuscul. l. 2. c. 1). Atque ex sententia fere philosophorum *Horatius* canit: „Odi profanum vulgus et arceo" (Od. 3. n. 1). Imo ex philosophorum sententia adeo opiniones religiosae populi non erant immutandae, ut potius ipsos philosophos specietenus se iis accomodare expedire visum sit. Hinc *Plato* servandam esse falsam patriae religionem docebat (De republ. l. 4.): et idem *Cicero,* qui Catonis dictum, mirari se, quod aruspex, cum aruspicem videret, non videret, approbando refert, nihilominus tamen scripsit: „A Patribus acceptos Deos placuit coli . . . illud ex institutis pontificum et aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo" (De leg. l. 2).

21. Denique *quinto* ipsi philosophi divinae institutionis in doctrina religiosa necessitatem agnoverunt. Ita in *Platonis*

dialogo ‚*Alcibiades*' *Socrates* inducitur Alcibiadem monens, ut sacrificium differat, dum providus Deus oculorum coecitate ablata veritatem patefaciat officia docens, quibus erga Deum et homines adstringimur. Deinde in Epinomide ipse *Plato* pietate nihil maius inter homines esse docens, statuit tamen, docere eam neminem posse, nisi Deus tamquam dux et magister praeiverit. Denique *Iamblichus* quoque (De vita Pythagorae c. 28) enuntiat: „Quae Deo grata sint, scire difficile est, nisi quis vel eum, qui Deum audivit, vel Deum ipsum audiverit."

c) Ex facto historico proposito facile iam argumentum 22.
in forma struitur: Itaque *primo:* Historia teste ignorantia stupenda et nefanda aberratio in gravissimo religionis negotio omnes populos solo Iudaeorum populo excepto per plura annorum millia occupavit. Igitur ignorantia fuit universalis atque ideo independens ab omnibus illis momentis, quae diversa in diversis populis erant; eadem continua fuit neque saeculorum decursu decrementa, sed potius incrementa cepit; eadem tandem independens atque excepta a lege progressus fuit, quae in ceteris humani generis rebus vigebat, et in graeca atque romana cultura culmen attingebat. Neque philosophi huic miseriae mederi potuerunt, imo aeque fere ac ceteri eadem oppressi erant. Iamvero sicuti ex modo constanti et universali, quo causae physicae agunt, recte ad leges physicas concluditur, ita ex modo constanti agendi causarum liberarum quoque ad leges morales vel ad necessitatem sive impotentiam moralem illatio recte infertur. Quare cum genus humanum tum in sua universalitate, tum in singulis spectatum ad congruam religionis naturalis cognitionem non pervenerit, recte concluditur, genus humanum morali laborare impotentia perveniendi absque revelatione ad congruam religionis naturalis cognitionem.

Secundo. Ut huius argumenti vis magis pateat, factum 23.
illud religiosae ignorantiae et aberrationis universale et constans comparari debet cum innato desiderio, quo homo aeternam suam sortem cognoscere atque in tuto collocare

naturaliter desiderat; atque tunc argumentum ita efformari potest: Ea cognitio homini moraliter impossibilis censenda est, ad quam, licet omnes eius desiderio moveantur, pauci tantum atque hi ipsi magno quoque studio adhibito non sine multis erroribus perpetuaque haesitatione perveniunt. Atqui eiusmodi est sine revelatione sufficiens et congrua religionis naturalis cognitio; ergo haec cognitio absque revelatione humano generi moraliter impossibilis est. *Probatur maior.* Etenim cum homo generatim scire naturaliter desideret, imprimis scire ipsius interest, unde sit, quo vadat. Quare omnes populi numen aliquod coluerunt, de futura sorte inquisierunt, religionem in genere maximi habuerunt, patrii cultus tenacissimi fuerunt, quae omnia vel ipso nomine religionis confirmantur, quippe quod ad anxiam curam et sollicitudinem significandam apud Romanos translatum est. Religionis igitur studium ab ipsa natura homini implantatum esse apparet. — *Constat quoque minor:* Etenim frustranei fuerunt, ut dictum est, conatus ad congruam religionis cognitionem perveniendi, quia neque de fundamentis vel cardinibus religionis, scilicet de Deo, de immortalitate animae, de fundamentalibus ordinis moralis legibus humani generis cognitio talis fuit, ut dici posset congrua.

24. 4. *Theologice.* — Theologica quoque demonstratione veritas thesis confirmatur, quam demonstrationem hoc loco innuere sufficit. Itaque:

a) Sacrae scripturae doctrina huc pertinens ad aliqua capita reduci potest. *Primo* in iisdem locis, ubi docet Deum naturaliter per ea, quae facta sunt, cognosci posse, simul tamen declarat, homines absque revelatione ad eam Dei cognitionem, quae ad cultum debitum Deo exhibendum requiritur, reipsa non pervenisse; cf. 1. Cor. 1, 21; Sap 9, 14—19; 1. Thess. 4, 5. — *Secundo* hanc hominum gentilium conditionem Apostolus non quidem inculpabilem habuit, verum tamen ita tamquam ignorantiae statum consideravit, ut simpliciter affirmaret, gentiles Deum non novisse vel Christianos ante conversionem suam sine Deo in

hoc mundo fuisse; cf. Act. 17, 30; Eph. 4, 17; Eph. 2, 12; 1. Petr. 1, 14. — Denique *tertio* huic indigentiae et miseriae remedium nescivit applicandum esse aliud, quam revelationem: „*Nam quia in Dei sapientia* (quae in operibus divinis resplendet) *non cognovit mundus per sapientiam* (i. e. humanam) *Deum; placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*“ (1. Cor. 1, 21). Iamvero defectus cognitionis, quo omnes gentes laborasse exhibentur, qui simpliciter ignorantia (igitur defectus vel privatio intellectus) dicitur, cui sola revelàtio mederi potuit, moraliter necessarius apparet; vel cognitio, qua defectus ille privat, ita difficilis sit oportet, ut merito dicatur moraliter impossibilis; ergo.

b) Traditionis fides hac in re est valde manifesta, ut 25.
ex testimoniis supra (n. 13 ss.) adductis patet. Etenim SS. Patres et scriptores ecclesiastici, imprimis Apologetae miseriam paganismi sub respectu religionis praedicantes revelationis necessitatem indefesse atque strenue urgent adeo, ut ad ipsos pro sua opinione vel Traditionalistae, quamvis immerito, provocaverint, qui absolutam et physicam revelationis necessitatem falso statuerunt. Conferre praestat imprimis Augustinum, De civit. Dei l. 2., et De utilitate credendi.

Scholion.

1. Obiectiones solvuntur. — a) Admissa tanta, quanta 26.
affirmata est, necessitate revelationis, homini secundum vires naturales spectato media necessaria ad finem assequendum desunt, quod cum bonitate saltem atque providentia divina pugnare videtur. — *R.*-Revelatio religionis naturalis homini necessaria dicitur non ut simpliciter finem suum assequi possit, sed ut congruam religionis naturalis cognitionem habere atque hac ratione congruo modo finem suum obtinere queat. Certum autem est, sine tali cognitione hominem finem suum simpliciter assequi posse. Nemo enim sine sua culpa finis iacturam facit. Ceterum in hoc ordine impotentiae morali hominis ad congruam religionis

naturalis cognitionem perveniendi praecise per divinam revelationem subventum est; si vero haec divina revelatio iam primitus facta et per Christum completa ad omnes homines non pervenit, hoc negligentiae et peccatis hominum, non vero divinae providentiae adscribendum est. Hi autem ipsi in hoc ordine, ad quos revelatio non pervenit, si quidem faciunt, quod est in se, finem certo assequentur. Neque igitur bonitas neque providentia divina per doctrinam propositam minuuntur vel obscurantur.

27. b) Admissa eadem generis humani impotentia morali cognoscendi religionem naturalem, aberrationes religiosae et morales supra commemoratae imputari nequeunt, quod dici posse non videtur. — *R.* Distinguendum est inter impotentiam moralem ad cognitionem perfectam religionis naturalis et impotentiam moralem ad talem eiusdem religionis cognitionem, quae ad enormes aberrationes religiosas et morales vitandas sufficit. Illa autem, non haec in praesenti thesi asserta est. Si vero corruptione generis humani haec quoque demonstrata esse videatur, considerandum est eam tamen esse potius consequentem quam antecedentem hominum peccata; quare ad excusandam penitus talem corruptionem non valet. Corruptio scilicet generis humani horrenda ex neglectu revelationis impertitae atque aliis multiplicibus peccatis atque criminibus prodiit, atque ideo impotentia moralis illa altera maior, si quidem exstitit, humano generi imputanda est. Quantum vero singulis hominibus ignorantia religiosa et aberratio moralis in culpam imputari possit vel debeat, ab homine definiri non potest. Tamquam certum vero principium tenendum est, in hoc ordine omnem hominem potentia morali quoque instructum esse vitandi omne peccatum grave. Id enim ex voluntate salutifera universali et universalitate gratiae consequi videtur.

28. c) Si revelatio homini necessaria est ad religionem naturalem cognoscendam, eidem debita quoque est; quod autem debitum est, non est gratuitum vel supernaturale; ergo. — *R.-D.* mai.: si esset necessaria propter impotentiam physicam *c.* — propter impotentiam moralem *sbd.*:

si aliud esset medium naturae proportionatum *n.* — si deesset tale medium *tr.* — *Contrad.* min. et *nego* consequens et consequentiam. — Videlicet revelatio non est unicum remedium, quo morali illi impotentiae Deus subvenire possit. Aliis enim mediis quoque et quidem talibus, quae in ipso naturalis providentiae ordine contineantur, idem efficere potest. Quare revelatio non est necessaria simpliciter, sed tantum disiunctive, siquidem Deus hoc, non vero alio medio uti velit, quemadmodum in hoc ordine contingit. Hinc autem profecto non consequitur revelationem nunc non esse donum indebitum; etenim tum ad finem supernaturalem dirigitur, tum modus cognoscendi est, qui humanae naturae exigentiam penitus excedit. In statu vero religionis mere naturalis Deus eidem humanae indigentiae per auxilia naturalia subvenisset, siquidem omne elementum supernaturale a tali statu exclusum est.

Hinc intelligitur statum naturae purae vel religionis 29.
mere naturalis non esse plane identicum cum praesenti statu praeciso a revelatione et ceteris donis praeternaturalibus et supernaturalibus. Homo enim in statu naturae purae fuisset quidem etiam per se moraliter impotens ad religionem naturalem perfecte per media ordinaria cognoscendam. Unde tunc quoque necessarium fuisset subsidium divinum extraordinarium. Hoc autem Deus pro aequitate sua et bonitate daturus fuisse credendus est simulque auxilia specialia, quibus etiam observatio legis naturalis moraliter possibilis evaderet; haec vero auxilia non fuissent supernaturalia, sed intra ambitum naturae continerentur.

d) Ex s. Scriptura obiicitur: Ex doctrina S. Pauli ho- 30.
mines naturali ratione absque revelatione Deum et religionem naturalem cognoscere possunt; ergo falso huius cognitionis impotentia moralis asseritur. Antecedens probatur *primo* ex Rom. 1, 19—21: Ex hoc enim Apostoli testimonio Deus gentilibus per creationem se manifestavit; hi autem cum Deum cognovissent, non tamen, ut par erat, glorificaverunt, quare inexcusabiles sunt. Iamvero quibus Deus et divina per creationem manifestantur et qui inex-

cusabiles sunt, quod Deum debito modo non glorificaverint, iis physica et moralis potentia religionem cognoscendi tribuenda est; ergo. — *Secundo* probatur antecedens ex Rom. 2, 14—16: Hic enim gentes, quae legem (positivam divinam) non habent, naturaliter legem Dei servare et sic opus legis in cordibus suis scriptum (i. e. legem naturaliter cognitam operibus) ostendere dicuntur. Iam autem, qui reipsa naturaliter legem et pari ratione religionem naturalem cognoscunt, iis revelatio neque moraliter necessaria est; ergo.

31. *R. d.* anteced.: naturaliter Deum et summa religionis capita cognoscere potuerunt *c.* — cognoscere potuerunt Deum et religionem naturalem cognitione perfecta et congrua *sbd.:* potentia physica *c.* — potentia morali *n.* Et. *nego* consequens et consequentiam. Quae distinctio ex dictis facile intelligitur.

Ad probationem ex primo testimonio respondetur iterum *distinguendo:* Ex doctrina S. Pauli Deus per creationem invisibilia sua manifestavit ita, ut totam religionem naturalem ex ea homines perfecta et congrua cognitione moraliter cognoscere possint, et gentes sint inexcusabiles quia non totam legem naturalem observarunt *n.* — Deus ita per creationem se manifestavit, ut summa religionis capita moraliter ab hominibus naturali cognitione cognosci possint, et gentes sint inexcusabiles, quia huic cognitioni vitam suam non conformaverint *c.* — Videlicet duplex extat interpretatio testimonii S. Pauli. Alii dicunt, Apostolum reipsa agere de perfecta quoque Dei ac religionis naturalis cognitione, eiusdem autem cognitionis homini non attribui nisi potentiam physicam. Si vero hoc sensu testimonium Apostoli accipiatur, thesi non obstare illico intelligitur. Alii vero interpretantur, Apostolum invisibilia Dei intelligere Dei virtutem et divinitatem i. e. Dei existentiam et potissima attributa atque consequenter summa religionis naturalis capita. Qui sensus si acceptatur, pronum est admittere Apostolum hominibus talis cognitionis non solum potentiam physicam, sed moralem quoque adscribere. Quae

interpretatio tum probabilior apparet, tum perfecte cum thesi statuta concordat.

Ad probationem ex altero testimonio factam: *R. d.*: 32. Gentes naturaliter noverunt legem vel religionem totam et perfecte, quemadmodum nunc iuvante revelatione cognoscitur *n.* — naturaliter cognoverunt summa eius capita et magis imperfecta cognitione *c.* Et *distincta* eadem ratione minore *negatur* consequens et consequentia. — Multiplex est huius testimonii interpretatio. Aliqui dicunt ex doctrina S. Pauli gentes potuisse cognoscere et observare totam legem naturalem. Quae interpretatio de sola potentia physica, non vero de morali acceptari potest; secus enim doctrina catholica de necessitate gratiae in discrimen vocaretur. Probabilius autem S. Paulus tantum agit de cognoscibilitate, non vero de observantia legis naturalis. Quo supposito iterum aliqui dicunt Apostolum intelligendum esse non de potentia morali, sed de potentia physica. Atque hoc sensu acceptum testimonium cum revelationis necessitate statuta sane non pugnaret. Alii denique Apostolum potentiam quidem moralem quoque hominibus tribuere intelligunt, restrictam tamen ad imperfectam magis cognitionem et sola summa religionis capita complectentem. Vel, ut aliqui dicunt, gentes quidem moraliter quoque omnia legis naturalis praecepta cognoscere potuerunt vel cognoverunt, sed non omnes omnia; haec enim cognita sunt ab his, illa ab illis. Seposita hac ultima assertione, quae arbitraria prorsus est neque ulla ratione demonstrari potest, posterior explicatio praeferenda est et probabilissima apparet; eadem autem cum morali revelationis necessitate egregie concordat. Insuper optime cum reliqua Apostoli doctrina consonat. S. Paulus enim alibi multum necessitatem gratiae urget propter moralem impotentiam legem naturalem servandi quoad ea quoque praecepta, quae naturaliter cognoscuntur: ergo in hoc loco auxilium gratiae ad observationem legis requisitum non excludit. A pari igitur neque censendus est excludere moralem revelationis necessitatem ad perfectam atque congruam religionis

cognitionem, quia haec hominibus aeque saltem est difficilis, quam observatio naturalis eorum praeceptorum, quae naturaliter iam noverunt.

33. 2. *Veritas thesi demonstrata hypothesi quadam illustratur.* — a) Nimirum ponatur vel fingatur revelationem divinam cum omnibus atque mirabilibus, quae ex ipsa consecutae sunt, institutionibus subito perire atque penitus ex mundo disparere. Qui si contingeret casus, veritates religiosae sive fundamentales illae de Deo atque immortalitate animae, de officiis erga Deum et proximum cognitiones in hominum animis non remanerent, nisi quatenus a philosophis docentur atque ab ipsa naturali ratione percipiuntur. In hac vero suppositione penitus extinctae revelationis lucis, quod manet, lumen rationis manifeste pro populo christiano universo saltem iam non sufficeret, ut religionem congrue cognosceret et exerceret; imo. audacter dici potest, ipsa illa cognitio reliqua, etsi non penitus auferretur, in dies tamen magis obscuraretur, labefactaretur, magnam partem evanesceret.

34 b) Quod facile profecto intelligitur, si modus consideratur, quo populus rudis et incultus nunc in cognitionem illarum veritatum venit. Neque enim ex propriis inquisitionibus philosophicis, neque ex philosophorum magisterio illas veritates haurit, verum potius fiduciali erga parentes, magistros, sacerdotes fide eas discit. Parentibus autem, magistris, sacerdotibus credit non propter scientificam, eorum, qua plerumque carent, auctoritatem, sed quia divina auctoritate investiti tamquam legati Dei et divinae revelationis magistri coram mentis oculis apparent. Quare populus christianus vel catholicus saltem sine haesitatione oppositas philosophorum aliorumque incredulorum doctrinas spernit, praesertim quia videt, nulla eos divina auctoritate ad religionem docendam instructos esse neque propria auctoritate frui, cum in fundamentalibus religiosae doctrinae capitibus sibi continuo manifeste contradicant.

35. c) Ex opposito autem, quam apta sit atque accommodatissima religiosa populi institutio per revelationem, qua

nunc fit, facile consideranti apparet. Etenim commode inculcus quoque populus intelligit, revelationis doctrinam derivari ex magisterio, quod doctrina sua complectitur et instituit orbem terrarum, quod non surgit nec perit cum singulis individuis, quod imo per viginti saecula et ultra permansit inconcussum et in mediis aliarum institutionum ruinis nunc quoque inconcussum persistit. Novit praeterea facile populus christianus, huic magisterio se subiecisse, imo ad sanguinis usque effusionem idem defendisse innumeros atque doctissimos et sanctissimos omnium saeculorum viros. Tandem coram oculis suis Ecclesiam cernit tamquam *civitatem in monte positam;* cernit eam, ut verbis Pii IX (encycl. Qui pluribus) utar, vitiorum expultricem ac virtutis foecundam parentem et altricem: conspicit eandem prodigiis et vaticinationibus confirmatam, purissimae doctrinae fulgore resplendentem, martyrum constantia, sanctorum gloria corruscantem; denique videt eam idolorum profligata fallacia, morum depulsa caligine, triumphatis cuiusque generis hostibus omnes gentes, populos, nationes utcunque immanitate barbaras edocere, domare, Christi suavi iugo subiicere, omnibus annuntiare pacem, annuntiare bona. Tali magisterio coelestibus sigillis munito populus christianus facile se tradit atque fidit et credit, et sane merito plane.

d) Hoc igitur coeleste magisterium, divinam hanc re- 36.
velationem supponamus, ut dictum est, e mundo subito penitus disparere. Quinam tunc erit rei exitus? Restabunt philosophi disputantes et se invicem impugnantes atque irridentes, necnon quotidie fere nova systemata construentes, quorum haec, quae subsequentur, illa, quae praecedunt, removent eorumque locum occupant, dum et ipsa iterum ab aliis removeantur. Cui igitur philosopho populus credet, cui systemati religioso fidet? Profecto non perveniet nec poterit ad firmam pervenire certitudinem neque ad perfectam veritatis religiosae cognitionem. Imo de existentia et essentia Dei, de origine hominis, de providentia Dei, de vita futura aliisque fundamentalibus veri-

tatibus religiosis securus vix erit, cum de his quoque philosophi disceptent. Verum ista philosophorum dissensio, de qua dictum est, huic forte tempori propria esse videatur? At vero recolatur, quot quamque absurdis et foedis erroribus religionis antiqui philosophi detenti fuerint; non immerito Aristoteles unum Anaxagoram quasi sobrium inter vana dicentes fuisse declarat (Metaph. l. 1. c. 4). Imo consideretur ipsa medii aevi aetas, qua sana philosophia maxime floruit; tunc quoque philosophi nonnisi de iis fere consentiebant, quae ex revelatione certo constant. Itaque philosophia nullatenus ad religiosam hominum institutionem sufficere valet. Quinam igitur revelatione extincta rei religiosae et moralis exitus erit? Nonne necessario iterum veritas religiosa obscurabitur et magnam partem infallibiliter extinguetur? Nonne mores humani nutabunt atque in imis fundamentis concutientur? Profecto enim, si nunc, ubi in plena revelationis luce vivimus, ubi de origine nostra et fine et de aeterna, quae aut beata pro meritis aut misera pro peccatis rependetur, sorte clarissime edocemur, ubi gratia et caritas infinita Dei-hominis Redemptoris iuvant, exempla Sanctorum trahunt, si nunc, inquam, in mediis illis divitiis homines in absurdos quoque errores incidunt et turpibus saepe vitiis vinciuntur atque aegre solum et magno cum labore veritati religiosae adhaerent et bonos mores sectantur, quaenam tandem illa luce extincta, illis divitiis ablatis futura esset hominum sors religiosa? Sine haesitatione atque moraliter certo concludi potest, fore ut vitia denuo exurgant et in immensum crescant, atque hac ratione cognitio quoque religionis naturalis maxime obscuretur; necnon ea instarent, quae graphice describit Apostolus Rom. 1, 18 ss. Haec enim reipsa tunc instare ad oculos fere demonstratur per ingentem, quae hoc tempore v. g. in magnis urbibus repit, corruptionem, ubi fides languet et magnam partem fere emortua est, cognitio religiosa fere evanuit, spes futurae vitae collapsa est, atque propter haec enormia crimina atque turpissima vitia abundanter pullulant.

e) Itaque novus paganismus moraliter certo amissam 37.
revelationem exciperet. Quare revelatio sicuti sola veritates supernaturales nos edocet atque ad finem supernaturalem ducit, in hoc ordine sola quoque ipsa veritates atque bona religionis naturalis custodire valet. Atque historia quoque haec eadem manifestissime comprobat. Gentes enim v. g. Africae septentrionalis, quae S. Augustini tempore florentissimas ecclesias constituebant, amissa religione revelata in tantam ignorantiam et barbariem reciderunt, ut etiam perfecta et congrua religionis et legis naturalis cognitione careant. Quare merito *Pius IX.* in encyclica, ‚Quanta cura' d. 8. Dec. 1864 declarat: „Ubi repudiata fuit divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis."

Thesis 17. **Divina mysteriorum revelatio humano generi tum in ordine intellectuali tum in ordine morali plurima emolumenta confert; in hypothesi vero elevationis ad ordinem et finem supernaturalem simpliciter necessaria est.**

Demonstratio.

Triplici parte thesis constat: in prima parte emolu- 1.
menta revelationis mysteriorum, quae ordinem spectant intellectualem, exponuntur; in altera parte utilitas eiusdem revelationis pro ordine morali describitur; in tertia denique parte ostenditur in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem eandem revelationem fuisse simpliciter necessariam.

I. p. Revelatio mysteriorum plurima emolumenta in ordine intellectuali confert.

1. Et primo quidem nostra de Deo cognitio per mysteriorum revelationem multum perficitur. — Atque imprimis a) humana Dei cognitio verior redditur, quia mysteriorum

revelatione evidenter apparet, quantopere divinae subsistentis veritatis pelagus intellectum humanum excedat. „Est necessarium, sic *S. Thomas*, huiusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi ad Dei cognitionem veriorem habendam; tunc enim solum vere Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id, quod de Deo cogitare hominibus possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra ostensum est. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest" (C. g. l. 1. c. 5).

2. b) Deinde per mysteriorum revelationem humana de Deo cognitio extensive et intensive augetur; extensive, quia illa revelatione veritates humanae rationi naturaliter imperviae revelantur, quae novum quasi mundum et integrum veritatis supernaturalis et coelestis systema constituunt, ut supra dictum est. Intensive humana Dei cognitio augetur, quia veritates illae superrationales nova luce atque mirabili perfectiones divinas naturaliter cognoscibiles aspergunt. Ita v. g. per revelationem mysterii SS. Trinitatis interna vitae divinae ratio manifestatur; per Incarnationem et Redemtionem bonitas divina atque misericordia nova luce resplendent: per peccatum originale iustitia divina nova ratione illustratur; denique in mysteriis gratiae, filiationis adoptivae, visionis beatificae tum sapientia divina, tum bonitas, tum potentia divina egregie manifestatae apparent.

3. 2. *Per mysteriorum revelationem intellectus humanus ad altiorem ordinem evehitur et multum nobilitatur.* — Atque hoc a) primo manifestum est ex consideratione ipsarum veritatum, quae mysteria constituunt. Quo enim altior et a sensibilibus remotior, eo nobilior est cognitio. Atqui maxime sublimis et a sensibilibus remota est mysteriorum cognitio; ergo. Ad rem *S. Thomas:* „Apparet utilitas etiam alia ex dictis Philosophi in decimo Ethicorum c. 7. Cum enim Simonides quidam homini praetermittendam divinam

cognitionem persuaderet et humanis rebus ingenium applicandum, oportere inquiens humana sapere hominem et mortalia mortalem, contra eum philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia et divina trahere, quantum potest. Unde in libro primo de partibus animalium dicit, quod, quamvis parum sit, quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum et desideratum omni cognitione, quam de substantiis inferioribus habemus. Dicit etiam, in secundo coeli et mundi, quod, cum de corporibus coelestibus quaestiones possint solvi parva et topica solutione, contingit auditori, ut vehemens sit gaudium eius" (c. g. 1. 1. c. 5).

b) Praeterea eo nobilior est cognitio aliqua, quo nobi- 4.
lius est motivum, in quo innititur; atqui per mysteriorum revelationem ad cognitionem homo evehitur, quae nobilissimum motivum habet, auctoritatem sc. Dei loquentis; ergo. Atque revera cognitione mysteriorum per fidem homo quadantenus particeps fit illius modi cognoscendi divina, qui soli Deo proprius est. Cum enim hominis cognitio naturalis a creaturis incipiat et inde ad Deum procedat, divina cognitio immediate circa ipsum Deum versatur et inde ad creaturas quodammodo se extendit. Atqui hic modus, quo ipse Deus cognoscit divina, sicuti beatis communicatur, cum per lumen gloriae ad divinam essentiam immediate videndam elevantur, ita communicatur viatoribus, cum per lumen fidei primae veritati inhaerentes, Deum non ex creaturis cognoscunt, sed prout auctoritate sua interposita locutione sua se manifestat. Porro quemadmodum Deus immediate semetipsum cognoscit et in essentia sua cognita alia, ita homo per fidem primae veritati inhaerens non solum cognoscit divina immediate revelata, sed ex eis ad alia quoque cognoscenda procedit. Hac vero ratione intellectus humanus divino intellectui quodammodo assimilatur.

3. Intellectus humanus mysteriorum revelatione ab errore 5.
praeservatur duplici ratione. — Etenim a) edocetur, ne, quas in creaturis essentiales quoque inter diversas rationes animadvertit habitudines, continuo ad Deum transferat.

Ita v. g. ex eo, quod inter creaturas vel in ordine naturali singularis quaeque natura hypostasin quoque constituit, pronum esset concludere, unam quoque singularem naturam divinam unam personam constituere, et naturam divinam et naturam humanam in Christo coniunctas duplicem quoque personam efficere, nisi ex revelatione contrarium edoceremur. Atque similiter in aliis contingit.

b) Ex alia parte a praesumtione sanatur atque hac ratione a multiplici errandi periculo praeservatur: „Alia etiam utilitas, inquit *S. Thomas,* inde provenit, scilicet praesumtionis repressio, quae est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio praesumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, aestimantes scilicet totum esse verum, quod eis videtur. Ut ergo ab hac praesumtione humanus animus liberatus ad modestam inquisitionem veritatis perveniat. necessarium fuit homini proponi quaedam divinitus, quae omnino eius intellectum excederent" (C. g. l. 1. c. 5).

6. *4. Denique scientiae humanae necnon artes per mysteriorum revelationem multipliciter promotae sunt.* — Nimirum a) hoc facile patet, si singula quaedam mysteria etiam obiter solum considerentur. Sic ex mysterio ss. Trinitatis et Incarnationis egregie est promota philosophica cognitio rationis formalis naturae, essentiae, hypostasis, personae; ex mysterio dein ss. Eucharistiae non minus illustratur essentia atque extensio corporum; atque ex peccato originali accuratior tum peccati, tum iustitiae notio efformata est.

b) Praeterea artes quoque pulchrae ex mysteriis sua emolumenta hauserunt. Ex iis enim christianae artis opera, quod argumentum saltem vel ideas attinet, eam habent pulchritudinem, spiritualitatem, sublimitatem, ad quam antiqui etsi quoad formam maxime praestent, nunquam attigerunt.

c) Denique conatus fide supposita mysteria explicandi, illustrandi et, quantum fieri potest, nexum inveniendi inter singula, christianam speculationem adeo promovit, ut nulla alia aequalis ipsi profunditate et sublimitate inveniatur.

2. p. Revelatio mysteriorum in ordine morali quoque plura emolumenta confert.

1. Et primo quidem mysteriorum revelatione nobilissima 7.
fidei virtus multum nutritur atque fovetur. — Cum enim mysteria naturali rationi sint impervia, actus fidei, qui circa ea versatur, purissimum atque sincerissimum virtutis fidei exercitium est. Fides autem una ex excellentissimis iliis virtutibus est, quae theologicae dicuntur, quia earum exercitio homo immediate ipsi Deo inhaeret. Insuper fides prima est harum virtutum, quia radix et fundamentum est ceterarum atque totius vitae supernaturalis. Patet igitur iam ex sola mysteriorum ad fidem habitudine multum ea ad vitam supernaturalem promovendam valere.

2. Deinde mysteria caritatem quoque Dei et proximi et 8.
spem in homine excitare et nutrire potenter valent. — Cum enim mentis consideratio eis applicatur pia et humilis, Dei infinitam maiestatem, bonitatem, potentiam, caritatem mirabili luce aspergunt: quo autem magis infinita Dei bonitas et perfectio cognoscitur, eo facilius et ferventius amor ipsius in cognoscentis animo excitatur, eo potentius quoque desiderium exsurgit atque fiducia, ut summum illud bonum aliquando possideat. Et profecto qua ratione caritas in Deum magis excitari atque nutriri possit, quam si consideretur, Filium Dei unigenitum, secundam personam augustissime Trinitatis, propter nostram salutem hominem factum atque ignominiosa morte interemptum esse, ut suo sanguine nos a peccatis et damnatione aeterna liberaret; deinde eundem Redemptorem incomprehensibili caritate in ss. Eucharistiae sacramento suo corpore et sanguine fideles suos vescere? Neque minus ad caritatem proximi excitandam valet, si consideretur, homines omnes Christi sangine redemptos esse, ut sint filii Dei et fratres Christi, templa Dei et Spiritus Sancti habitacula.

3. Denique non solum virtutes theologicas, sed morales 9.
quoque mysteriorum revelatio promovere nata est. — Eo enim, quod fides exhibenda est mysteriis rationi naturali imperviis, superbia, quae omnium malorum radix est, po-

tenter deprimitur, et multum excitatur humilitas, quae prima fere conditio rectae vitae religiosae merito habetur. Deinde reverentiam in Deum quoque, contemptum terrenorum et aeternorum aestimationem mysteriis provocari considerati facile patet.

3. p. In hypothesi elevationis hominum ad ordinem supernaturalem mysteriorum revelatio simpliciter necessaria est.

1. Probatur ex necessitate finem cognoscendi. — Ut homo modo congruo finem suum, Deum, assequatur, pro sua natura appetere ipsum debet; appetere autem illum profecto non potest, nisi cognoverit; cum igitur in hoc ordine Deus est hominis finis supernaturalis, ut talem eum homo appetere et proinde cognoscere debet; non potest autem Deum cognoscere naturaliter tamquam finem supernaturalem; ergo Deus homini se tamquam finem supernaturalem revelare debet. Hominem naturaliter non cognoscere Deum tamquam finem supernaturalem evidens est; etenim naturaliter non cognoscit nisi suam ad finem debitum destinationem; quod igitur ad finem indebitum supernaturalem, qui supposita quoque creatione adhuc a libera Dei voluntate dependet, a Deo elevatus sit, ex natura sua nullatenus deducere potest. Imprimis autem, quod Deus tamquam finis supernaturalis visione beatifica intuitiva sit possidendus, ita humanam cognitionem naturalem penitus excedit, ut neque quoad existentiam neque quoad possibilitatem possit ullatenus cognosci. Ergo.

Idem argumentum ita a *S. Thoma* concise proponitur: „Necessarium . . . (est) homini divinitus credenda proponi, etiam illa, quae rationem excedunt. Nullus enim desiderio et studio in aliquid tendit, nisi sit praecognitum. Quia ergo ad altius bonum, quam experiri in praesenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur . . . oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in praesenti possit pertingere; ut sic disceret aliquid desiderare et studio tendere in aliquid, quod totum statum praesentis vitae excedit. Et hoc prae-

cipue christianae religioni competit, quae singulariter bona spiritualia et aeterna promittit. Unde et in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur" (C. g. l. 1. c. 5).

11. *2. Ex proportione requisita inter viam et terminum.* — Quia homo non est relictus in sua destinatione naturali, quae est possessio Dei per abstractivam Dei cognitionem beatificantem, sed elevatus et in via constitutus est ad finem supernaturalem, qui in immediata divinae essentiae visione beatifica consistit: convenienter requiritur, ut homo iam in via ad hunc terminum Deum cognoscat secundum illas quoque perfectiones, quae ex creatione non manifestantur; ut cognoscat itaque non solum *notum Dei* (Rom. 1, 19), quod respondet fini naturali, sed etiam *profunda Dei* (1. Cor. 2, 10), quae respondent fini supernaturali, ubi Deus in seipso immediate videtur. Iamvero haec profunda Dei, sicuti per solam immediatam visionem intelliguntur, ita quoque per solam revelationem simpliciter innotescere possunt.

Hoc quoque argumentum a *S. Thoma* est propositum „Est autem duplex hominis bonum ultimum, . . . quorum unum est proportionatum humanae naturae, quia ad ipsum obtinendum vires naturales sufficiunt, . . . aliud est hominis bonum naturae humanae proportionem excedens, quia ad ipsum obtinendum vires non sufficiunt, nec ad cogitandum vel desiderandum; sed ex sola liberalitate homini repromittitur (1. Cor. 2, 9) . . . Nihil autem potest ordinari in aliquem finem, nisi praeexistat in ipso quaedam proportio ad finem . . . Unde oportet etiam, quod ad hoc, quod homo ordinetur in bonum vitae aeternae, quaedam inchoatio ipsius fiat in eo, cui repromittitur. Vita autem aeterna consistit in plena Dei cognitione (Ioan. 17, 3). Unde oportet huiusmodi cognitionis supernaturalis aliquam inchoationem in nobis fieri, et haec est per fidem, quae ea tenet ex infuso lumine, quae naturalem cognitionem excedunt" (De verit. q. 14. a. 2. coll. a. 10).

12. *3. Ex supernaturalitate mediorum ad finem supernaturalem attingendum requisitorum.* — Cum finem supernatu-

ralem homini attingendum Deus praestituerit, media quoque supernaturalia, quibus assecutio eiusdem finis possibilis redditur, congrua instituit. Porro haec media ab homine cognosci debere evidens est. Cum vero eadem, praeterquam quod ut media supernaturalitatem finis participant, pleraque etiam in se sint mysteria stricte dicta, ut Incarnatio, Eucharistia aliaque, naturaliter ea cognoscere homo nequit; ergo necessarium est, ut revelatione innotescant.

Scholion.

13. *Obiectiones quaedam solvuntur.* — Magis contra demonstrationem thesis, quam contra ipsam thesin obiiciuntur quaedam:

1. Infantes finem consequuntur, quin ipsum in statu viae cognoverint; non igitur necessarium apparet, ut ab homine sua destinatio in hac vita praenoscatur. Quare infirma apparent argumenta, quae in hoc principio innituntur. *R.* Quid naturae hominis conveniat et quid ab ea exigatur, non est diiudicandum e statu eius infantili et imperfecto, sed ex statu perfecto et a natura intento.

2. Homo naturaliter beatitudinem perfectam desiderat; sed sola beatitudo, quae in visione beatifica consistit, perfecta est; ergo hanc homo naturaliter desiderat. Naturae autem desiderium inane esse non potest; ergo visio beatifica homini debita est atque naturalem eius finem constituit. Quare argumenta, quae visionem beatificam supernaturalem esse supponunt atque mysteriis stricte dictis accensent, inefficacia sunt. — *R. d.* mai.: homo desiderat naturaliter beatitudinem perfectam i. e. talem, quae facultatem eius plene expleat et appetitum eius perfecte quietet *c.* — desiderat beatitudinem perfectam in visione beatifica positam *sbd.:* naturaliter eam desiderat, postquam ex revelatione eius possibilitatem atque suam ad eam destinationem novit *c.* — secus *n.* — Scilicet homo tunc perfecte beatus est, cum eius facultas fruendi perfecte est expleta; haec autem expleri perfecte potest assecutione finis naturalis i. e. perfectae Dei cognitionis abstractivae. Praeterea na-

turaliter homo nec cognoscit possibilitatem visionis beatificae, neque igitur eam naturaliter desiderat. Quod autem supposita eius cognitione per revelationem homo eam connaturaliter desideret, non efficit, ut evadat finis eius naturalis vel naturae eius debitus.

Instant, S. Thomam passim docere, hominem naturaliter desiderare, ut Deum intuitive videat. — *R.* Aliis praetermissis ex verbis S. Thomae supra allatis sufficienter constat, visionem beatificam esse finem hominis supernaturalem; si vero alibi videtur docere, hominem naturaliter desiderare immediatam Dei visionem, intelligit id de homine, qui ex revelatione iam novit suam ad visionem beatificam destinationem: vel argumento convenientiae vult ostendere, quam convenienter ad hunc finem supernaturalem homo fuerit elevatus.

Corollaria.

14. *1. In hypothesi elevationis ad ordinem et finem supernaturalem naturalis quoque religionis veritates revelandae sunt.* — a) Quod patet *primo* ex connexione, quae inter religionem supernaturalem et naturalem intercedit. Etenim quemadmodum finis supernaturalis non negat simpliciter finem naturalem, sed elevatio potius eiusdem est, ita religio quoque supernaturalis non aufert religionem naturalem, sed eam potius supponit, includit atque ad ordinem supernaturalem elevat. Ergo veritates religionis supernaturalis non possunt notificari, quin simul veritates quoque religionis naturalis notificentur. Supposita igitur hominis elevatione ad ordinem supernaturalem veritates quoque religionis naturalis necessario revelantur

b) Verum *secundo* propria huius necessitatis ratio in eo invenitur, quod a destinatione hominis supernaturali, ut sit proportio inter finem et media, cognoscendi quoque modus supernaturalis exigitur. Quando enim homo non est relictus in destinatione sua naturali, sed ad finem supernaturalem elevatus et in via constitutus, inter hunc finem et cognitionem naturalem aeque proportio desideratur, quam

inter eundem finem et dilectionem naturalem. Quare cognitio finis et mediorum ad ipsum requiritur, quae supernaturalis sit et quidem non solum subiective, quatenus viribus gratiae eliciatur, sed etiam obiective, quatenus obiectum cognoscendum supernaturali manifestatione per ipsius Dei testimonium innoteseat. Iamvero in ordine elevationis supernaturalis veritates religiosae naturales quoque ad finem supernaturalem ut media referendae sunt. Ergo cognosci debent modo huic fini proportionato ideoque supernaturali, per revelationem scilicet vel per fidem, quae revelationi attestanti respondet. Ergo naturalis quoque religionis revelatio necessaria est in hypothesi supernaturalis elevationis.

15. *2. Falsa et absurda est Rationalistarum doctrina de continuo in religione cognoscenda et exercenda progressu.* — Rationalistae cùm revelationis necessitatem plane negent eius loco theoriam substituerunt, secundum quam genus humanum sicuti in scientiis et artibus ita etiam in religione continuos progressus fecerit. Quam doctrinam ex recentioribus *Kant* videtur primus proposuisse; atque ipsum secuti plures alii eam efformarunt, ut *Herder, Schelling, Hegel;* denique subsequentes Rationalistae fere omnes eam acceptarunt. Itaque iuxta hanc progressus vel evolutionis theoriam ad religionem applicatam omnes, quae diversis aetatibus viguerunt, religiones non sunt nisi variae eiusdem religionis naturalis formae, quae se ita exceperunt, ut rudioribus et minus excultis perfectiores semper et magis excultae succederent, sicuti generatim cultura generis humani magis magisque efformata est atque magis magisque ingenii et morum ruditatem removit. Haec autem religionis evolutio ex illorum opinione tanta fuit, ut ex rudissimis formis, quae initio generis humani obtinuerunt, opera praesertim virorum magna sapientia insignium, ad perfectissimas iam pervenerit, ad quas tamen perfectiores iugiter secuturae sint. Omnes vero illae religionis formae pro aetate atque culturae et formationis statu, quo viguerunt, bonae et laudabiles, imo relative verae quoque fuerunt, ita ut sub hoc respectu feticismus, anthropomorphismus, polytheismus,

dualismus, buddhismus, muhamedanismus, christianismus hominibus pro stadio culturae respectivae aeque convenirent. Absolute quidem aliae prae aliis formis excellentiores sunt, quapropter talium formarum auctores vel promotores, ut Moyses, Zoroaster, Buddha, Confucius, Muhamed aliique, imprimis vero Christus ut summi generis humani benefactores speciali laude et veneratione digni sunt. Neque igitur secundum hanc doctrinam christiana religio tamquam absolute vera, perfecta et ultima considerari potest; immo ipsa quoque continuo perficitur et perficienda est, donec alia forma adhuc perfectior et culturae progressae magis conformis succedat. Theoria ista Rationalistarum, ut ex facta expositione patet, in assertione nititur, qua veritas relativa et mutabilis dicitur. Scilicet ex opinione eorundem Rationalistarum veritas in se quidem unum quid et determinatum est, ut talis autem ab hominibus non cognoscitur. Cum enim cognitio nostra statui culturae cuiusvis aetatis respondeat, veritatem non absolute, sed gradum potius eiusdem vel particulam exhibet, sive relativa est. Quare veritas mutatur quoque, et quae vera, certa, sancta sunt uno tempore, quia eius conditionibus respondent, iam falsa, prava, impura habenda sunt alio tempore, quia eiusdem temporis culturae iam non respondent. Atque haec quidem tum de diversis systematibus philosophicis, tum de diversis diversorum temporum religionibus valent. — Iam haec tota de hominum in religione cognoscenda et exercenda progressu theoria multipliciter falsa et absurda est. Etenim

a) iisdem argumentis absurda esse ostenditur, quibus supra (Th. 13.) reiecta est falsa doctrina indifferentismi relativi, cuius quippe est peculiaris quaedam forma. 16.

b) Praeterea eadem doctrina, quatenus statuit omnem veritatem relativam esse, *primo* recta via ad perfectum scepticismum ducit. Si enim res earumque habitudinis non cognoscimus, prout in se reipsa sunt, si notiones hominum ita mutabiles sunt, ut quod nunc recte verum dicitur, alio tempore merito falsum existimetur, iam nihil tamquam absolute certum haberi potest, sed de omnibus merito dubi-

tatur. Quare vacillet iam oportet omnis persuasio de veritatibus fundamentalibus, quibus tum ordo metaphysicus tum moralis nituntur. Incerta igitur erit immortalitas hominis atque libertas, existentia et providentia Dei, atque hac ratione ipsa fundamenta cuiusvis religionis collabentur. — *Deinde* absurdum est omnem veritatem esse mutabilem, praesertim si de veritatibus religionis agitur. Quia enim „veritas cognitionis, ut ait *S. Thomas*, est adaequatio intellectus et rei, secundum quod intellectus dicit esse, quod est, vel non esse, quod non est" (e. g. l. 1. c. 59), vel quia veritas est ipsum ens ut est intelligibile, necessario existunt veritates necessariae et immutabiles, si quidem res et habitudines rerum necessariae habentur. Atqui Deus et habitudines hominis ad Deum, quae religionem naturalem constituunt, plane necessariae et immutabiles sunt, quia ex ipsa essentia divina et essentia humana necessario resultant. Ergo veritates religionis naturalis, imprimis immutabiles sunt atque necessariae.

17. c) Deinde quatenus Rationalistae sicuti scientiae et artium, ita etiam religionis continuum progressum asserunt, evidenter ipsi historiae contradicunt. Verissimum quidem est, hominem continuo in cognitionibus suis progredi posse. Cum enim intellectus humanus pleraque obiecta non intuitive cognoscat, sed mediate a notis ad ignota discursu procedendo, continuo veritates iam cognitas melius et profundius intelligere, ordinare et expolire atque augere potest, qui totidem sunt humanae cognitionis progressus. Quae cum ita sint, falsum tamen est, talem progressum necessario et continuo fieri et factum esse. Etenim *primo* quod scientias et artes attinet, historia teste homines quibusdam temporum periodis non solum non progressi sunt, sed potius regressi i. e. thesaurum cognitionum ita non auxerunt, ut potius imminuerint. Quod evidens sane est, si recolantur fata litterarum v. g. graecarum et latinarum aliarumque. — Quod *deinde* religionem attinet, historia pariter testatur, multiplicem reipsa regressum eiusdem in historia generis humani contigisse. Ita constat in primordiis generis

humani religionem perfectam vel saltem Monotheismum exstitisse, posterioribus autem temporibus populos ad polytheismum defecisse atque ex legitimo Dei cultu in absurdam idololatriam incidisse (cf. *Ch. Pesch,* Gott und Götter). Imo nostris diebus coram oculis talis regressus cernitur, cum non modo multi a christiana religione deficiant, sed ipsa Dei existentia reiecta putidissimis atheismi, pantheismi, materialismi erroribus se tradant. Itaque iuxta progressum multiplex quoque regressus religionis in historia observatur.

18. Rationem huius progressus et regressus generis humani, de qua re multum recentissimo tempore disceptatur, egregie iam illustravit *S. Thomas:* „Ad hominis naturam pertinet ratione uti ad veritatis investigationem. Rationis autem proprium est non statim apprehendere veritatem. Et ideo ad hominem pertinet paulatim in cognitione veritatis proficere. Substantiae vero separatae, quae intellectuales dicuntur, statim absque inquisitione notitiam veritatis habent... Eorum, quae bene se habent ad aliquid circumscribendum, videtur tempus esse quasi adinventor vel bonus cooperator, non quidem quod tempus per se ad hoc aliquid operetur, sed secundum ea, quae in tempore aguntur. Si enim aliquis tempore procedente det operam investigandae veritati, iuvatur ex tempore ad veritatem inveniendam, et quantum ad unum et eundem hominem, qui postea videbit, quod prius non viderat, et etiam quantum ad diversos, utpote cum aliquis intuetur ea, quae sunt a praedecessoribus inventa, et aliquid superaddit. Et per hunc modum facta sunt additamenta in artibus, quarum a principio aliquod modicum fuit adinventum, et postmodum per diversos paulatim profecit in magna quantitate, quia ad quemlibet pertinet superaddere id quod deficit in consideratione praedecessorum. Si autem e contrario exercitium studii praetermittatur, tempus est magis causa oblivionis, ut dicitur in 4. Phys., et quantum ad unum hominem, qui, si se negligentiae dederit, obliviscetur, quod scivit, et quantum ad diversos. Unde videmus multas scientias, quae apud anti-

quos viguerunt. paulatim cessantibus studiis in oblivionem abiisse" (Eth. 1. lect. 11).

19. d) Tandem quatenus theoria continui progressus in religione statuit rationem humanam in negotio religionis sibi penitus sufficere, reiecta est in praecedenti thesi.

e) Denique pertinent huc documenta quaedam magisterii authentici: *Concilium Vaticanum* scilicet illum de continuo in religione progressu errorem sollemniter damnavit: „Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere: anathema sit" (can. 3. in cap. 2. Denz. 1809). Quam vero aperte eadem progressus continui doctrina ad religionem christianam applicata cum hac ipsa pugnet, notavit *Pius IX.* in encyclica Qui pluribus', 9. Nov. 1846: „Neque minori certe fallacia. Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, proinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat, qui Stoicum et Platonicum et Dialecticum Christianismum protulerunt." (Denz. 1636.) Necnon *Concilium Vaticanum* declarat: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum" (Const. Dei Filius, cap. 4. Denz. 1800.).

Quaestio quarta.

De revelationis cognitione vel de criteriis revelationis in genere.

Articulus primus.

De amplectenda et cognoscenda religione revelata.

Thesis 18. **Religio revelata ab omnibus amplectenda est, quibus destinatur et sufficienter innotescit; quare, cum religio aliqua cum veritatis specie ut revelata proponitur, homo officio eam examinandi graviter adstringitur.**

Cf. *Ottiger* I, p. 273 ss. — *Denzinger*, Relig. Erkenntniss I, 149 ss.

Declaratio.

1. Argumentum et divisio huius quaestionis. — Post- 1.
quam demonstrata est et explicata revelationis possibilitas necnon necessitas, de habitudine hominis versus religionem revelatam sibi propositam quaerendum est vel de ratione, qua homo veram religionem a falsa distinguere possit atque veram sibi appropriare possit ac debeat. Praecipue vero vel fere unice in hac inquisitione iam de revelatione mediata agitur, quae ad homines per legatos divinos pervenit. Tribus vero articulis totum argumentum absolvitur.

Articulus primus: de amplectenda et cognoscenda religione revelata.
Articulus secundus: de ratione et scopo criteriorum revelationis.
Articulus tertius: de criteriis quibusdam vel secundariis vel insufficientibus.

2. Errores in praesenti thesi reiiciendi. — Doctrina 2.
catholica. — Iterum reiiciendus occurrit Indifferentismus relativus, cuius quippe fautores omnes religiones eodem loco habentes officium omne tum acceptandi religionem revelatam, tum in eam, quae se ut revelatam offert, quacumque

ratione inquirendi plane negant. Qui error Indifferentismi sub hac quoque speciali forma non semel ab ecclesia notatus et reiectus est. Huc pertinent, quae habet *Concilium Coloniense,* decret. p. 1. c. 4.: „Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides habeatur. Nec potest iis, qui fidem detrectat, non inferre iniuriam aut Dei scientiae et veracitati, dum eum erroris vel fraudis non expertem innuit, aut Dei sapientiae, dum eum absque consilio agere et loqui opinatur, aut supremo eius dominio, cui se non vult submittere; unde etiam aeternae damnationis reus pronuntiatur" (cf. Collect. Lac. tom. V. p. 275). Necnon *Concilium Vaticanum* doctrinam catholicam declaravit atque oppositum errorem solemniter reiecit: „Cum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur" (Sess. 3. cap. 3. Denz. 1789.). — „Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit anathema sit" (cap. 3. can. 1. Denz. 1810).

3. *3. Sensus thesis accuratius definitur.* — Doctrina catholica duabus thesis partibus vindicatur. In prima statuitur, religionem revelatam ab omnibus amplectendam esse, quibus destinatur et sufficienter proponitur. Agitur autem generatim de religione revelata quacumque possibili, sive obiective, i. e. quoad veritates, officia, media salutis proposita sit naturalis sive supernaturalis. Dicitur amplectenda esse ab iis, quibus destinatur; nihil enim repugnat, quin aliqua religio revelata sit particularis, uni v. g. tantum populo destinata, qualis reipsa fuit Lex Mosaica pro Israelitis. Scilicet religio revelata particularis esse potest, si de solis praeceptis positivis vel de mediis quoque positivis agitur. Quatenus enim religio revelata contineret religionis naturalis explicationem, omnes obligare videretur, sicuti omnibus est necessaria vel convenit. Quatenus praeterea religio particularis revelata veritates manifestat, ii ad quos non dirigitur, non quidem cultu publico et communi eas profi-

teri tenerentur, neque oboedientia ad illas veritates credendas obligati essent, cum Deus ipsis locutus non sit; verum easdem negare vel in dubium vocare nemini liceret, quia id negationem divinae scientiae et veracitatis inferret; quin imo omnes, in quorum cognitionem talis revelatio veniret, veritates eadem communicatas positivo mentis assensu propter reverentiam Deo se manifestanti debitam admittere debere videntur. Dicitur amplectenda esse talis religio ab iis, quibus sufficienter innotuit; quaenam autem cognitio requiratur et sufficiat, postea dicetur. — In secunda parte asseritur investigandam esse veritatem iis, quibus religio aliqua se tamquam revelatam offert cum veritatis specie; si enim evidenter absurda apparet, inquisitio inutilis atque superflua esse perspicitur. Inquisitio autem talis facienda est tum a simpliciter infidelibus, tum a partialiter fidelibus vel haereticis, cum de sua religione prudenter dubitant. Nunquam autem facienda est catholico, quippe qui nec prudenter nec licite de sua religione unquam dubitare potest, cum in possessione verae religionis revelatae iam sit constitutus; quod quidem alibi accuratius explicabitur.

Demonstratio.

I. p. Religio revelata ab omnibus amplectanda est, quibus destinatur et sufficienter innotescit.

Quibuscumque generatim rationibus officium religionis 4.
probatur, iisdem etiam demonstratur amplectendam esse religionem, quam Deus revelat. Itaque

1. Probatur ex supremo Dei dominio. — Religio enim revelata obiective spectata nihil aliud est, quam modus sive ratio, qua Deus ab hominibus cognosci vult, honorari atque adorari, uno verbo: qua ab hominibus coli vult. Iamvero sicuti solius Dei est, cultum definire et manifestare, quem exigat, ita hominis supremum officium est, Dei supremi domini praeceptis oboedire atque igitur eum ipsi cultum impendere, quem ipse Deus praescribit; eadem ratione principes terreni honores praescribunt, qui ipsis ex-

hibendi sunt. Ergo religio revelata ab iis amplectenda est, quibus destinatur.

2. Ex eo, quod in religione revelata Deus est finis hominis supernaturalis. — Quemadmodum in religione naturali Deus hominum finis est naturalis, ita in religione revelata eorundem finis est vel esse potest supernaturalis. Atqui homo absolute obligatus est, ut in finem sibi praestitutum tendat; in finem autem supernaturalem tendere non potest, nisi media accipiat huic fini proportionata; talia autem media fini supernaturali proportionata acciperc non potest nisi per religionem revelatam; ergo homo religionem revelatam amplecti obligatus est. Absurdum igitur est, quod Indifferentistae urgent, sc. hominem eligere posse inter finem naturalem et supernaturalem assequendum. Etenim, qui religionem revelatam sufficienter sibi manifestatam respuit, ipsam legem naturalem violat, quippe quae praescribit, ut Deo loquenti fides exhibeatur. Gravem sc. Deo iniuriam irrogat atque contra rationem agit, qui legem positivam sufficienter notificatam observare renuit et dona supernaturalia, quae Deus ipsi impertire vult, inepte et audacter respuit; ergo.

5. *3. E revelatione formaliter considerata.* — Haec ratio religioni revelatae propria est atque ita habet: Qui religionem revelatam sibi destinatam detrectat, ideo assensum suum denegat, quia iudicat, Deum nescire, quae revelat, aut Deum non esse veracem, aut quia putat sibi non esse oboediendum; atqui utrumque ex his tribus absurdum est; ergo.

4. Ex morali impotentia hominum suis viribus naturalibus cognoscendi religionem naturalem. — Haec enim naturalis impotentia, cum cultui Dei congruo impedimento sit, in homine existere nequit, quin idem simul obligatione adstrictus sit ad illud amplectendum medium, quo eidem impotentiae occurratur; Deum enim homo quantum fieri potest modo congruo colere debet. Iamvero tale medium in casu, de quo agitur, divina revelatio est. Ergo homo divinam revelationem amplecti omnino tenetur.

5. Ex populorum consensu. — Etenim gentiles religio- 6.
nem, quam profitebantur, per revelationem divinitus se accepisse atque unicuique eam exercendi obligationem incumbere existimaverunt. Quamvis vero quoad ipsum factum revelationis in multis, alii in aliis, errore ducerentur, persuasio tamen religionem revelatam amplectendam esse tam communis erat, quam alia illa, qua generatim Deum colendum esse censebant. Ergo prouti haec ita et illa persuasio vera habenda est.

6. Argumento theologico. — Theologice thesis constat ex ipsa religionis christianae institutione. Religio scilicet christiana, quam Christus instituit revelata est et supernaturalis. Christus vero Deus-homo sub aeternae damnationis poena omnibus iniunxit, ut hanc religionem profiterentur, quamprimum eius cognitionem sint adepti. Ergo religio revelata ab omnibus amplectenda est, quibus destinata est et innotuit. — Luculenta probatio theologica in eo quoque invenitur, quod singulorum huius religionis exercitiorum et officiorum necessitas in diversis tractatibus speciatim probatur, ut fidei aliarumque virtutum supernaturalium, usus sacramentorum, sacrificii oblatio aliorumque plurium.

2. p. Homo ad investigandam eam religionem tenetur, quae cum aliqua veritatis specie ut revelatam se offert.

1. Probatur ex comparatione cum legibus humanis. — 7.
Leges humanae non in manus singulis traduntur, sed sufficit, ut promulgentur et attentio ad eas dirigatur. His enim suppositis, omnes, quos hae leges respiciunt, in easdem inquirere sibique cognitionem earundem acquirere debent; neque dubium est, eos quoque talibus legibus obligari, qui praetermissa attentione in cognitionem earundem sua culpa non pervenerunt. Si vero ita dicendum est de legibus humanis, magis etiam idem valet de legibus divinis, praesertim si rem gravis momenti respiciunt. Atqui religio revelata lex divina est atque rem respicit, qua nulla aeque gravis est. Ergo sufficit, ut cognoscibiliter proponatur vel promulgetur et attentio hominum ad eam excitetur. Qua

attentione excitata et suspicione de revelationis propositae veritate oborta, omnes homines, quos respicit, in eam inquirere tenentur, atque certitudinem de ea, quantum fieri potest, sibi comparare.

8. *2. Ex necessitate cognitionem religiosam perficiendi.* — Unusquisque scilicet lege naturae tenetur, cognitionem Dei, quam cordi insertam gerit, pro viribus perficere, ut Deo dignum cultum reddere possit; ad hanc autem congruam religionis cognitionem sola ratio non sufficit. Hinc est, quod infideles, imprimis qui bona fide voluntati Dei obsequi conantur, dubiis de religione pulsantur atque perfectam religionis cognitionem anhelant. Quae cum ita sint, infidelis certe in religionem, quae se ut revelatam cum veritatis specie offert, diligenter inquirere tenetur; secus enim contra obligationem illam et ipsam naturalem suam inclinationem ageret, quibus ad veram religionem perfecte cognoscendam impellitur.

3. Ex necessitate finem assequendi. — Qui recusaret inquirere in religionem, quae se cum veritatis specie ut a Deo revelatam offert, culpabili incuria ipsum finem suum ultimum negligeret, imo sperneret; etenim medium negligeret, quod cum veritatis specie ipsum ad finem perducere unice potest. Atqui absoluta obligatio homini incumbit, ut finem ultimum pro viribus assequi conetur; ergo absoluta obligatione tenetur quoque, ut in religionem, quae cum veritatis specie ut revelatam se offert, sedulo inquirat.

Corollarium.

9. *Omnes, qui extra ecclesiam catholicam sunt, grari officio adstringuntur, ut in veritatem eiusdem sedulo inquirant.* — Quod evidenter ex secunda thesis parte consequitur. Etenim ab undeviginti iam saeculis ecclesia catholica coram omnium adspectu versatur atque omnibus se exhibet tamquam religionem divinitus revelatam, unice veram atque ita omnibus necessariam, ut extra ipsam nulla salus sit. Et quidem coram oculis apparet tamquam *civitas in monte posita* i. e. eo veritatis splendore fulget, ut aut coecutire aut contra aper-

tam veritatem insanire videatur, qui non solum veritatem, sed vel veritatis speciem ipsi denegare velit. Aliis enim multis praetermissis haec religio imprimis ab exordio suo non solum rudem et indoctum populum sibi subiecit, sed innumeros quoque viros, qui summo ingenio, insigni doctrina, clarissima vitae sanctitate inter omnes maxime praestabant, ita sibi devinxit, ut ex firmissima de veritate christiana persuasione acerbissimos cruciatus vel ipsam mortem subire non dubitaverint. Praeterea eadem haec religio christiana tantam puritatem doctrinae profitetur, tantam in mores mutandos et perficiendos efficientiam prodit, ut omnes alias veteres et recentes religiones infinite pene excedat, atque primo fere obtutu animum incorruptum et veritati amicum sibi conciliet. Denique, quo egregie ab omni institutione humana distinguitur, media in vehementissimis contra eam excitatis procellis atque persecutionibus tanta constantia atque fortitudine invicta permansit, atque tam singularia et maxime mira in probationem divinae suae originis facta adducit, ut divina protectione et gubernatione fulta esse non possit non videri. Atque haec pauca, quae deinceps accurate prosequenda erunt, prima consideratione evidenter ostendunt, ecclesiam catholicam veritatis speciem saltem manifesto prae se ferre; quare omnibus, qui extra eam versantur, grave officium incumbit in veritatem eius serio inquirendi.

Scholion.

Obiecta quaedam removentur. — a) Primo obiici possit: **10.** Religio, quae solum cum veritatis specie se exhibet, tantum ut lex probabiliter vera cognoscitur; lex autem probabiliter vera nec sequenda nec inquirenda est; ergo. — *R.* Aliud est legem probabilem non obligare, aliud eam non esse inquirendam. Falsum enim est et perperam Probabilismo imputaretur, legem probabiliter veram non esse inquirendam; certa enim est obligatio inquirendi talem legem, praesertim si ut medium necessarium ad finem absoluta necessitate assequendum exhibetur. Huc pertinet propositio 4.

ab *Innocentio XI.* damnata: „Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili“ (Denz. n. 1154). Praeterea qui in revelationem probabiliter interim cognitam serio inquiret, facile mox eam ut certo veram cognoscet, cum indubiis veritatis argumentis undique fulgeat.

11. b) Praeterea a Rationalistis et Indifferentistis obiicitur hominem in ea religione manere debere, in qua natus et educatus est, cum ipsa providentia divina eum in illa posuerit. — *R.* Non omnia providentia Dei ordinante, sed multa divina providentia permittente fiunt. Falsum igitur est, ideo alicui in aliqua religione manendum esse, quia in ea natus atque educatus est. Secus Muhamedanus v. g. ex divina ordinatione Christum blasphemaret, atque multa alia absurda et Deo iniuriosa consequerentur.

12. c) Obiicitur plerisque saltem impossibilem esse talem investigationem, qualis in secunda parte thesis postulata est. Ad talem enim investigationem necessarium videtur omnes religiones inquirere, quae se ut revelatas exhibent. Quae cum plures sint, investigatio illa humanas vires longe excedere videtur. — *R.* Falsum est necessarium esse, ut in omnes religiones inquiratur, cum imprimis pleraeque praeter christianam religiones consideranti ut falsae et absurdae continuo appareant. Praeterea cum agatur potissimum vel unice de cognoscenda religione christiana, falsum est eius veritatem cognosci non posse, quin cum aliis accurate comparetur. Talis quidem comparatio intellectum iuvare et certitudinem augere potest; verum sicuti veritas aliqua mathematica sufficienter cognoscitur, cum demonstrata est, quin oppositi errores directe recenseantur, ita veritas quoque religionis christianae splendore suo intellectum collustrare valet, quin cum omnibus aliis religionibus comparetur. Denique cum nec omnibus eadem inquisitione opus sit, facile tamen ab omnibus certa de religionis christianae veritate persuasio brevi acquiri potest. Ad talem enim persuasionem acquirendam sufficit sincere considerare sigilla divina, quibus insignita est, miracula et prophetias, eximiam sanctitatem doctrinae eius atque multorum asse-

clarum, denique effectus eius morales vere stupendos atque alia eiusmodi plura. Imo vel unum ex his serio et sincere perpendere sufficere potest, ut veritas religionis christianae plane perspiciatur.

Thesis 19. Ad revelationem acto firmo et prudenti amplectendam moralis de eiusdem veritate certitudo sufficit et requiritur.

Declaratio.

1. *Conceptus certitudinis paucis explicatur.* — Praesenti thesi iam respondendum est ad quaestionem supra commemoratam, qualis cognitio revelationis praerequiratur, ut obligatio pleno mentis et voluntatis consensu ipsam suscipiendi vim suam in hominem exserere possit. Respondetur requiri et sufficere cognitionem eiusdem moraliter certam. Iam certitudo definitur actus mentis, quo veritati perceptae firmo assensu adhaeret. Qui itaque circa aliquam veritatem fluctuat vel dubitat formidans errorem, in veritate cognita nondum quiescit, neque igitur certitudinem habet. Cum porro certitudo non una ratione dividatur, unam harum divisionum hic referre opus est; eam scilicet, qua in evidentiam et certitudinem communem vel aliis verbis in certitudinem perfectam et imperfectam sive moralem dividitur. Evidentia vel certitudo perfecta est assensus necessarius, in quem mens per perfectam veritatis manifestionem ita rapitur, ut dubium quodvis etiam imprudens physice exclusum sit. Certitudo communis vel moralis vel imperfecta illa est, quae concurrente voluntate imperante ex minus clara obiecti manifestatione ita oritur, ut firmum quidem assensum dicat atque omne dubium prudens, non vero imprudens omne excludat. Certitudo moralis eo igitur sensu hic sumitur, quo certitudini necessariae vel evidentiae, non vero eo, quo methaphysicae et physicae opponitur. Iam hac certitudinis notione supposita thesis facile probatur tum contra eos, qui dicunt, non requiri ullam certitudinem de revelatione, ut ab homine suscipi possit, cum quidem sensu

religioso suscipiatur, tum contra eos, qui contendunt, moralem certitudinem ad suscipiendam revelationem non sufficere.

Demonstratio.

I. p. Ad revelationem amplectendam moralis certitudo de eiusdem veritate sufficit.

2. *1. Probatur ex eo, quod revelatio est lex divina.* — Ut subditus superioris mandato obligetur, non requiritur mandati cognitio evidens, sed certa eiusdem cognitio sufficit, quippe qua omne dubium prudens est exclusum; quare inter homines superiori iniuriam inferre censetur, qui mandatum eius, quod quidem non evidens est sed certum, negligit et spernit. A fortiori igitur mandatum, quo revelationem divinam amplecti tenemur, cum certe manifestatur, pleno mentis et voluntatis obsequio exsequendum est; Deo enim profecto promptius oboediendum est quam hominibus, quippe qui revelans infinite sapiens et verax est atque hominis bonum maxime intendit; ergo.

3. *2. Ex fine revelationis.* — Revelatio a Deo ex fine impertitur, ut homo doctrinas revelatas amplectens atque vitam suam iisdem conformans plenum mentis et voluntatis obsequium Deo praestet. Atqui ad hunc finem assequendum plane sufficit certitudo moralis, nulla vero ratione evidentia requiritur. Ergo revelatio, quae certo, etsi non evidenter, innotuit, ab homine amplectenda est. Et certe ab hac obligatione homo se exemptum ideo tantum putare posset, quia periculum erroris illa certitudine non sit exclusum; atqui certitudo moralis est certitudo veri nominis, qua omnis prudens dubitatio atque omne errandi periculum excluduntur. Ergo tali certitudine supposita revelatio omnino amplectenda est, et hoc vel eo magis dicere opus est, quod saepe sola probabilitate usi operamur atque vitam instituimus.

2. p. Ad revelationem actu firmo et prudenti suscipiendam requiritur vera de eius existentia certitudo moralis.

4. *1. Probatur ex eo, quod actus, quo revelatio suscipitur, debet esse firmus.* — Revelatio enim ex natura sua, quia

est verbum Dei revelantis, actu fidei super omnia firmo suscipienda est. Atqui assensus fidei firmus tamdiu prudenter praestari non potest, quamdiu aliquis merito timet, ne Deus non sit locutus, ne igitur in errorem ipse incidat. Iamvero quamdiu non adest saltem moralis certitudo, quamdiu non est exclusa omnis prudens dubitatio, tamdiu merito timetur, ne Deus non sit locutus, ne revelatio non sit facta; ergo sine certitudine saltem morali non potest praestari firmus assensus in revelationem. Et si nihilominus aliquis spretis dubiis illis prudentibus assensum firmum praestaret, hic sane non esset prudens, sed imprudens et facile destructibilis.

2. Ex eo, quod idem actus debet esse prudens. — Prudentia postulat, ut in re gravi prasertim errandi periculum effugiatur; atqui hoc periculum tantum effugitur, si assensus praestatur consonus argumentis, quibus existentia revelationis probatur; ergo ut certus assensus sine errandi periculo praestetur, debet factum revelationis obiective certum esse; si non est tale, non potest assensus rationabiliter esse certus; erit igitur aut imprudens et certus, aut prudens et probabilis tantum. 5.

3. Ex communi consensu theologorum. — Theologi consentiunt, certam de revelationis existentia persuasionem praerequiri, ut homo possit firmo fidei actu eandem suscipere. „Homo, inquit *S. Thomas*, non crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel aliquid huiusmodi“ (S. theol., 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2). Et iterum dicit: „Quia sermo propositus confirmatione indiget ad hoc quod recipiatur, nisi sit per se manifestus, ea autem, quae sunt fidei, sunt humanae rationi immanifesta, necessarium fuit, aliquid adhiberi, quo confirmaretur sermo praedicantium fidem. Non autem confirmari poterat per aliqua principia rationis per modum demonstrationis, cum ea, quae sunt fidei, rationem excedant. Oportuit igitur aliquibus indiciis confirmari praedicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur huiusmodi sermonem processisse a Deo“ (C. g. l. 3. c. 154). — *Suarez* vero rem ita explicat. „Ut propo- 6.

sitio obiecti fidei sit sufficiens. debet id, quod proponitur, esse evidenter credibile tamquam a Deo dictum adeoque certum et infallibile, quia iudicium, quo voluntas inducitur ad volendum credere, debet esse certum et evidens, fundatum in evidentia credibilitatis; ac proinde non sufficit obiectum utcunque proponi tamquam a Deo dictum seu revelatum, sed debet ita proponi cum talibus circumstantiis, ut prudenter appareat credibile eo modo, quo proponitur; hinc non tantum debet proponi ut evidenter credibile, sed etiam ut evidenter credibilius quocunque alio obiecto seu doctrina illi contraria . . .; imo debet ita proponi evidenter credibile, ut etiam ipsa ratio naturalis dictet esse credendum, et eiusmodi quidem fide, quae sit praeferenda cuivis opinioni contrariae" (De fide, disp. 4. s. 6. n. 6).

7. *4. Ex documentis ecclesiasticis.* — Huc pertinet imprimis propositio 21. inter propositiones 64 ab *Innoc.* P. XI. damnatas: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad revelationem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus" (Denz. n. 1170). — Praeterea *Pius IX.* in Encycl. „Qui pluribus" d. 9. Nov. 1846 data declarat: „Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus. rationabile obsequium exhibeat (Rom. 13, 1.) . . . Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet divinam esse Christi religionem . . . ac propterea nihil nostra fide sanctius exstare et quod firmioribus innitatur principiis." Et enumeratis dein variis argumentis concludit: „Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum eiusdem fidei auctorem existere . . . quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit." — Huc refe-

rendae sunt deinde propositionum, quas subscribere debuit Bautain, quinta: „Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit", et sexta: „Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis Iudaeis per Moysen et christianis per Iesum Christum factae probare valet" (Denz. n. 1626 ss.). — Eadem *Concilii Vaticani* quoque est diserta doctrina; declarat enim: „Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et divinam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata." Et paulo post pergit: „Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit" (Constit. De Fide cap. 3.; cf. can. 3. et 4. de fide. D. 1790 ss., 1812 ss.). — Denique *Leo XIII.* iterum eandem doctrinam proponit in encycl. „Aeterni Patris".

Scholia.

1. Argumentis certis, quibus revelationis existentia et veritas probatur, recte et utiliter argumenta probabilia tantum addi possunt. — Neque enim una tantum huius assertionis ratio est; nimirum a) argumentis probabilibus, quae certis superadduntur, intellectus adhaesio ad veritatem augetur, quae adhaesio vel certitudo omnis cognitionis finis internus et perfectio est. Si enim argumenta probabilia sola vel seiuncta a certis ex natura sua intellectum ad assensum iam inclinant, adhaesio praestita propter argumenta certa et probabiles rationes necessario maior est ceteris paribus quam assensus, qui propter sola argumenta certa praestatur. Scilicet imaginandum non est, argumentis certis et probabilibus, cum simul intellectum movent, distinctos assensus determinari, certum unum et alterum probabilem; sed unus idemque assensus gignitur, a quo propter argu- 8.

menta certa formido errandi et dubitatio prorsus exclusae sunt. Simili ratione argumentis certis pluribus non plures assensus certi, sed unus producitur; assensus enim unus in pluribus sane motivis saepe innititur. Neque igitur homo, qui propter argumenta certa et simul propter probabilia eidem veritati eodem tempore adhaeret, simul certus et dubius de eadem re esse ullatenus dici posset.

9. b) Item argumentis probabilibus additis, plures difficultates multo facilius solvi possunt. Saepe enim ab adversariis obiicitur, revelationem in genere vel particulares quasdam veritates revelatas cum ratione pugnare. Iam tales difficultates commodissime repelluntur, si argumentis probabilibus vel rationibus congruis ostendatur revelationem vel veritates revelatas perfectionibus divinis et providentiae positive consonare. Ergo ex hac quoque ratione argumenta probabilia certis utiliter adduntur.

c) Propositione argumentorum probabilium tantum mens humana impelli solet, ut quaerat detegatque alia argumenta, quae sive singula sive saltem omnia simul rem penitus certam reddant. Sic v. g. unius hominis testimonium aliquando vel plerumque non sufficit, ut vera certitudo habeatur, sed excitat ad aliorum quoque testimonium exquirendum, dum de re certo iam constet.

d) Denique argumenta probabilia voluntatem inclinant, ut facilius intellectum ad assensum determinet; augent enim lumen, quo obiectum prae intellectu refulget. Quo maiore autem lumine obiectum respersum est. eo facilius intellectus in idem voluntatis imperio movetur; quare, quae inter homines narrantur, eo facilius admittuntur, quo verisimiliora apparent, quamvis proprium assensus motivum sit solum testimonium narrantis; ergo.

Hinc merito plane *Melchior Canus* haec enuntiare intelligitur: „In veteribus theologis, in summis Ecclesiae Pontificibus, in conciliis tandem quaedam argumenta invenias, quae suadeant quidem, non cogant, ac certis aliis exploratisque permixta non modo totum disputationis corpus exornent, verum etiam confirment. Probabilia igitur argu-

menta necessariis adiuncta tantum abest, ut reprehendenda sint, ut sint etiam commendanda" (De loc. theol. l. 12. c. 13).

Cavendum autem est sane, ne argumenta, quae pro- 10
babilia solum sunt, pro certis assumantur; qua cautione adhibita ipsa mysteria, ut iam supra notatum est, probabili demonstratione explicari possunt: „Sunt tamen, inquit *S. Thomas*, ad huiusmodi veritatem manifestandam rationes aliquae verisimiles inducendae, ad fidelium quidem exercitium et solatium, non autem ad adversarios conveniendos, quia ipsa rationum insufficientia eos magis in suo errore confirmaret, dum aestimarent, nos propter tam debiles rationes veritati fidei consentire" (C. g. l. 1. c. 9). Atque idem *S. Thomas*, quod notatu dignum est, in omnibus operibus ad veritatem aliquam undequaque explicandam argumentis certis probabiles rationes miscere solet, ut ipse eodem loco fatetur ita pergens: „Primum nitemur ad manifestationem illius veritatis, quam fides profitetur et ratio investigat, inducendo rationes demonstrativas et probabiles." Quare absurdi sunt, qui quamcunque rationem a *S. Thoma* adductam tamquam certam et demonstratam veritatem habent.

2. *Obiectiones quaedam solvuntur.* — Videri posset pro- 11.
babilem revelationis cognitionem aeque sufficere ad obligationem amplectendi firmo fidei actu revelationem, quam ad officium eandem investigandi; quia in utroque casu de fine absoluta necessitate consequendo agitur. Confirmatur, quia universaliter fere vel saepissime saltem ad prudenter agendum sola probabilitas sufficit, ut recte v. g. ei eleemosynam elargimur, quem probabiliter solum egenum habemus. — *R. n.* paritatem. Etenim *primo:* Qui investigat religionem, quam probabiliter vere revelatam habet, prudenter agit; qui certum assensum praebet rei probabiliter tantum verae, imprudenter agit Quare primum quidem a Deo imponi potest, non vero alterum. *Deinde* ad confirmationem argumenti dicitur: Aliud est assensus firmus praestandus, aliud res agenda. Virtutes enim morales recto

modo exerceri possunt, etsi exercitio earum probabilis tantum cognitio praecurrat. Itaque qui homini, quem probabiliter egenum esse existimat, dat eleemosynam, prudenter agit ideoque moraliter; qui vero firmo fidei assensu credit, tamdiu imprudenter agit, quamdiu, an Deus sit locutus necne prudenter dubitat, quia manifesto erroris periculo se exponit.

Articulus secundus.

De ratione et scopo criteriorum revelationis.

Thesis 20. Examen religionis, quae ut revelata proponitur, primario et per se ad internam eiusdem religionis veritatem referendum non est, sed eo potius spectat, ut ipsum factum revelationis vel origo eius divina patefiat.

Declaratio.

1. *1. Notio et divisio criteriorum revelationis.* — Ut revelationem fide rationabili et firma amplecti possimus, certa praerequiritur, ut dictum est, cognitio, qua revelationis existentia cognoscatur atque vera revelatio a falsa discernatur. Ut vero revelatio divina ut talis cognosci possit, necessario certis notis insignita esse debet, quae eam ut divinam exhibeant et ab omni falsa revelatione distinguant. Quemadmodum igitur rex epistolas suas vel decreta, ut tamquam regia cognoscantur, anulo regio signat, ita Deus quoque revelationem quam impertit, iis signis notare debet, quibus certo cognosci et a falsis discerni valeat; secus enim, ut ex dictis patet, revelatio finem suum obtinere non posset. Iam eiusmodi signa criteria revelationis dicuntur. Criterium enim definitur ratio sive signum, quo ad rem cognoscendam sive verum a falso distinguendum pervenimus. Si eiusmodi signa rei cognoscendae inhaerent atque unum aliquod cum ipsa constituunt, notae quoque dicuntur. *Criteria revelationis igitur signa vel notae ipsius revelationis vel rationes quaedam sunt, quibus ut divina ab hominibus cognoscitur.* Eadem motiva credibilitatis quoque

vocantur, quia ad iudicium credibilitatis, (i. e. iudicium, revelationi credi posse et credendum esse) impellunt. Non autem confundenda sunt cum praeambulis fidei; haec enim illis veritatibus naturalibus constituuntur, quarum cognitio ad revelationem cognoscendam praerequiritur, quales sunt: existentia et scientia et veracitas Dei; spiritualitas quoque, immortalitas, libertas animae huc referuntur. Praeambula non ostendunt Deum revelasse; motivis autem credibilitatis hoc ostenditur.

Criteria revelationis varie dividuntur:

a) *Sunt aut interna aut externa.* — Etenim sicuti omnis 2.
res cognoscitur aut per seipsam i. e. per rationem internam et propriam aut per rationem aliquam extraneam et non propriam, ita etiam revelatio. Ratio externa constituitur testimonio sive humano sive divino; ratio interna doctrinae propositae sive natura sive effectibus etiam (quamvis hoc ultimum latiore sensu) continetur.

b) *Criteria sunt aut positiva aut negativa;* positiva movent ad iudicium, revelationem factam esse; negativa nonnisi removent, quae positive revelationis facto obstare videntur. Sic miracula et prophetiae in favorem alicuius religionis facta, sanctitas eximia doctrinae eiusque mirabiles effectus positiva criteria sunt. Immunitas autem doctrinae a pugna cum ratione, si non complectatur totam legem et religionem naturalem, est tantum criterium negativum, cum haec immunitas sola non ostendat religionem esse revelatam; econtra autem doctrinae pugna cum ratione ostendit eam non esse revelatam. Ceterum alio adhuc modo criteria negativa ea dicuntur, quibus ostenditur religionem aliquam falso se iactare ut revelatam.

c) *Revelationis criteria aut sensibilia sunt aut insensibilia.* — Insensibilia v. g. motiones divinae internae sunt, quibus quis ad revelationem amplectendam movetur, cum in se sensibus non pateant, quamvis in effectibus suis sensibus obiici possint. Criterium sensibile inter alia sunt miracula, quia sensibus percipiuntur. Notandum autem est, criteria externa et sensibilia non coincidere. Ita motiones

internae supernaturales, ut ex supra dictis patet, criteriis externis accenseri debent, quamvis non sint per se sensibiles.

d) *Denique sunt aut obiectiva aut subiectiva.* — Haec sunt effectus, quos revelatio in singulis producit vel producere potest, v. g. pax animae, gustus spiritualis etc.; obiectiva cetera omnia.

3. 2. *Scopus huius thesis.* — De revelationis facto demonstrando non multum curandum esse docent, qui revelationem dicunt docentem esse, non attestantem; videlicet, si agitur tantum de magisterio aliquo, ex quo homo ea, quae intelligit, admittere, cetera autem respuere potest, tunc parum refert, quaenam sit origo doctrinae. Aliter vero prorsus loquendum est de revelatione attestante, quae fit auctoritate divina interposita et fidem exigit, qualis est religio christiana. Quo in casu imprimis factum revelationis sive divina religionis origo ostendenda est. Factum vero revelationis est ipsa Dei locutio formaliter considerata. Veritates revelatae partem revelationis materialem sive obiectivam constituunt. Revelatio igitur in concreto spectata complectitur locutionem et veritates revelatas. Itaque his suppositis dicimus, examen circa religionem revelatam imprimis versari debere in ipso facto revelationis cognoscendo adeoque circa criteria, quibus hoc imprimis cognoscitur.

Demonstratio.

4. *I. Probatur ex nimia difficultate examinis, quod spectat ipsas doctrinas revelatas.* — Etenim examen, de quo sermo est, ita comparatum esse debet, ut ab omnibus et semper commode institui possit. Tale autem non foret examen, quod per se et primario ad internam doctrinae revelatae veritatem refertur. *Primo* enim, si doctrina revelata mysteria contineret, ut fieri potest et in religione christiana reipsa obtinet, examen illud sub hoc respectu simpliciter impossibile apparet. *Secundo* licet doctrina revelata nullum mysterium contineat, examen tamen idem nonnisi a paucis, i. e. ab iis, qui animum philosophicis disciplinis ex-

cultum habent, probe institui posset; atque ab his ipsis vix sufficiente successu institueretur, ut facile patet, si difficultates, quae tale examen impediunt, vel obiter tantum considerentur. Econtra autem multo facilius examen circa ipsum factum revelationis versatur, ut ex infra dicendis magis patebit.

5. *2. Ex relatione hominis ad Deum revelantem.* — Examen scilicet, quod instituendum est, relationi, quae inter Deum revelantem et hominem existit, bene respondeat necesse est. Atqui huic relationi nullatenus examen respondet, quod primario ad internam doctrinae revelatae veritatem refertur, sed illud potius solum, quod ipsum revelationis factum spectat. Deus enim revelans imprimis intendit, ut doctrina revelata tamquam ab ipso testata fide credatur atque tamquam lex ab ipso lata teneatur. Ad hoc vero primario requiritur cognitio facti revelationis, non vero interna doctrinae revelatae intelligentia; ergo.

6. *3. Ex fine, ad quem examen instituendum conducere debet.* — Religio scilicet, quae ut revelatam se exhibet, tamquam vera non cognoscitur, nisi praecise tamquam revelata cognoscatur. Atqui ad hunc finem non conducit directe et primario illud examen, quod in expendenda interna religionis veritate versatur; conducit vero illud ad eundem, quod eorum explicatione constituitur, quae religionis originem vel revelationis factum manifestant. Ergo in hac posteriore, non in illa priore investigatione examen instituendum primario et per se reponendum esse constat.

Neque tamen negandum est, quadam ratione ex ipsa interna alicuius religionis veritate et indole erui posse, eandem revelatam esse, ut infra ostendetur: verum haec via cognoscendi religionem ut revelatam est magis indirecta, difficilior, neque igitur plerisque accommodata, ut dictum est.

7. *4. Ex eo, quod veritas facti revelationis veritatem doctrinae revelatae includit.* — Illud sane imprimis in examine religionis, quod instituitur, spectandum est, quo reliqua omnia implicite comprehenduntur vel cuius veritate cognita

de veritate ceterorum quoque constat; atqui cum factum revelationis cognoscitur vel locutio divina, eo ipso de veritate doctrinae quoque revelatae constat; locutio enim divina infallibiliter sane vera est; ergo in factum revelationis vel in originem religionis, quae ut revelatam se exhibet, primario inquirendum est.

8. 5. *Ex exemplo Christi, Apostolorum, Apologetarum.* — Hi omnes enim, ut religionis christianae veritatem comprobarent, ad originem eius divinam vel revelationis factum provocare soliti sunt. Christus enim cum Pharisaeis de sua missione agens dixit: *„Qui me misit, verax est: et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo . . . sicut docuit me Pater, haec loquor . . . Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor“* (Ioan. 8, 26. 28. 38). — Et S. Ioannes: *„Unigenitus Filius,* inquit, *qui est in sinu Patris, ipse enarravit“* (1, 18). — Similiter egerunt Apologetae, ut *Iustinus,* qui ad exemplum Prophetarum provocat: „Hi (Prophetae) verum soli et viderunt et hominibus nuntiarunt — ea tantum praedicantes, quae audierant et viderant, Spiritu Sancto repleti . . . Neque tunc demonstrationibus in disserendo utebantur, quippe cum supra demonstrationem omnem gravissimi testes fuerunt veritatis“ (Dial. n. 7). Prophetae sc. internam rerum veritatem non demonstrabant, verum ipsum revelationis factum, ut ibidem *Iustinus* exponit, miraculis et vaticiniis confirmarunt. Et *Tertullianus:* „Nihil, inquit, interim credam, nisi nihil temere credendum; temere porro credi, quodcunque sine originis agnitione creditur“ (c. Marc. l. 5. c. 1).

Corrollarium.

9. *Criteria revelationis eo potiora sunt, quo magis ad factum revelationis cognoscendum conducunt.* — Consequitur manifeste ex thesi demonstrata. Criterium enim revelationis rationem medii sive instrumenti habet, quo ad revelationem cognoscendam et veram a falsa discernendam utimur. Eo autem potius est in genere quodvis medium, quo magis ad finem assequendum confert, neque in ratione medii quid-

quam refert, quod perfectiore vel imperfectiore materia constituatur. Ergo criteria, quo magis ad factum revelationis cognoscendum et discernendum conducunt, eo excellentiora sunt.

Articulus tertius.

De criteriis quibusdam vel secundariis vel insufficientibus.

Thesis 21. **Conformitas doctrinae religiosae cum ratione criterium revelationis negativum quidem certum est, positivum autem probabile tantum et secundarium haberi potest.**

Declaratio.

1. Variae de criteriis revelationis anticatholicorum sententiae. — Revelatio christiana mediata sive subiective factum revelationis sive obiective doctrina revelata consideretur, naturaliter non est sane immediate evidens; neque enim est factum sensibile, quod sensibus percipiatur, neque per analysin conceptuum manifestatur, neque factum internum est, quod conscientiae obiectum sit. Quod autem Pseudomystici antiqui (cf. *Augustin.* c. *Faustum* disp. 32, 6), deinde Anabaptistae, Quackeri aliique statuisse videntur, sc. per Spiritus Sti gratiam absque Scriptura quoque et magisterio externo immediatam hominibus revelationis cognitionem infundi, tum experientiae contradicit, tum cum tota oeconomia christiana aperte pugnat, tum ex multiplici hominum circa revelationem diversimode sententium oppositione manifeste absurdum apparet. Itaque iam quaeritur, quibusnam criteriis ad mediatam quidem, sed certam revelationis notitiam perveniatur. Acatholici, cum fere conveniant in eo, quod reiiciant vel parvipendant potissima criteria: miracula et prophetias, alii tamen alia his substituunt. 1

a) Et veteres quidem Protestantes, ut *Lutherus, Calvinus* aliique internum Spiritus Sti testimonium, internam experientiam et gustum spiritualem, ut loquuntur, potissimum et verissimum s. scripturae et revelationis criterium

esse docuerunt. Atque consequenter ita, quamvis satis inepte, statuerunt: cum enim praeter s. Scripturam alium esse fontem revelationis negarent atque insuper magisterium a Christo institutum reiicerent et praeterea per peccatum originale humanam rationem per se plane incapacem ad quamvis cognitionem religiosam evasisse contenderent, nihil sane restabat, quam ut certam revelationis cognitionem directae Spiritus Sti in mentem humanam actioni adscriberent. (Cf. *Möhler*, Symbolik § 44.)

2. b) Recentiores vero Protestantes illi, qui Pseudomystici dicuntur, in convenientia revelationis cum sensu religioso naturali, indigentia animi religiosi, naturali religionis appetitu constituunt. Itaque hi non Spiritus Sti actioni directae et supernaturali, verum naturali ipsarum doctrinarum et institutionum christianarum actioni persuasionem de revelatione certam adscribunt; docent v. g. homines intimam habere conscientiam se indigere redemptione simulque certos esse Christo redimendi potestatem competere, seque ab eo esse redemptos. Ita fere *Schleiermacher, Strauss, Iacobi, Dorner, Thiersch* aliique. (Cf. acta Concil. Vatic. Collect. Lac. 7, 528.) — Atque huic sententiae recentiores quidam catholici quadantenus accessisse videntur; de quibus conferri possunt: *Ch. Pesch*, Theologische Zeitfragen I, 2. Abhandlung et *X. Le Bachelet*, De l'Apologétique traditionelle et de l' Apologétique moderne.

c) Denique Rationalistae, cum aliam revelationem non agnoscant nisi impropriam illam, qua religio naturaliter cognita a viris ingenio et scientia praeclaris evoluta et ad alios late propagata est, aliud criterium non cognoscunt, quam conformitatem doctrinae revelatae cum principiis rationis. Huc referuntur *Rousseau, Fichte, Wegscheider, Bretschneider, de Wette* aliique (cf. *Denzinger*, religiöse Erkenntnis II, 201 ss.; *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit IV, 169 ss.).

3 *2. Doctrina catholica.* — Criteriis modo exhibitis ex doctrina catholica non omnis vis et efficacia deneganda est; verum tamquam primaria acceptari non possunt. Prius-

quam autem in eorum valorem inquiratur, catholica de criteriis revelationis doctrina proponenda est. Quam fere integram *Concilium Vaticanum* his verbis exhibet: „Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata" (cap. 4. de fide et ratione). Et paulo post: „Ad solam enim catholicam ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile." Et can. 3 de fide: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit." (Denz. nn. 1790, 1794, 1812.)

3. Argumentum et divisio huius articuli. — Iam in 4. praesenti articulo tria illa, quae Acatholici potissima habent et primaria revelationis criteria, circa valorem suum inquirenda sunt, quod tribus distinctis thesibus praestatur. Deinde in sequentibus quaestionibus in ea criteria speciatim inquirendum est, quae ex doctrina catholica in ratione criterii omnino praestant et primo loco sunt habenda, miracula scil. et prophetias. Cetera vero criteria infra, cum applicantur, simul, quod valorem suum attinet, explicabuntur.

Demonstratio.

I. p. Conformitas cum principiis rationis ut criterium revelationis negativum consideratum plane certum est.

5. Per principia rationis intelliguntur tum doctrinae tum praecepta religionis naturalis. Quo supposito demonstratio manifesta est.

1. Probatur ex eo, quod Deus est ipsa veritas. — Repugnat plane, quominus ipsa veritas in cognoscendo vel loquendo a veritate deficiat; atqui si religio revelata quidquam a principiis rationis vel veritatibus religionis naturalis positive difforme contineret, Deus vel in cognoscendo vel in loquendo a veritate deficeret; sicuti enim religio revelata, ita naturalis quoque a Deo procedit. Ergo religio revelata nullam doctrinam continere potest, quae a religione naturali positive difformis sit. Quare si religio aliqua positiva cum religione naturali in quacumque doctrina pugnat, illico certo concluditur, eam nequaquam esse revelatam. Hinc religiones, quae polytheismum profitentur vel Deo quamcumque imperfectionem tribuunt, manifesto falsae, neque igitur revelatae esse intelliguntur.

6. *2. Ex eo, quod Deus est ipsa sanctitas.* — Cum Deus non sit minus ipsa sanctitas, quam ipsa veritas, repugnat profecto etiam, quominus a sanctitate quacumque ratione deficiat; atqui si religio revelata quidquam contineret, quod principiis rationis vel legibus naturalibus honestatis repugnaret, a sanctitate deficeret, quia sicuti praecepta religionis revelatae, ita naturales quoque leges a Deo procedunt. Ergo religio revelata nihil continere potest, quod cum lege naturali honestatis pugnat. Hinc certum est, quamcumque religionem, qua quidquam inhonestum permittitur vel praescribitur, divinitus revelatam nequaquam haberi posse.

Quare manifesto Muhamedanismus, quippe qui actiones inhonestas et cum lege naturali pugnantes vel permittit vel praescribit, a Deo revelatus esse absurde et impie asseritur.

7. *3. Confirmatur ex SS. PP. et Apologetis.* — Hi enim adversus gentiles dogmata christiana ab omni cum prin-

cipiis rationis certa oppositione strenue semper defenderunt; conferri possunt, quod dogma Trinitatis attinet: *Iustinus* (Apol. 1, 13), *Clemens Alex.* (Strom. 5, 14), *Gregorius Nyss.* (De eo, quod sit ad imag. Dei), *Augustinus* (De civit. Dei 11, 24—29); quod spectat dogma Incarnationis: *Lactantius* (Inst. div. 4, 22—26), *Athanasius* (de Incarn. Verbi); denique quoad dogma resurrectionis: *Athenagoras* (De resurr. mort.), *Tertullianus* (De resurr. carnis).

2. p. Conformitas doctrinae religiosae cum ratione tum quidem aliqua ratione revelationis argumentum positivum est, cum ampliorem veritatum religiosarum complexum continet.

8. *1. Probatur ex impotentia morali generis humani perveniendi naturaliter ad perfectam religionis naturalis cognitionem.* — Difficultas hominum naturaliter cognoscendi veritates religiosas tanta est, prout ex thesi 16. constat, ut perfecta religionis naturalis cognitio generi humano sit moraliter impossibilis. Ergo quo maior est complexus veritatum religiosarum, quem sine errore religio aliqua exhibet, eo minus humanae inventionis esse videtur; quare quo perfectior doctrina religiosa est, eo magis ad Deum tamquam auctorem reduci debet.

9. *2. Confirmatur ex facto, quod reipsa perfectio et puritas doctrinae tamquam privilegium religionis christianae apparet.* — Sola videlicet religio christiana, quae aliis quoque argumentis tamquam revelata probatur, veritates religionis naturalis perfecte et sine erroris admixtione proposuit, dum omnes aliae religiones turpes quoque errores et doctrinas cum naturali honestate pugnantes hominibus proposuerint. Atque hoc argumento antiqui apologetae praesertim contra gentiles philosophos agentes frequenter usi sunt, ut v. g. *Minucius Felix* (Octav. c. 18), *Tertullianus* (Apol. c. 18), *Cyprianus* (De idol. vanit. n. 8).

3. p. Idem tamen criterium, ut positivum est, tantum secundarium haberi potest.

10. *1. Probatur ex difficultate, quae usui huius criterii inest.* — Interna doctrinae religiosae veritas, harmonia, cum lege

naturali conformitas, difficulter cognoscitur, quamvis talis doctrinae religiosae cognitio, cum ab alio proponitur, sane facilior appareat, quam eiusdem inventio; plerisque autem certe hominibus moraliter impossibilis manet, et si quidem veritates superrationales continet, cognitio illa absolute impossibilis est. Atqui criterium, ne in ipsa criterii ratione sit imperfectum et mancum, tale esse debet, ut a plerisque facile ad revelationem certo cognoscendam applicetur; quo enim facilius et promptius et rectius ad finem suum, i. e. certam revelationis cognitionem perducit, eo sane praestantius est; ergo.

11. *2. Ex eo, quod ex perfectione doctrinae religiosae non illico ad Deum tamquam auctorem eiusdem concludi potest.* — Quamvis enim genus humanum in genere spectatum morali impotentia laboret perveniendi naturaliter ad perfectam religionis naturalis cognitionem, non tamen adeo certum est, ingenia praestantiora quoque eadem illa impotentia laborare. Vel si hoc quoque certo constare dicatur, homines vulgares tamen et rudes id non clare perspiciunt neque igitur ex eo sufficienti cum certitudine ad divinam doctrinae religiosae originem concludere possunt. Tale vero criterium, quod a plerisque adhiberi non potest, inter primaria computari nequit; ergo.

12. *3. Ex eo, quod non illico ad divinam revelationem concludi potest.* — Quamvis enim ex perfectione doctrinae religiosae ex una parte et ex morali impotentia hominum ex altera parte iam certo constet de divina doctrinae religiosae origine, neque tamen ideo iam etiam de revelatione divina constat. Deo enim alia quoque media praesto sunt, quibus homines in acquirenda perfecta religionis cognitione iuvare potest, ut largitione egregiarum virium intellectualium naturalium, speciali directione et protectione externa contra errores in talibus inquisitionibus impertita; ergo.

Corollarium.

13. *Quamvis ex dictis conformitas doctrinae cum ratione sit aliqua ratione positivum quoque revelationis criterium, examen*

tamen praevium omnium doctrinarum ante revelationis susceptionem non requiritur. — Etenim primo, ut ex supra dictis manifestum est, ad hoc examen instituendum plerique sunt inepti, cum requirat cognitionem eorum, quae philosophia de Deo deque morum honestate docet. Praeterea, qui ad hoc examen instituendum aliquatenus idonei inveniuntur, demum post ipsam revelationem susceptam plerique apti evaserunt, quia revelatio praecise in remedium ignorantiae concessa est. Deinde examen illud, prout a rationalistis intelligitur, ideo etiam perperam exigitur, quia doctrinis nonnullis sc. mysteriis stricte dictis repugnat. Denique factum revelationis, de quo unice vel potissimum quaeritur, evidenter sine illo examine constare potest; si enim in genere, cum de facto historico agitur, primario auctoritas testis respicienda est, et quo maior haec esse deprehenditur, eo minus interna factorum relatorum possibilitas examinanda est: a fortiori tunc, cum factum divinae revelationis et testificationis probatum est, interna rerum revelatarum possibilitas minime examinanda est, quia Dei testantis summa est auctoritas.

Thesis 22. **Congruitas doctrinae cum sensu religioso naturali vel indigentia animi religiosi innata experientia interna percepta aliquod quidem revelationis indicium esse potest; neque tamen eadem congruitas inter primaria revelationis criteria computanda est.**

Demonstratio.

Sententia Pseudo-mysticorum, de qua in praesenti thesi 1. agitur, ab ea Rationalistarum, quae in praecedenti recensita est, eo potissimum differt, quod Pseudo-mystici rationi speculativae experientiam internam sive sensum religiosum substituunt. Quae differentia sedulo animadvertenda est.

I. p. Congruitas illa interna experientia percepta aliquod revelationis indicium esse potest.

1. Probatur ex indole religiosa hominum. — Quemadmodum ipsum desiderium beatitudinis, ita indigentia reli-

gionis quoque ipsi naturae humanae a Deo implantata est, ut facile ex thesi 10. intelligitur. Vera autem religio et revelata, quippe quae a Deo descendit, cum perfecte cognoscitur et exercetur, peculiari modo indigentiae illi satisfacere sane debet. Ergo quia omnis desiderii naturalis impletio, omnis naturalis indigentiae satisfactio sensu grato et iucundo afficit, religio quoque vera et revelata, cum clare cognoscitur et perfecte exercetur, peculiari modo sensa illa grata et iucunda connaturaliter excitabit. Hinc vicissim ex sensibus istis gratis et iucundis, quibus homo circa finem suum et viam ad ipsum plene quietatur, non immerito ad veritatem religionis cognitae et exercitae concluditur.

2. 2. *Exemplo antiquorum Apologetarum.* — Antiqui Apologetae non raro hoc argumento utuntur. Etenim coram oculis gentilium ponunt, quam praeclare per religionem christianam omnibus indigentiis religiosis satisfiat; quam perfecte v. g. eae res per eam cognoscantur, quarum cognitio hominibus maxime cordi est, quam apta et hominis naturae praeclare accommodata media salutis proponantur, quam plene in ea dubia et anxietates de peccatis commissis eorumque remissione tolli possint. Audiatur v. g. *Tertullianus:* „Quid iucundius, quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quae maior voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam saeculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus? quod calcas deos nationum? quod daemonia expellis? quod medicinas facis? quod revelationes petis? quod Deo vivis? Hae voluptates, haec spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita“ (De spect. c. 29).

3. 3. *Exemplum hominum hac ratione ad veram religionem conversorum.* — Etenim, ut historia testatur, tum antiqui tum recentes acatholici ideo saepe falsis religionibus vel irreligioni valedixerunt, quia intimis suis desideriis et innatae indigentiae religiosae satisfactio non praebebatur: atque ad amplectendam sive retinendam religionem christia-

nam egregrie sane multi iuvantur, quia intelligunt vel experiuntur, quam praeclare intellectus et voluntatis indigentiis ea satisfaciat. Ita *Iustinus* v. g. testatur, ista via se ad religionem christianam adductum esse. (Dial. cum Tryph. n. 2.)

2. p Hoc quoque criterium tantum inter secundaria computari potest.

1. Probatur ex inconstantia sive mutabilitate internae illius experientiae vel sensus religiosi. 4. — Sensus scil. ille religiosus reipsa satis inconstans et mutabilis esse invenitur. Facile enim accidit, ut quae hodie satisfactionem et consolationem afferunt, cras vel alio tempore taedio et nausea repleant; atque multi inveniuntur homines ceteroquin probi et religioni addicti, qui nunquam fere talia sensa religiosa talesve consolationes experiantur. Atqui quod inconstantiae, mutabilitati obnoxium, quod multis vix usui esse potest, inter primaria revelationis criteria computari nequit; ergo.

2. Ex eo, quod sensus religiosus facile in errorem ducit. 2. — Videlicet doctrina religiosa ideo quoque saepe alicui placere potest, quia praeiudicio occupatus est; homo enim prout diversimode dispositus est, diversimode a rebus afficitur. Ex eo igitur, quod doctrina aliqua in quibusdam hominibus grata sensa et satisfactionem excitat, nondum consequitur, eam ipsi naturae rationali congruere; potest enim ideo quoque placere, quia sensibus atque passionibus blanditur, quibus homines saepe indulgere solent. Nisi igitur sensus illi religiosi vel satisfactio illa in homine praeiudiciis vacuo existant, in errore potius confirmant, quam veritatem ostendant. Atque raro et difficulter homines omnibus praeiudiciis vacui sunt. Ergo raro et difficulter tantum criterium illud adhiberi potest, atque magna in eius usu cautio adhibenda est. Quod historia confirmat, quia haeretici ideo plerumque a vera ecclesia defecerunt, quia sensibus suis, gustui suo fanatice et stulte inhaeserunt. Itaque ratione potius et voluntate, quam sensu et gustu homo in religionis negotio gravissimo regi debet. Ergo criterium, de quo agitur, valde secundarium esse satis perspicitur.

6. *3. Ex eo, quod sensus ille religiosus fidem iam susceptam supponit.* — Nimirum plerumque saltem et maxime in eo solum religio sensa illa grata connaturaliter excitat, qui ei firmiter inhaeret atque vitam suam intellectualem et moralem conformat. Neque perseverabunt illa sensa, vel saltem turbantur et minuuntur, si dubia circa religionem, ut fieri facile potest, exsurgant. Atqui quod suscepta religione posterius est, non adeo ad certam eius cognitionem ducit, quam potius in ea retinere aptum esse invenitur. Criterium autem eiusmodi sane inter secundaria tantum recenseri potest.

Scholion.

7. *Obiectio dissolvitur.* — Adversarii pro sua sententia provocant ad illud: *„Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar“* (Ioan. 7, 16. 17). — *R.* Christus his verbis docet bonam hominis voluntatem et studium divina mandata observandi iuvare multum ad cognoscendam veritatem doctrinae christianae, animi autem perversitatem huic cognitioni obstare. Qua vero ratione homo talis probus ad eam cognitionem perventurus sit, an experientia interna potissimum, ut adversarii volunt, an cognitione miraculorum et prophetiarum aliorumque criteriorum, Christus hoc loco non explicat. — Neque tunc difficultatem facit hic textus, si cum aliis ita intelligatur, ut sensus sit: Qui christianae revelationi crediderit, hunc divinam eiusdem originem intellecturum vel experturum esse. Nam hac interpretatione supposita, intellligentia vel experientia divinae originis religionis christianae effectus fidei diceretur; fides autem, cum non sit coeca, certam revelationis cognitionem supponit, quare usus alterius criterii iam praecesserit opus est. Atque sic iterum apparet, sensum religiosum nec primum nec primarium revelationis criterium esse.

Thesis 23. Spiritus Sti testimonium internum sive supernaturalis interna illustratio et inspiratio aliquod quidem revelationis criterium constituere possunt; verum inter secundaria tantum computari debet.

Declaratio.

Quomodo criterium istud concipiendum sit. — Fautores l quidem huius criterii rationem eius accuratius explicare non solent; si vero ipsa res spectatur, duplici ratione Spiritus S. hominibus intrinsecus revelationem notificare posse videtur. Et primo quidem absolute potest sane Deus ita in intellectum agere eumque immutare, ut veritatem facti revelationis mediatae sive ipsas doctrinas revelatas immediate intueatur; atque hac ratione beati in coelo veritates religiosas vel divinas iam intelligunt. Secundo potest Deus non mutato obiectivo modo cognoscendi humano mentem humanam ea ratione illustrare, ut doctrinae revelatae pulchritudinem, convenientiam et congruitatem cum humana natura, conformitatem cum ratione humana clarius iam et intensius perspiciat; atque simul voluntatem humanam ita movere et afficere potest, ut magno amoris affectu ad revelationem amplectendam quasi trahatur et moveatur. Si criterium, de quo agitur, primo modo accipiatur, absurde statui continuo intelligitur; intuitiva enim ista sive facti revelationis mediatae, sive doctrinae revelatae cognitio fictitia plane est, quia tum experientiae contradicit, tum cum statu viae et oeconomia christiana pugnat, tum ex hominum circa revelationem diversa sentientium continua pugna absurditatis convincitur. Seposito igitur criterio ita accepto, examinandus potius venit valor huius criterii, quatenus Deus non mutato modo obiectivo cognoscendi humano intellectum illuminat ad revelationis veritatem cognoscendam et voluntatem ad eandem prompte et constanter amplectendam impellit. Atque ita acceptum criterium, de quo agitur, valore non destituitur, verum vim decretoriam non habet. Quae duae assertiones iam distinctis thesis partibus demonstrandae sunt.

Demonstratio.

I. p. Supernaturalis interna illustratio et inspiratio aliquod revelationis argumentum vel indicium recte habentur.

2. *1. Probatur ex eo, quod illustrationes tales et inspirationes a Deo procedere aliqua ratione cognosci possunt.* — Nimirum illustrationes istae saepe, ut experientia testari videtur, ita vividae sunt, ut, quas antea homo veritates de origine sua atque fine, de sua ad Deum relatione, de providentia Dei erga se et ceteros homines infirma quasi luce respersas atque in aenigmate videbat, iam ut solem in mente sua splendere atque obscura quoque et aenigmatica prorsus illuminare conspiciat. Et pariter voluntatis inspirationes a Deo tales immitti possunt et immittuntur, ut animus temporalium bonorum taedio affectus a carnalibus et terrenis retrahatur, potenter ad Deum rapiatur quasi atque omnibus aliis spretis in ipso plena pace quiescat. Atqui tales illustrationes talesque inspirationes, quae ad religionem quandam referuntur atque cum ea cohaerent necnon ad eam alliciunt, sicuti ad Deum ducunt, ita a Deo quoque procedere cognosci videntur. Cum autem Deus ad errorem positive allicere nequaquam possit, sane concludendum esse videtur, religionem, ad quam illustrationes istae atque inspirationes alliciunt, ipso Dei testimonio tamquam veram exhiberi.

3. *2. Exemplo Apologetarum et theologorum.* — Argumento hoc non solum theologi tamquam confirmatorio utuntur, sed antiqui quoque Apologetae usi sunt. Ita v. g. *Suarez* haec habet: „Homo potest in se experiri has divinas motiones et ex effectibus earum vehementissime coniectari illas esse divinas et a bono spiritu, et ideo recte numerantur inter motiva, quae conferunt ad fidei credibilitatem“ (De Fide disp. 4. s. 6. n. 4). *S. Thomas* quoque hoc criterium admittit: „Adiuvatur, inquit, a Deo aliquis ad credendum tripliciter: Primo per interiorem vocationem, de qua dicitur Ioan. 6, 45: ‚*Omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me*‘. Secundo per doctrinam et praedica-

tionem exteriorem. Tertio per exteriora miracula.“ Deinde ad quaestionem, utrum homines Christo credere debuissent, etsi miracula non fecisset, statim subiungit: „Si Christus visibilia miracula non fecisset, adhuc remanebant alii modi attrahendi ad fidem, quibus homines acquiescere tenerentur. Tenebantur enim homines credere auctoritati legis et prophetarum. Tenebantur etiam interiori vocationi non resistere“ (Quodlib. q. 2. a. 6). De hoc eodem criterio *Origines* quoque loqui videtur, cum testatur: „multos ad religionem christianam accessisse velut invitos, spiritu quodam repente sive per visum sive per somnium in illorum animos agente atque illos immutante, ut, quod in illam conceperunt odium, deponerent, et pro illo mortem oppetere statuerent“ (Cont. Celsum l. 1. n. 46).

2. p. Supernaturalis illustratio et inspiratio secundarium tantum revelationis criterium haberi debent.

4. *1. Probatur ex difficultate, qua usus huius criterii impeditur.* — Difficile saepe est de motibus internis, qui religionem et pietatem spectant, certum iudicium ferre; quare theologiae asceticae cultores continuo monent, ut alterius magisterio magis, quam proprio iudicio hac in re fidatur. Imprimis autem difficultas isthaec hominem urget, qui fidem nondum suscepit. Cum enim experientia interna motus interiores supernaturales a naturalibus discernere non valeamus, ex rationis et praesertim fidei principiis origo eorum diiudicanda est. Qui igitur fidem nondum suscepit, praecipuo medio ad motus internos discernendos caret. Atqui criterium, quod ita ambiguum est, et cuius usus tanta difficultate premitur, secundarium tantum valorem habere perspicitur.

5. *2. Ex eo, quod hoc criterium minus convenit indoli religionis christianae.* — Religio scilicet christiana universalis est et homines in unam Christi familiam colligit, atque publice coram omnibus profitenda est. Atqui tali religioni conveniunt criteria primo, quae sunt universalia, quae igitur in omnes actionem suam exercere valent; secundo quae

sunt publica, quibus etiam contra adversarios veritas revelationis defendi potest. Iamvero illustrationes et inspirationes internae nec universales sunt nec publicae, sed individuae et occultae. Ergo, quamvis singulos iuvare possint, inter praecipua criteria recenseri nullatenus debent.

6. *3. Ex mutabilitate illorum motuum.* — Etenim tales illustrationes vividiores et inspirationes vehementiores diu perseverare non solent, sed ad longum tempus saepe plane deficiunt. Ergo ne singulis quidem hominibus tale criterium ad privatum suum usum sufficere invenitur. Neque enim forte in tali casu praeteritae experientiae sive consolationis recordatio defectum praesentis resarcire valet, quia prae praesenti desolatione consolatio praeterita facile tamquam illusio apparere potest. Nisi igitur in fundamento obiectivo, quod a subiectiva experientia independens est atque indefectibile, hominis persuasio innitatur, misere saepe collabatur necesse est. Quare S. Petrus posthabita vel ipsa sua experientia externa transfigurationis Domini prophetias in Christo impletas tamquam firmius persuasionis christianae fundamentum considerat et proponit: *„Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris“* (2. Petr. 1, 19).

7. *4. Ex haereticorum plerorumque exemplo.* — Haeretici enim cuiusvis fere temporis pro sua haeresi ad internum Spiritus Sancti testimonium sive illustrationes suas et inspirationes provocarunt, cum tamen a revelatione aliena et absurda saepissime, et alii haec alii illa opposita docerent. Quod est evidens signum, quam fallax sit istud criterium; quare huc quoque accommodari possunt, quae *Augustinus* de iis dicit, qui immediatis divinis revelationibus gloriabantur atque iis unice fidebant: „Imo vero et quod per hominem discendum est, sine superbia discat . . . neque tentemus eum, cui credidimus, ne talibus inimici versutiis et perversitate decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem praedicantemque hominem

audire; et exspectemus rapi in tertium coelum, sive in corpore sive extra corpus, ut dicit Apostolus, et ibi audire ineffabilia verba, quae non licet homini loqui, aut ibi videre Iesum Christum, et ab illo potius quam ab hominibus audire Evangelium. Caveamus tales tentationes superbissimas et periculosissimas" (De doctr. christ. Prol. n. 5—7).

8. *5. Ex modo agendi ipsius Christi.* — Criterio, quod Christus ipse constanter adhibuit atque enuntiavit, perperam aliud substituitur, quo nunquam usus est. Atqui Christus, ut divinitatem suam atque divinam suae doctrinae et missionis originem comprobaret, non quidem ad interum Spiritus Sti. testimonium, verum ad opera sua et Scripturas, i. e. ad miracula ab ipso patrata et ad vaticinia in ipso adimpleta continuo provocavit. Quod cum infra fusius probandum est, nunc paucis confirmare sufficit: Itaque v. g. Ioan. 5, 36—47 declarat: „*Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit, me . . . Scrutamini Scripturas . . . et illae testimonium perhibent de me.*" — Et Ioan. 10, 25 iterum: „*Opera,* inquit, *quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.*" — Denuo Ioan. 10, 37, 38 ait: „*Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio et mihi non vultis credere, operibus credite, . . .*" — Denique Luc. 7, 22 idem exhibet: „*Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: Quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, . . . et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me.*"

Scholion.

9. *Obiectio diluitur.* — Adversarii imprimis illud urgent: „*Sed vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia . . . Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus*" (1. Ioan. 2, 20. 27). — *R.* Imprimis animadvertendum est, illos, ad quos scribit Apostolus, fidem iam suscepisse. Ad summum itaque ex hoc

textu consequeretur, fideles illa unctione vel interno Spiritus Sancti testimonio in fide multum confirmari, non vero concludendum est eadem unctione criterium constitui tum praecipuum tum omnibus commune. Sed ne pro fidelibus quidem iisdem verbis interna unctio tamquam unicum et praecipuum criterium exhibetur. Non enim illa verba nimis premenda sunt, neque contra alia clarissima Scripturae testimonia ita exponi possunt, ut vel externa criteria et externum magisterium negetur. Sed positive docetur Deus fideles intus in corde sua gratia edocere atque sine hoc interno divino magisterio externa media, ut magisterium humanum et criteria externa, finem suum non attingere. Quare iam ipse *S. Augustinus* contra haereticos, qui illis verbis abutebantur ad omnia externa praesidia, imprimis magisterium ecclesiasticum, reiicienda, verba relata hac ratione exponit: „Unctionem habebant, quibus loquebaris? Tu dixisti, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Ut quid igitur talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid aedificabas? Iam hic videte magnum sacramentum, fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit: magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostrae, si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster" (Tract. 3. in 1. ep. Ioan. 2, 27 n. 13).

Quaestio quinta.

De miraculis.

Articulus primus.

De notione et divisione miraculorum.

Thesis 24. Miraculum recte definitur: Effectus sensibilis praeter communem naturae ordinem divinitus patratus.

Declaratio.

1. *1. Praesentis quaestionis momentum atque divisio.* — Ratio, cur Rationalistae et Naturalistae cuiusvis temporis

ab admittendo quocumque vero miraculo adeo abhorreant, non solum in eo invenitur, quod quidquid supernaturale est, vi systematis sui praeconcepti reiicere debent, verum in eo quoque imprimis cernitur, quod vel unum miraculum in confirmationem revelationis christianae patratum validissima eiusdem probatio necessario agnoscenda est. Hinc *Renan* v. g. aperte testatur: „Si miracula quidquam realitatis habent, i. e. fieri possunt, liber meus ex erroribus contextus est. Si vero ex opposito possibilitas miraculi admitti nequit, libros, qui miracula facta esse referunt, tamquam fabulas erroribus atque fraudibus refectas recte considerari" (Vie de Iésus, Pref. 13. ed.). Atque similiter ceteri Rationalistae procedunt: miracula nulla facta esse nec fieri posse supponunt, atque ideo ss. libros vel plane reiiciunt vel corrumpunt. Quare Ecclesia catholica contra hos revelationis adversarios revelatam veritatem vindicans miracula fieri posse et in confirmationem religionis christianae facta esse sollemniter in *Concilio Vaticano* declaravit: „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes etiam in sacra Scriptura contentas inter fabulas vel mythos ablegandas esse, aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, a. s." (Sess. 3. c. 4.; Denz. n. 1813). Hinc quanti momenti praesens quaestio sit, commode intelligitur. Ut igitur pro dignitate rei tractetur, accurate procedatur oportet; quare quaestio in quatuor articulos dividitur:

Articulus primus: De notione et divisione miraculorum.
Articulus secundus: De possibilitate miraculorum.
Articulus tertius: De cognoscibilitate miraculorum.
Articulus quartus: De vi probativa miraculorum in ratione criterii divinae revelationis.

Ad hanc et sequentes theses de miraculis cf. *Wilmers.* prop. 26—47, p. 93 ss. — *Ottiger* I, p. 170 ss. *Hettinger,* p. 197 ss. — *Schmid* 165 ss.

2. Quid sit natura et ordo naturae. — Ad accuratam miraculi notionem efformandam aliarum quarundam notionum clara cognitio necessario praerequiritur. Itaque

a) Natura in genere, sed proprie et stricte accepta, dicit essentiam cuiuscumque rei, prout est principium activitatis sive operationis. Strictius autem dicit universitatem rerum creatarum, quatenus eaedem sunt principia activitatis et operationis. Haec est natura naturata in oppositione ad Deum naturam naturantem, prout Scholastici loquebantur. Strictissime natura dicitur mundus physicus sensibilis sive substantiae sensibiles, quae hunc mundum adspectabilem sensibilem constituunt, prout ex interna inclinatione sensibiliter moventur et operantur.

3. b) Ordo in genere est dispositio plurium ad finem; unde in quovis ordine tria elementa distinguuntur: res ipsae, quae ordinantur; norma, secundum quam disponuntur et ad unitatem rediguntur, quae desumitur a fine; ipsa dispositio, in qua ordo formaliter consistit, et per quam finis obtinetur. Hinc, quid ordo naturae sit, intelligitur. Diversus scilicet est secundum diversam acceptionem vocis naturae. Ordo igitur naturae in genere est certa norma et dispositio, secundum quam et Deus et creaturae ad certum finem simul operantur: — ordo universalissimus. Ordo naturae magis stricte acceptus est dispositio vel norma, secundum quam totus mundus creatus eiusque operationes ordinantur ad invicem, ita ut obtineatur finis, quem Deus mundo in creatione praefixit: — ordo universalis. Strictissime acceptus ordo naturae est dispositio et mutuus nexus substantiarum sensibilium, quo ita aptantur invicem, ut mutuis operationibus se explicent et perficiant atque ita suum finem attingant: — ordo physicus.

4. c) Ordo hic naturae physicus contingens est triplici potissimum titulo. Etenim primo ipsa existentia rerum, quae ad hunc ordinem pertinent, contingens est, quippe quae res finitae et a liberrima Dei voluntate effectae sunt. Praeterea supposita existentia earum rerum, quae in hoc ordine compositae sunt, contingens est et manet concretus hic ordo, qui nunc viget, quia magna ex parte ex primitiva dispositione et motu locali dependet, quae in individua sua forma non ex essentiis rerum procedunt, sed alias for-

mas induere potuerunt et absolute adhuc possunt. Denique supposito hoc quoque praesenti ordine concreto actualis effectuum physicorum consecutio adhuc contingens manet, quia conservationem et concursum, a quibus actio creata essentialiter dependet, Deus suspendere potest vel etiam positive actiones creaturarum impedire. Hâec enim a libera Dei voluntate perfecte dependent.

5. *3. Quid sint leges naturae et quomodo distinguantur.* — Normae constantes, secundum quas natura in diversa acceptione supra statuta operatur, leges naturae dicuntur. Sunt igitur determinationes principiis operandi per se insitae, quibus sic et non aliter ad finem sibi debitum et proportionatum operantur. Diversae autem leges naturae distinguuntur, prouti principia operationis vel ipsae operationes diversae sunt.

a) Imprimis notandae sunt leges cosmicae, quas dicunt, quae modum constantem agendi exhibent, quem auctor naturae in gubernandis rebus creatis omnibus ex dictamine suae sapientiae et bonitatis servat; quare aptius leges divinae providentiae dicerentur. Quae leges partim experientia et inductione, partim a priori ex divinis attributis colliguntur et ad sequentes potissimum reducuntur: *Lex utilitatis*, secundum quam nihil frustra in universo mundo fit; deinde *lex mediorum naturalium*, vi cuius quae per vires creatas fieri possunt, Deus non immediata sua operatione facit; praeterea *lex continuitatis*, secundum quam abruptus transitus ab uno extremo ad alterum vitatur et nunquam saltus fit; tum *lex constantiae*, vi cuius leges naturae in alias non mutantur, nec nisi raro et propter fines Deo dignos exceptio ab ipsis fit. Denique *lex unitatis*, quae in causarum et finium praesertim subordinatione consistit (cf. Tongiorgi, Cosmol. n. 409. ss.).

b) Sequuntur leges naturae morales, quae sunt praecepta voluntatis divinae creaturis rationalibus imposita, quibus hae in finem suum secundum naturam suam rationalem et liberam diriguntur. Hae itaque leges media co-

gnitione et respectu voluntatis liberae operantis vim suam exserunt.

6. e) Denique considerandae sunt maxime leges physicae i. e. normae, quae substantias sensibiles vel hunc mundum physicum adspectabilem in suis operationibus dirigunt. Quia hae leges, cum de miraculo agitur, imprimis in quaestionem veniunt, accurate earum ratio intelligenda est. Itaque definiri possunt: Normae constantes et universales, in rerum sensibilium essentiis fundatae, secundum quas eaedem res sensibiles in suis operationibus diriguntur et a quibus deflectere non possunt. Quae definitio ut perspiciatur, haec considerandа sunt.

Primo: Leges physicae considerari possunt active, passive, effective; active consideratae sunt ipsa voluntas divina, quae res sensibiles secundum certas normas in operationibus suis dirigit atque ad finem suum perducit; passive consideratae sunt ipsa inclinatio rebus sensibilibus essentialiter insita, vi cuius certo modo et quidem constanti et uniformi operantur; effective spectatae sunt ipse hic modus constans et uniformis, quo res sensibiles operationes suas peragunt.

Secundo: Leges naturae physicae in ipsis essentiis rerum fundantur; essentiis enim rerum sapientia divina modum operandi adaptat. Non aeque tamen, quod sedulo animadvertendum est, omnes leges physicae in essentia fundantur; ita v. g. motus terrae circa axem suum viginti quatuor horarum spatio perfectus non tam essentialis apparet, quam lex attractionis generalis.

7. *Tertio:* Leges physicae rebus sensibilibus necessitatem imponunt; non enim agere et non agere vel aliter et aliter agere in iisdem adiunctis unquam possunt, sed constanter eodem modo agunt. Quare, supposita existentia Dei, ex legibus physicis evidenter consequitur, substantias sensibiles in certum finem dirigi et continuo atque necessario tendere.

Quarto: Leges physicae hoc nomine legum denominantur propter analogiam, quam habent cum legibus moralibus, quae proprie tales dicuntur, ut pulchre exponit

S. Thomas: „Lex est directiva actuum, qui conveniunt subiectis gubernationi alicuius; unde nullus proprie loquendo suis actibus legem imponit. Quaecumque autem aguntur circa usum rerum irrationalium homini subditarum, aguntur per actum ipsius hominis moventis huiusmodi res; nam huiusmodi irrationales creaturae non agunt seipsas, sed ab aliis aguntur . . . Et ideo rebus irrationalibus homo legem imponere non potest, quantumcunque ei subiiciantur: rebus autem rationalibus sibi subiectis potest imponere legem, in quantum suo praecepto vel denuntiatione quacumque imprimit menti eorum quandam regulam, quae est principium agendi. Sicut autem homo imprimit denuntiando quoddam interius principium actuum homini sibi subiecto, ita etiam Deus imprimit toti naturae, secundum illud Ps. 148.: *Praeceptum posuit et non praeteribit*" (S. th. 1. 2.ae q. 93. a. 5. corp.). Et paulo inferius addit: „Hoc modo se habet impressio activa principii intrinseci quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines; quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum, ut dictum est" (ib. ad 1).

Quinto: Si comparentur leges physicae cum iis, quae 8.
cosmicae dicuntur, facile apparet, has latius patere; etenim in natura spirituali quoque et in ordine supernaturali locum habent, quamvis quadantenus modificari possint. Si leges cosmicae considerantur, quatenus ordinem physicum spectant, legibus physicis simpliciter annumerari possunt. Recte enim *Schiffini* hac ratione disserit: „Etsi enim plura, quae ad has leges cosmicas pertinere dicuntur, a Deo potius quam a natura effective proficiscuntur, quatenus tamen in his Deus operatur ut naturae auctor et provisor, ea sunt semper secundum ipsius naturae exigentiam et proportionem: naturam vero in praesenti accipimus, prout est principium non modo activum, sed passivum etiam sui motus. Quocirca has etiam leges sub usitato nomine legum physicarum comprehendimus, prout scilicet, ut dictum est, sermo habetur de praesenti ordine, quem naturalem appel-

lavimus, praesertim cum non Deus ipse, sed natura tantum legi dicatur subiici" (Theol. nat. n. 593).

Sexto: Denique quia, at modo notatum est, corpora propter legem inertiae non agunt, nisi ad agendum determinentur, et quia unum in alterum agit, ideo in tota hac de legibus physicis quaestione eadem corpora etiam ut principia passiva vel subiecta sui motus consideranda sunt; etenim sub hoc quoque respectu certis legibus subiacent et diriguntur.

9. *4. Quaenam sit necessitas legum physicarum.* — Omnis lex aliquam necessitatem imponit, moralis quidem moralem, physica vero physicam. Cum porro lex moralis vim suam exserat, quatenus per cognitionem voluntatem movet, physica necessitas inest ipsi principio actionis, quippe quod natura sua ad plura indifferens non sit, sed ad unum determinatum. Quanta vero sit necessitas legum physicarum accuratius explicandum est. Itaque

a) Necessitas legum physicarum non est interna sive metaphysica. Effectus enim, qui ex legibus physicis procedunt, ad ordinem actualis existentiae pertinent; in ordine autem actualis existentiae nihil metaphysice necessarium est nisi ipse Deus; omnis igitur necessitas quae ex legibus physicis exsurgit, hypothetica est et relativa, i. e. praesentem ordinem physicum libere a Deo institutum supponit atque ad virtutem substantiarum sensibilium refertur, quae in operando a Deo penitus dependet.

b) Est autem necessitas legum physicarum vera necessitas antecedens. Etenim aliter quam in actibus liberis actus primus proximus causarum physicarum ab actu secundo separari non potest. Quod quidem tunc sane valet, si actus primus proximus decretum applicativum concursus complectitur; quod si desit, causa creata praecise in actu primo proximo non est constituta.

10. c) Si actus primus proximus consideretur, hic quoque praesente ordine constituto necessarius dici potest. Etenim duplex elementum actum primum proximum constituit: primo adiuncta, ut motus et operationes aliarum causarum

naturalium, et deinde conservatio et concursus divinus oblatus. Quod primum elementum attinet, eadem necessitas hic cernitur, quae supra notata est; quod vero secundum elementum spectat, etiam aliqua necessitas animadvertenda est. Videlicet supposita institutione huius ordinis sapientia divina postulat, ut hic ordo constantiam aliquam et stabilitatem congruentem principiis rerum prae se ferat. Etsi enim aliquando ex fine Deo digno exceptio fiat, non tamen quacunque ex causa nec continuo fieri potest. Ratio est primo, quia secus omnis fere certitudo physica corrueret, quippe quae legibus physicis innitur; praeterea sicuti in societate civili non cuiusvis inconstanti arbitrio, sed certis et fixis legibus omnia agi debent, ita etiam in ordine physico certas et constantes leges vigere convenit; deinde experientia luculenta idem manifesto docet; denique pulchritudo, quam in hoc adspectabili mundo miramur, maxime illa constantia et stabilitate commendatur.

11. *5. Quid sit cursus naturae.* — Cursus naturae nihil aliud est, nisi constans consecutio eventuum secundum praedictas leges physicas perveniens. Inter naturae cursum vel intra ordinem naturae ea opera eveniunt, quae miracula dicuntur, quippe quae, ut statim dicetur, huic naturae cursui aliquam derogationem afferunt eo, quod aliqua, ad quae hic cursus se extendit, aliter fiunt, quam nata sunt fieri. Non igitur huc illa opera referuntur, quae ad ordinem gratiae sive iustificationis supernaturalis spectant. Haec enim, cum omnem naturae exigentiam et facultatem excedant, novum vel alium et distinctum ordinem constituunt, qui plane diversus est ab ordine naturali, quamvis ipsum supponat. Neque igitur derogationem aliquam legis naturalis inferunt. Miracula autem, ut dictum est, intra ordinem naturae sensibilis eveniunt.

Demonstratio.

12. Imprimis ipsum nomen miraculi ad rem declarandam et definitionem statuendam multum inservit, ut ex hac *S. Thomae* explicatione intelligitur: „Miraculi nomen a mi-

rando est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, quorum unum est, quod causa illius, quod admiramur, sit occulta; secundum, quod in eo, quod miramur, appareat aliquid, per quod videatur contrarium eius debere esse, quod miramur. Sic aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitae virtutem, cum videatur, quod ferrum naturali motu debeat tendere deorsum. Hoc autem contingit dupliciter: uno modo secundum se, alio, modo quoad nos. Quoad nos quidem; quando causa effectus, quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic vel illi, nec in re, quam miramur, est dispositio repugnans effectui, quem miramur, secundum rei veritatem, sed solum secundum opinionem admirantis. Et ex hoc contingit, quod id, quod est uni mirum vel admirabile, non est admirabile alteri; sicut sciens virtutem calamitae per doctrinam vel per experimentum non miratur praedictum effectum; ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, et quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet; et ista non solum possunt dici mira in actu vel mira in potentia, sed etiam miracula quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima et remotissima a nostris sensibus est divina, quae in rebus omnibus secretissime operatur. Et ideo illa, quae sola virtute divina fiunt, in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula: ea vero, quae natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam quae Deus facit nec aliter nata sunt fieri, nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira vel mirabilia" (De pot. q. 6. a. 2).

Iam hac egregria *S. Thomae* expositione tamquam fundamento supposita singula elementa, quae miraculi definitionem componunt, satis commode explicari possunt; quod distinctis quibusdam assertionibus claritatis causa praestandum est.

Assertio prima: Miraculum est effectus sensibilis intra physicum rerum ordinem contentus.

1. Probatur ex ipsa vocis etymologia. — Etenim, ut aliquid admirationem excitet, necessarium est, ut apprehendatur; cum autem homo sit animal rationale, quaecumque apprehendit, aut immediate aut mediate per formas sensibiles percipit. Quidquid igitur obiectum admirationis constituit, sive immediate sive mediate ad sensus refertur. Quia autem, quod immediate in sensus cadit, facilius et clarius cognoscitur, ideo effectus sensibiles immediati magis quam mediati animum considerantis percellere atque obiectum admirationis constituere nati sunt; ergo. 13.

2. Ex communi consensu. — Neque enim solum a gentibus, sed a Iudaeis quoque miraculum semper acceptum est tamquam signum aliquod externum et extraordinarium. Atque hic usus vocis tum a s. Scriptura tum a SS. Patribus confirmatus est. In s. Scriptura enim miracula frequenter tamquam *signa* (σημεῖα) exhibentur a Deo ad aliquid contestandum adhibita, ut v. g.: *„Quae (satus) cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus“* (Hebr. 2, 3. 4). *„Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc“* (Ioan. 20, 30). — Eadem ratione a Patribus quoque miraculum ut signum sensibile accipitur, ut v. g. ex hoc *S. Augustini* testimonio apparet: „Accepimus maiores nostros eo gradu fidei, quo a temporalibus ad aeterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter potuerunt) secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora ducere permissa sunt, ne animus semper visibilia quaerat“ (De ver. relig. c. 25, n. 47). Itaque visibilia, i. e. sensibilia miracula esse *Augustinus* docet; atque miraculo id essentiale esse ex mente *S. Doctoris* inde manifeste elucet, quod in ipsa miraculi definitione, quam tradit, hoc elementum ponitur: „Miraculum 14.

voco, quidquid arduum vel insolitum supra spem aut facultatem *videntis*" (De utilit. cred. c. 16).

15. *3. Ex eo, quod miraculum semper consideratum est tamquam speciale Dei ad homines testimonium.* — Miraculum esse Dei ad homines testimonium postea quidem ex professo probatur ideoque hic supponere licet; ceterum sufficienter iam constat ex s. Scripturae et *S. Augustini* testimoniis, quae modo allata sunt. Testimonium autem divinum ad homines debet aliqua ratione esse sensibile. Cum enim homo ex sensibilibus ad intelligibilia cognoscenda ascendat, ad divina quoque edocenda per sensibilia manuduci debet. Porro quia testimonium divinum de fidei veritate in praesenti providentiae ordine non privatam, sed publicam et socialem indolem habere debet, ideo miraculum ea ratione sensibile esse debet, ut non solum individuis quibusdam hominibus, sed omnibus patere possit, cum omnes de revelationis divina origine edocendi sint; ergo.

16. *Ex argumentis factis duo intelliguntur vel consequuntur. Primo* effectus mediate sensibiles praeter naturae ordinem producti miracula sunt vel intellectualia vel moralia, prouti scilicet aut intellectum imprimis aut voluntatem afficiunt. Huc pertinent prophetiae, scientia infusa, Ecclesiae propagatio, subita S. Pauli aliorumque conversio atque alia eiusmodi signa. Econtra effectus miraculosi immediate sensibiles miracula physica sunt et vocantur, ut v. g. resuscitatio mortui, conversio aquae in vinum et alia huius generis. In praesenti quaestione vel unice vel potissimum saltem miracula physica considerantur.

Praeterea ex dictis intelligitur, transsubstantiationem eucharisticam, unionem hypostaticam, iustificationem impii aliaque inter vera et proprie dicta miracula non computari. Quamvis enim effectus sint, qui praeter naturae ordinem fiant omnemque vim creatam excedant, attamen cum sensus plane lateant, in rigore theologico inter miracula proprie dicta non recensentur.

Assertio secunda: Miraculum est effectus, qui insolitus est vel praeter naturae physicae ordinem producitur.

Effectum aliquem insolitum esse vel praeter communem naturae physicae ordinem produci imprimis dicit, subiectum, in quo effectus miraculosus producitur, nullam habere exigentiam naturalem neque potentiam naturalem ad talem effectum. Hinc autem consequitur primo, quod causa proxima quaevis creata tali effectui producendo in concreto et consideratis adiunctis suis omnibus plane improportionata existat; contra naturam enim nulla creatura quidquam valet. Consequitur secundo, neque Deum in ordine providentiae naturalis sive generalis sive specialis iuxta normam aliquam communem talem effectum producere, quippe ad quem in subiecto nulla est potentia neque exigentia naturalis, ad quam solam providentia naturalis respicit. — Probatur haec assertio iisdem fere rationibus ac praecedens; et quidem 17.

1. ex etymologia vocis. — Nimirum, ut ex *S. Thoma*, supra notatum est: quamvis effectus aliquis sensibilis naturalis possit esse mirus quoad nos, quia causas, a quibus, vel leges, secundum quas fit, ignoramus, mirabilis tamen secundum se non est, nisi quando in subiecto, in quo effectus producitur, naturalis ordo est ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi: „Illa, quae sola virtute divina fiunt, in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur proprie miracula, ea vero, quae natura facit, nobis tamen vel alicui nostrum occulta, vel etiam, quae Deus facit nec aliter nata sunt fieri nisi a Deo, miracula dici non possunt, sed solum mira, vel mirabilia" (De pot. qu. 6, n. 12). Atque hinc est, quod in sacra Scriptura *prodigia* quoque vel *portenta* (τέρατα, θαυμάσια) appellantur, ut Ioel 2, 30; Ioan. 4, 48; Act. 4, 30; 6, 8 aliisque pluribus locis. 18.

2. Ex fine miraculi. — Etenim, ut iam supra dictum est, ex communi hominum persuasione miraculum est speciale divinorum consiliorum testimonium et maxime ad revelationem confirmandam inservit: atqui ad hunc finem asse- 19.

quendum ineptum est, nisi sit effectus praeter ordinem consuetum ordinariumque naturae physicae cursum eveniens. Quivis enim effectus physicus, qui secundum ordinem consuetum naturae physicae fit, specialem Dei interventum non postulat neque igitur rationem divini testimonii induere potest. Quare effectus miraculosus non solum praeter ordinem huius vel alterius causae secundae, sed praeter universum ordinem causarum secundarum fieri debet. „Dicendum, inquit *S. Thomas*, quod miraculum proprie dicitur, cum aliquid fit praeter ordinem naturae. Sed non sufficit ad rationem miraculi, si aliquid fiat praeter ordinem naturae alicuius particularis. Quia sic, cum aliquis proiicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc fit praeter ordinem naturae lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae" (S. th. 1. p. q. 110. a. 4).

20. *3. Ex consensu scholae. — S. Thomam* iam audivimus. Audiatur igitur *Alexander Halensis:* „Non dicit insolitum, quod raro evenit, sic enim eclipsis solis diceretur miraculum. sed quod fit contra consuetum cursum naturae, etsi frequenter eveniat" (Summ. theol. q. 42. m. 1). — Et *Scotus* „Est, inquit, naturalitas in passo in comparatione ad agens, quando comparatur ad tale agens, quod est natum naturaliter imprimere in eo talem formam; et tunc est supernaturalitas, quando comparatur ad agens, quod non est natum imprimere formam talem in tali passo" (4. d. 43. p. 4. n. 5). — Clare rem declarat quoque *Sylvius:* „Ad hoc, ut miracula censeantur fieri, praeter ordinem rerum naturalem, non est satis, quod fiant virtute supernaturali (a Deo), sed oportet, quod fiant praeter ordinarium solitumque cursum naturae ita scilicet, ut in rerum ordine appareat aliqua dispositio, quae iuxta ordinem earum naturalem requirat debere aliter fieri" (In c. g. l. 3. c. 101). Eiusdem sententiae est *Suarez*, ut v. g. haec eius verba testantur: „Concedo non omnia miracula vera esse aequalia simpliciter, quia quaedam sunt nobiliora aliis vel ex parte effectus, vel ex parte modi. Nihilominus tamen in hoc

omnia conveniunt et quandam aequalitatem seu univocationem habent, quod omnia sunt supra totum ordinem causarum naturalium et supra naturalem capacitatem materiae, vel saltem supra connaturalem modum, quo talis effectus per se fieri postulat“ (De angelis l. 4. c. 39. n. 11). — Denique *Benedictus XIV.* quoque praeclare hanc rem declarat: „Licet dari non possit miraculum, quod vires naturae non excedat, non tamen dici potest, quidquid excedit vires naturae, miraculum esse; cum ad miraculum requiratur nedum, ut excedat vires naturae, sed praeterea, ut sit praeter ordinem naturae: licet enim, quidquid est extra ordinem naturae, sit supra vires naturae, cum natura operari non possit extra ordinem ipsi a Deo praescriptum, non omnis tamen res, quae est supra vires naturae, est extra ordinem naturae a Deo praescriptum. Exemplum est in creatione animarum rationalium: earum quippe creatio absque dubio naturae vires excedit, cum potentiam infinitam exposcat, ea vero non est praeter ordinem naturae, cum fiat a Deo iuxta rerum conditionem, corporum videlicet sufficientibus organis instructorum ad animam rationalem recipiendam: licet contra creatio et infusio animae in corpus Adami inter miracula sit recensenda, utpote infusa in corpus ex terra compactum et nullatenus dispositum ad animam recipiendam. Quamvis sit praeter rationes seminales agentes ad perfectionem effectus, animae infusio non tamen est praeter eas disponentes; dispositio enim corporis ad receptionem animae . . . est per virtutem creaturae collatam. Si tamen sine praecedenti praeparatione vel anima infunderetur . . ., miraculum dici posset, ut patet in formatione primi hominis.“

21. *Ex demonstrata assertione secunda nonnulla intelliguntur, quae statim hic exhibere iuvat.* Et quidem *primo* intelligitur, cur actiones sacramentales, iustificatio aliaeque actiones supernaturales inter miracula non recenseantur. Praeterquam enim, quod effectus sensibiles non sint, deficiunt etiam ab altera miraculorum conditione, quae modo explicata est: etenim secundum regulas generales et con-

stantes disponuntur et fiunt, secundum quas ordo supernaturalis, ad quem pertinent, a Deo gubernatur; neque igitur inter miracula intellectualia vel moralia proprie computari possunt.

22. *Secundo,* ratio insoliti, quae ad miraculum postulatur, reipsa quidem non differt ab eo, quod sit praeter consuetum naturae ordinem. Cuius rei testis iam supra (n. 5.) fuit *Alexander Halensis.* Idem vero testantur *B. Albertus* et *S. Thomas.* Prior ita habet: „Etiamsi tota die fieret miraculum, adhuc esset insolitum, quia non fit solito cursu apud causas inferiores" (n. 2. d. 18. a. 3). Et *S. Thomas:* „Insolitum quod in definitione miraculi ponitur (ab *Augustino,* v. supra n 3.) non dicit raritatem facti; sed excludit solitum cursum naturae: unde si quotidie caeci illuminarentur, nihilominus miraculum esset, quia praeter cursum naturalem, qui nobis est consuetus, contingeret." Verumtamen, quia cursus naturae nobis non innotescit nisi ex effectuum similium repetitione et observatione, si miracula nimis frequenter contingerent, difficilius iam ab effectibus naturalibus distinguerentur atque sic efficacia eorum in ratione criterii quadantenus minueretur; quapropter insoliti ratio consequenter in effectus raritate aliqua ratione statui potest.

23. *Tertio* intelligitur, qua ratione sit, et qua ratione non sit miraculum praeter ordinem naturae vel praeter et contra naturam. Itaque *imprimis* non est praeter nec contra ordinem universalissimum, secundum quem omnia creata a divina providentia praeordinantur et in finem diriguntur. „Etenim non est possibile, inquit *S. Thomas,* quod Deus aliquid faciat, quod non sit ab eo volitum, cum creaturae non procedant ab eo naturaliter, sed per voluntatem, ut ostensum est (l. 2. c. 23). Neque etiam est possibile, ab eo aliquid fieri, quod eius scientia non comprehendatur, cum voluntas esse non possit nisi de aliquo noto. Neque iterum est possibile, quod in creaturis aliquid faciat, quod in suam bonitatem non sit ordinatum sicut in finem, cum sua bonitas sit proprium obiectum voluntatis ipsius. Simi-

liter autem, cum Deus sit omnino immutabilis, impossibile est, quod aliquid velit, quod prius noluerit, aut aliquid de novo incipiat scire, vel in suam ordinet bonitatem. Nihil igitur Deus facere potest, quin sub ordine suae providentiae cadat, sicut non potest aliquid facere, quod eius operationi non subdatur" (C. g. l. 3. c. 98). Quare „Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab aeterno praevidit et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturae cursum, ut tamen praeordinaretur in aeterna sua voluntate, quod praeter cursum istum quandoque facturus est" (De pot. q. 6. a. 1. ad 6). *Deinde* autem miraculum est praeter et contra ordinem physicum, quia ex mutuis substantiarum sensibilium habitudinibus et operationibus non consequitur. *Denique* praeter et contra ordinem universalem quoque esse invenitur, quia neque ex mutuis omnium creaturarum habitudinibus vel operationibus resultat, cum Deus solus auctor miraculi sit, ut mox ostendetur.

Quarto denique ex dictis intelligitur, qua ratione sit 24.
et qua non sit contra naturam. Duplici enim ratione aliquid contra naturam esse potest, prout scilicet repugnat omni inclinationi vel potentiae naturae relate ad omnes causas et quidem primam quoque, vel prout repugnat inclinationi vel potentiae naturae relate ad causas creatas tantum. Iamvero miraculum est contra naturam secundum quid, i. e. repugnat inclinationi vel potentiae naturae, prout refertur ad causas creatas, non vero repugnat inclinationi vel potentiae naturae, prout refertur ad causam primam. Nam creaturae omnes in potentia obedientiali sunt ad effectus, quos solus Deus in ipsis producere potest; atque tales effectus, si quidem ad ordinem physicum spectant, miracula dicuntur. Unde patet, ex eo, quod Deus nihil facere potest contra ordinem moralem, nullatenus consequi, nihil item Deum contra ordinem physicum facere posse. Etenim „licet Deus possit facere contra ordinem, qui est unius creaturae ad aliam, quod est quasi naturae particularis respectu ipsius: non tamen potest facere contra

ordinem creaturae ad ipsum; iustitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum. Unde contra ordinem iustitiae Deus facere non potest. Cursus autem naturae est secundum ordinem unius creaturae ad aliam; et ideo contra cursum naturae Deus facere potest" (De pot. q. 6. a. 1. ad 3).

Assertio tertia: **Miraculum est effectus a solo Deo tamquam causa principali productus.**

25. Haec assertio infra ex professo accuratius explicanda est, ubi ostendetur, eandem ex praecedenti assertione logica necessitate consequi. Hic vero ista miraculi conditio ex obvia potius et generali miraculi notione explicanda est. Itaque constat de hac miraculi conditione

1. ex ipsa etymologia et significatione vocis. — Etenim, ut *S. Thomas* saepe urget, miraculum est effectus, qui non ob huius vel illius ignorantiam, sed ratione sui et absolute admirationem excitat. Quare a causa producitur, quae absolute occulta est; talis autem causa est solus Deus, quippe qui solus supra omnes naturae leges et praeter modum connaturalem operatur, quo effectus produci solet. Ergo. „Potest autem causa effectus alicuius apparentis alicui esse nota, quae tamen aliis est incognita; unde aliquid est, mirum uni, quod non est mirum alteri, sicut eclypsin solis miratur rusticus, non autem astrologus. Miraculum autem dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter et omnibus occultam. Hoc autem est Deus. Unde illa, quae a Deo fiunt praeter causas nobis notas, miracula dicuntur" (S. theol. p. 1. q. 105. a. 7).

Animadvertendum est circa hoc argumentum, quod merito notat *Palmieri* (Theol. nat. th. 50.), causam admirationis non esse occultationem existentiae causae; etenim nihil magis est obvium hominibus, quam ex effectu miraculoso ad Deum tamquam causam eiusdem concludere; verum causa admirationis est modus operandi, qui est occultus, cum Deus, ut *S. Thomas* (De pot. qu. 6. a. 2.) dicit, in rebus omnibus secretissime operetur.

2. Ex eo, quod miraculum legi naturali derogat. — 26. Communis hominum persuasio est, legibus physicis nonnisi ab ipso Deo derogari posse, quam persuasionem recta ratio confirmat. ut concinne probat *S. Thomas:* „Ille solus potest legem immutare, qui legem condidit: sicut patet in legibus humanis, quod solus imperator potest legem immutare, qui legem condidit. Sed solus Deus legem naturalis cursus instituit. Ergo ipse solus potest miracula facere, praeter cursum naturalem agendo" (ib. a. 4).

3. Ex fine miraculorum. — Miraculum, ut iam supra 27. dictum est, communi persuasione inter christianos saltem tamquam „divinum testimonium indicativum divinae virtutis et veritatis" agnoscitur (l. c. a. 5). Atqui tale testimonium ex formali sua ratione postulat esse opus ipsius Dei tamquam causae principalis; opera enim, quae ex insitis et propriis causarum secundarum viribus procedunt, per se peculiare Dei testimonium non exhibent neque ullam per se signi divini rationem habent. Ergo miraculum a Deo tamquam causa principali fieri postulat; atque certo tale opus a Deo immediate praeter ordinarium naturae cursum et in certa cum aliqua v. g. doctrina connexione patratum, relate ad nos signi divini rationem manifeste induit; quod per se patet atque infra etiam accuratius exponetur.

4. Ex s. Scriptura confirmatur. — Etenim cum asser- 28. tione egregie consonat, quod in s. Scriptura miracula saepenumero *virtutes* (δυνάμεις) dicuntur, quo eadem divinae omnipotentiae esse manifestationes obiectivas sufficienter inmuitur (cf. Ps. 117, 16; Marc. 5, 30; 6, 5). Quare triplex miraculi elementum vel conditio ab ipsa Scriptura iam sola loquendi ratione confirmatur. Ad rem *S. Thomas:* „Dicendum, quod in miraculis duo possunt attendi, unum quidem est id, quod fit, quod quidem est aliquid excedens facultatem naturae, et secundum hoc miracula dicuntur virtutes. Aliud est, propter quod miracula fiunt, scilicet ad manifestandum aliquid supernaturale, et secundum hoc communiter dicuntur signa; propter excellentiam autem dicuntur

portenta vel prodigia, quasi procul aliquid ostendentia" (S. th. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 3).

Corollaria.

29. *1. Ex fine miraculi est, quod sit in genere signi.* — Finis enim miraculi nequit esse aliquod bonum, quod intra naturam physicam continetur. Naturae enim bono satis provisum est certis atque constantibus, quibus regitur legibus; neque igitur ex suspensione illarum ipsi bonum ullum accrescit. Dei scilicet opera omnino perfecta sunt, quare natura quoque physica nunquam specialem Dei interventum, sed generalem tantum influxum sibi expostulat, quo conservetur atque in operando adiuvetur. Quare quod finem attinet, miracula non ad ordinem physicum, sed ad ordinem moralem pertinent sive ad illam veritatum officiorumque oeconomiam, quibus rationales creaturae in vita intellectuali et ethica subiacent ac diriguntur; huic enim ordini ipse ordo physicus subordinatur atque inservire debet. Miraculorum igitur finis ad manifestationem alicuius Dei iudicii vel voluntatis spectat, proindeque signi rationem induunt; quod pulchre declarat *Augustinus*: „Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum facitque vinum nisi Deus, qui et homine plantante et irrigante incrementum dat? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est. Quis arbusta fronde et flore vestit sollemniter, nisis Deus? Verum cum floruit virga sacerdotis Aaron, collocuta est quodammodo cum dubitante humanitate divinitas?" (De Trinit. l. 3. c. 5). Miraculum igitur Deum manifestat aliter quam natura; id scilicet proprium habet, ut sit certum Dei testimonium aliquid probantis vel confirmantis.

30. Atque *imprimis* et potissimum miracula eo spectant, ut ipsis tamquam sigillo divinitus impresso religio revelata confirmetur, quippe quae, cum quoad plura e rationis principiis colligi non possit, sola testificatione divina probari potest: „Quia, quae sunt fidei, inquit *S. Thomas*,

humanam rationem excedunt, non possunt per humanas rationes probari, sed oportet, quod probentur per argumentum divine virtutis, ut cum aliquis facit opera, quae solus Deus facere potest, ut credantur ea, quae dicuntur, esse a Deo; sicut cum aliquis defert litteras anulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse, quod in illis continetur" (S. th. 3. p. q. 43. a. 1). Talis vero ratio hominem edocendi de supernaturali religionis origine naturae humanae egregie accommodata est, ut iterum *S. Thomas* declarat: „Naturale est homini, ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Unde sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ita per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur" (S. theol. 2. 2. q. 178. a. 1). Atque hic est primarius miraculorum finis, cui alii subordinantur. — Etenim *secundo* miraculi finis quoque est, ut insignem hominis sive viventis sive mortui sanctitatem declaret, ut tum antiqui foederis (Num. 12, 2. ss.; 4 Reg. 1, 12, ss.) tum novi (acta martyr., canoniz.) exemplis pluribus apparet. Patet autem facile, eiusmodi miraculis, cum directe Christi fidelium virtus confirmetur, indirecte ipsam fidem, illius virtutis radicem atque fontem, comprobari. — *Denique* miracula fiunt quoque propter variam utilitatem sive spiritualem sive corporalem bonorum et in malorum poenam, ut saepe in actis Sanctorum legi potest. Verum haec quoque miracula, cum bonitatem Dei adversus fideles et pios atque iustitiam eius versus infideles et impios ostendant, in verae fidei confirmationem denique cedunt.

Thesis 25. Miracula varia ratione recte dividuntur.

Declaratio.

Ratio thesis et fundamentum variae divisionis. — Cum 1.
divisio miraculorum, prout praeeunte *S. Thoma* a theologis tradita est, multum conferat ad notionem miraculi magis

explicandam et confirmandam, speciali thesi eam exponere iuvat. Divisio imprimis fieri potest, secundum quod varia traditae definitionis elementa considerantur. Nulla autem graduum diversitas in miraculis observari vel statui potest ex parte causae efficientis, quia Deus nullam plane neque maiorem neque minorem in his efficiendis difficultatem experiri potest; omnia enim verbo virtutis suae i. e. simplici imperio voluntatis operatur. Omnis itaque divisio ex parte operis miraculosi peti debet. Quibus animadversis thesis probatur ipsas varias divisiones exponendo. Itaque:

Demonstratio.

2. *1. Pro modo imprimis, quo opera miraculosa facultatem naturae excedunt, miracula sunt aut quoad substantiam facti, aut quantum ad id, in quo fiunt, aut quantum ad modum et ordinem faciendi.* — Divisio ista est *S. Thomae*: „Dicitur aliquid miraculum, inquit. per comparationem ad facultatem naturae, quam excedit. Et ideo secundum quod magis excedit facultatem naturae, secundum hoc maius miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturae tripliciter. Uno modo quoad substantiam facti: sicut quod duo corpora sint simul, vel quod sol retrocedat, aut quod corpus humanum glorificetur, quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturae non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id, in quo fit: sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio caecorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo. Et potest praestare visum, sed non coeco. Et haec tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturae quantum ad modum et ordinem faciendi: sicut si aliquis subito per virtutem divinam a febri curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus, ut cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliae. Et huiusmodi tenent infimum locum in miraculis“ (S. th. 1. p. q. 19. a. 8.; cf. Summ. c. g. l. 3. c. 101).

Videri posset, huic divisioni contradicere alium Summae 3.
theologicae locum, qui ita habet: „Omne donum gratiae hominem elevat ad aliquid, quod est supra naturam humanam: quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo, quantum ad substantiam, sicut miracula facere et cognoscere occulta et incerta divinae sapientia; et ad hos actus non datur homini donum habituale. Alio modo est aliquid supra naturam humanam, quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum, et ad hoc datur donum gratiae habituale“ (2. 2. q. 171. a. 2. ad 3). Hic enim *S. Thomas* omnia miracula habere videtur supernaturalia quoad substantiam. — Verum oppositio est tantum apparens, ut bene explicat *Cardinalis de Lugo:* „S. Thomas vult significare ibi discrimen inter actiones miraculosas, quales sunt suscitatio mortui et prophetia ex una parte, et actus credendi, diligendi etc. ex alia. Discrimen autem est, quod nec illae priores nec aliae illis similes (qua idem scilicet obiectum formale habent) fieri possunt a natura, et ideo eas appellat supernaturales quoad substantiam: at vero istae posteriores, licet cum illo modo supernaturalitatis (essentiali quidem vel entitativo) non possunt fieri a natura, possunt tamen fieri aliae similes in modo tendendi ad sua obiecta (quae idem sc. obiectum formale habeant) et ideo has dicit solum esse supernaturales quoad modum, non tamen negat illum modum esse de quidditate horum actuum“ (De fide, disp. 9. s. 2. n. 38).

Aliis exemplis praeter ea, quae ab ipso S. Thoma ad- 4.
ducuntur, isti tres miraculorum gradus illustrari possunt: Ad primum v. g. pertinent nativitas Christi ex virgine illibata, transfiguratio eiusdem in monte Thabor, conversio aquae in vinum aliaeque conversiones substantiales, et ita porro. Ad secundum gradum spectant sanatio surdo-muti, vita restituta in membro emortuo, conceptio mulieris sterilis, quaecumque sanatio morbi naturaliter incurabilis aliaque plura. Ad tertium denique gradum referuntur subita sanatio morbi naturaliter longiore tantum tempore sanabilis, sedatio

subita tempestatis, subita pluviae serena tempestate facta concitatio aliaque ejus generis plura

2. *Pro triplici modo, quo opera miraculosa sunt insolita, vel legibus naturae derogant, miracula sunt aut supra, aut contra, aut praeter naturam;* quam divisionem etiam *S. Thomas* exhibet: „Circa ea, quae Deus miraculose facit, talis solet adhiberi distinctio, quod quaedam dicantur fieri supra naturam, quaedam contra naturam, quaedam praeter naturam. Supra naturam quidem, inquantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest; quod quidem contingit dupliciter: vel quia ipsa forma inducta a Deo omnino a natura induci non potest, sicut forma gloriae, quam inducet Deus corporibus electorum, et sicut etiam incarnatio Verbi; vel quia, etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere non tamen in istam, sicut ad causandum vitam natura potens est, sed quod in hoc mortuo natura vitam causet, hoc facere non potest. Contra naturam esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illaesos in camino remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Iordanis stetit remanente gravitate in ea; et simile est, quod virgo peperit. Praeter naturam autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo, quo natura producere non potest, vel quia deficiunt instrumenta, quibus natura operatur (sicut cum Christus convertit aquam in vinum, Joan. II., quod tamen natura aliquo modo facere potest, dum aqua in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum uvae per digestionem producitur), vel quia est in divino opere maior multitudo quam natura facere consuevit, sicut patet de ranis, quae sunt productae in Aegypto; vel quantum ad tempus, sicut cum statim ad invocationem alicuius sancti aliquis curatur, quem natura non statim, sed successive et in alio tempore, non in isto, curare posset; et sic accidit in miraculo inducto de socru Petri. Unde patet, quod omnia huiusmodi, si accipiatur et modus et factum facultatem naturae excedunt“ (De pot. q. 6. a. 2. ad 3).

Circa hanc divisionem *animadvertendum est,* qua ratione 6.
miracula quaedam prae aliis dicantur esse supra naturam. Videlicet talia dicuntur non respectu effectus in concreto cum adiunctis considerati: ita enim consideratus quivis effectus miraculosus est supra naturam sive supra vires creatas; sed miraculum supra naturam tunc habetur, quando effectus abstracte sive in se solo consideratus vires creatas excedit. Etenim effectus miraculosus modo talis est, ut virtute creata produci omnino non possit, modo talis, ut absolute quidem, sed non isto modo vel in istis adiunctis a causa creata produci possit; modo denique talis est, qui a natura produci non possit, quia in subiecto simul existit dispositio naturalis ad contrarium.

3. Tertia divisio est in miracula quoad substantiam et 7.
miracula quoad modum. — Miracula quoad substantiam hic illa sunt, quae secundum seipsa spectata vires creatas excedunt; miracula vero quoad modum illa habentur, quae secundum seipsa spectata vires creatas non superant, sed tantum eo modo a creaturis produci non possunt, quo a Deo producuntur, scilicet solo voluntatis imperio, vel medio naturaliter inepto adhibito. Ad primam classem v. g. pertinent mortui resuscitatio, ad alteram subita morbi sanabilis sanatio.

4. Alia iterum divisione miracula discernuntur, qua- 8.
tenus aut fiunt subtractione activitatis a causis secundis vel concursus divini, aut per communicationem cuiusdam formae positivae in subiecto aliquo. — Prioris generis miraculum est v. g. conservatio puerorum in camino ignis, siquidem impedita est actio ignis per denegationem concursus divini; alterius generis miraculum est restitutio visus, vitae, membri et innumera alia. Patet autem utramque miraculi rationem in uno eodemque effectu posse esse coniunctam.

5. Quinta divisione miracula in absoluta et relativa dis- 9.
cernuntur. — Haec vero divisio non est proprie miraculi, quod in praecedenti thesi definitum est, sed potius cum miraculo vero et proprie dicto componitur miraculum improprie dictum. Etenim miraculum absolutum illud dicitur,

quod definitum est; miracula autem relativa mirabilia dicuntur, quae a spiritibus in hoc mundo adspectabili Deo vel specialiter iubente vel solum permittente peragi possunt. Haec vero spirituum operâ, quomodo, praeterquam quod a Deo non fiunt, a vera miraculi ratione deficiant, infra ostendetur. Divisio haec in miracula absoluta et relativa cum illa alia coincidit, qua antiqui theologi *miracula simpliciter* et *miracula quoad nos* distinxerunt: quam divisionem ita refert et explicat *Ferrariensis;* „Simpliciter miraculum dicitur, quod fit praeter ordinem totius naturae creatae per virtutem secundum se a quocunque intellectu creato incomprehensibilem. . . . Quoad nos dicitur miraculum, cum aliquid fit praeter ordinem naturae creatae nobis notae per virtutem creatam nobis ignotam, licet in se cognoscibilis et comprehensibilis sit ab intellectu creato" (In summ. c. g. L. 3. c. 102).

10. *6. Denique ultimo loco recensenda est divisio miraculorum in physica, intellectualia, moralia.* — Neque hac divisione miracula proprie dicta dividuntur; verum potius cum miraculo proprie dicto, quod est physicum et inter ordinem physicum contingit, alia improprie dicta componuntur, quae ad ordinem intellectualem et moralem spectant. Miraculum enim intellectuale supernaturali elevatione intellectus sive supernaturali veritatum absconditarum manifestatione menti humane facta consistit, quae inspiratio et prophetia vocantur. Miraculum autem morale in actibus humanae voluntatis et eventibus inde consequentibus continetur, qui praeter constitutum humanae naturae ordinem efficiuntur, cuius legibus secus experientia teste tam individuorum hominum quam societatum et coetuum actiones temperantur; qualia miracula sunt prima christianae religionis propagatio, invicta martyrum constantia, aliaque eius generis. Haec miracula intellectualia et moralia a propria et supra tradita miraculi notione deficere facile intelliguntur, tum quia ex natura sua non sunt sensibilia, tum quia non legibus physicis, sed intellectualibus vel moralibus derogant; quare de iisdem ex professo non hoc loco sed alibi tractandum est.

Corollarium.

Falsae miraculi definitiones vel explicationes reiiciuntur. — Variae ab auctoribus diversis traditae sunt miraculi definitiones, prout variis systematibus philosophicis inhaeserunt: quae quidem definitiones, postquam vera statuta et explicata est, facile reiiciuntur (cf. Denzinger, o. c., II, p. 335 ss. — Schmid, o. c. p. 260 ss. —). Itaque

11. 1. *Absurdae sunt miraculi definitiones a Materialistis, Pantheistis, Naturalistis, Rationalistis statutae.* — *Spinoza* pseudophilosophus ea ratione miraculum definit, ut sit opus naturae, cuius causam naturalem vel modum, quo naturaliter fit, exemplo alterius rei solitae explicare non possumus. Haec miraculi definitio qua miraculum inter effectus naturales computatur, ex systemate pantheistico, quod ille construxit, logica necessitate procedit; si enim una tantum est substantia, atque proinde natura cum ipso Deo identificatur, nullum effectum physicum admitti posse patet, qui sit supra, contra vel praeter naturam. At vero, cum absurdus plane iste pantheismus sit, absurda quoque est ea miraculi definitio, quae in eodem innititur.

12. Affinis est vel fere identica cum definitione a Spinoza statuta ea, quam *Locke* proposuit. Secundum hunc enim auctorem miraculum est operatio sensibilis, quae cum hominis intelligentiam superet ipsiusque opinione cursui naturae constituto contraria sit, ab eo pro divina habetur. Scilicet iste quoque sensista ponit, nullum effectum fieri posse, qui praeter naturae cursum sit, et in praeiudiciis hominum tantum vera miracula esse statuit. Verum praeiudicium totum est ex eius parte, ut ipsa miracula vera facta et historice probata clare ostendunt.

13. *A. Ritschl* miraculum ponit esse, quidquid Deus omnipotentiam suam et sapientiam in hominis auxilium et gratiam operatur. Quare fides in providentiam divinam secundum istum rationalistam fidem quoque de miraculis gignit, quia qui providentiae divinae fidit, in seipso miracula quoque fieri agnoscit, cum singularem Dei providentiam saepe ex-

periatur. De eventibus autem praeter naturae cursum factis, quos s. Scriptura refert, curandum non est, quia fides ab iisdem non pendet. Ita in opere: Unterricht in der christlichen Religion § 17. — Haec quoque explicatio miraculi veri negatio potius est, quam definitio; neque eadem, ut ipse Ritschl fatetur, miraculis a s. Scriptura relatis concordat; denique omnino gratuita est, et sicuti gratis fingitur, gratis negatur.

Eiusdem vel similis levitatis necnon perversitatis ceterae rationalistarum aliorumque adversariorum miraculi explicationes inveniuntur, quare plures referre nec vacat nec expedit.

14. *2. Neque accurata nec vera ea miraculi definitio est, quam Clarke quondam proposuit.* — Statuit ille, miraculum esse operationem sive ipsius Dei sive spirituum extraordinariam ideoque definit idem „effectum consueto naturae ordini contrarium ab alicuius entis intelligentis homineque superioris insueto interventu productum". Hanc vero definitionem explicans statuit, nullam corporibus inesse propriam activitatem adeo, ut omnia, quaecumque in natura aguntur, a Deo vel immediate vel spirituum ministerio fiant; quare nihil dicit esse vires naturae, quam effectus uniformis Dei actionis in mundum. Legibus naturae igitur miraculum non aliter derogat, quam quod deficit ab ista uniformi Dei actione quod praecise est actio Dei extraordinaria ab uniformi diversa. — Continuo et facile perspicitur, hanc explicationem esse plane falsam. Etenim primo falso systemati philosophico occasionalismi innititur, eo quod omnia, quae in mundo corporali eveniunt, immediatae solius Dei vel spirituum actioni tribuit atque materiae omnem activitatem detrahit. Praeterea secundum definitionem statutam nulla alia est differentia inter eventum naturalem et miraculum, quam ea, quae posita est in eventus miraculosi extraordinario charactere; haec autem differentia non sufficit, ut ex dictis patet. Denique cum nimis generalis et obscura sit ista definitio, non solum angelorum mirabilibus operibus, quod aliqua ratione tolerari posset, sed etiam daemonum praestigiis convenit, quod nulla ratione tolerari potest. Quis

enim christianus Magorum Aegypti portenta vel Simonis Magi praestigia unquam vera miracula vocaverit!

3. Ea quoque miraculi explicatio falsa est, quam tradiderunt Houtteville, Bonnet, Drey aliique recentiores catholici. — Secundum hos scilicet auctores miraculum est „effectus naturae extraordinarius, ex occulta naturae lege vel occulto naturae ordine Deo ita ordinante proveniens“ Ab effectu naturali igitur effectus miraculosus non eo differt, quod aliter, quam ille, legi naturali derogat, sed quia ex occulta lege in certis adiunctis Deo ita disponente promanat adeoque nobis ignotus atque intellectui creato impervius sit; atque haec quoque est ratio, quod ad confirmandam veram religionem inservire potest. — Iam vero haec miraculi explicatio multipliciter cum certis veritatibus pugnat. Etenim 15.

a) primo aliena est ab unanimi theologorum consensu, imo ab universa traditione recedit, cum miraculum semper consideratum sit tamquam effectus divinitus productus, quo naturae legibus aliqua saltem ratione derogetur; quod quidem sufficienter ex ipsa thesi constat.

b) A Scripturae quoque doctrina haec sententia satis clare recedit. Etenim non occultae naturae vires tamquam causa miraculi exhibentur, sed ipse potius Deus ea operari declaratur, Ita Christus Deus-homo suam ipsius voluntatem tamquam miraculorum, quae patrabat, adaequatam causam profert: *Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico): Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam*“ (Luc. 5, 23, 24). Atque iterum Patrem suum tamquam signorum causam exhibet, quae operatur: „*Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata*“ (Ioan. 11, 41 ss). 16.

17 c) Praeterea fundamentum in quo haec sententia innititur, labile plane, imo falsum est; nimis enim auctores illi hac in re adversariis revelationis et ordinis supernaturalis cedentes, leges naturae immutabiles esse sumunt; quod tamen, quam falsum sit, ex iis, quae supra de contingentia ordinis mundani legumque physicarum dicta sunt, facile apparet. Ad summum enim legibus physicis immutabilitas externa ex voluntate Dei prodiens tribui posset; at vero haec quoque arbitrarie et falso asseritur. Ceterum etsi immutabilitas haec externa asseri posset, neque tamen, quod intendere videntur, hac ratione adversariis satisfaceret, qui immutabilitatem absolutam vel metaphysicam legum naturalium asserunt. Quapropter catholici huius sententiae defensores ancipites misere haerent inter doctrinam aperte veram et catholicam atque pantheisticos vel rationalisticos errores, sicuti fieri iis assolet, qui non consequenter veritatem catholicam defendunt.

18. d) Deinde in hypothesi illa omnis vera certitudo physica plane corruit. Si enim praeter leges physicas nobis notas vel cognoscibiles aliae ignotae et rationi humanae imperviae existunt, secundum quas certi effectus reguntur, numquam potest certo expectari effectus physicus, qui nunc in certis adjunctis ab omnibus secure omnino et certo expectatur. Sic v. g. si leges physicae existunt, secundum quas ignis quandoque non comburit, vel corpora non sint gravia, nunquam certo et secure nec positis circumstantiis praerequisitis effectus combustionis vel gravitatis exspectari posset. Miracula enim, quae ab historia referuntur, ita facta sunt, ut consideratis circumstantiis alius et contrarius effectus exspectari deberet.

19. e) Tandem in eadem sententia vim miraculi apologeticam maxime obscurari et minui, continuo cuique patet. Illa enim vis in eo praesertim posita est, quod immediata Dei solius operatione fiunt atque hac ratione tamquam testificatio divina considerantur. Iamvero haec ratio in illa explicatione non subsistit; quare ex hoc capite quoque illa rationalistica miraculi explicatio plane perversa esse perspicitur.

f) Denique miracula, quae ab historia referuntur, illa sententia nullatenus explicantur. Etenim manifeste prae se ferunt legum naturalium derogationem manifesteque plura saltem vires creatas evidenter excedere conspiciuntur, ut mortui resuscitatio, aliaque plura iam supra enumerata. In illa autem sententia nec essent legum naturalium derogatio neque vires creatas excederent; ergo.

Scholion.

De mente S. Augustini. — Contra definitionem statutam **20.** vel pro ea imprimis, quae tertio loco reiecta est, maxime ad *S. Augustinum* provocare solent, quasi hic S. Doctor a catholica de miraculo doctrina sit prorsus alienus; atque ad tria praesertim testimonia provocant, quibus doctrinae catholicae contradicere videtur.

Et *primo* quidem docere videtur, naturalibus viribus miracula produci; etenim occulta quaedam semina sive rationes seminales statuit, quarum evolutione miracula fiant. Sic v. g. affirmat, ope talium seminum a magis Aegyptiacis per malorum angelorum ministerium serpentes et ranas productas esse, quae productio verum miraculum fuerit. „Omnium rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent. . . . Neque enim tunc (in principio rerum) in huiusmodi foetus ita producta sunt, ut in eis, quae producta sunt, vis illa consumpta sit, sed plerumque desunt congruae temperamentorum occasiones, quibus erumpant et species suas peragant“ (De Trinit. l. 3. c. 8. n. 13).

Alibi vero *secundo* diserte negare videtur, miracula contra **21.** naturam esse: „Quomodo est contra naturam, quod dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris conditae cuiusque rei natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura“ (De civ. l. 21. c. 8 n. 2). „Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit“ (De genes. ad. litt. l. 6. c. 13).

Denique *tertio* docere videtur, miraculum esse, quidquid facultatem hominis mirantis excedit: „Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus, quam id, quod sensibus admovetur. Sed rursus haec in duo dividuntur: quaedam enim sunt, quae solum faciunt admirationem, quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant" (De utilit. cred. c. 16).

22. *R.* — Frustra plane atque immerito adversarii ad S. Augustini doctrinam provocant; si enim verba allata in se spectata forte dubia apparent, per contextum tamen et reliquam S. Augustini doctrinam in clara luce ponuntur.

Itaque ad *primum* testimonium dico: Per rationem seminalem S. Augustini intelligit potentiam materiae naturalem: quare quod e potentia rei naturali educitur, secundum rationem seminalem produci dicitur. Cum igitur magi ex mente Augustini illos effectus secundum rationes seminales produxerint vel per virtutem rebus creatis propriam, iidem effectus praecise miracula vera sane non erant; sed neque ab Augustino talia habita sunt. In capite enim quinto eiusdem libri, duas Dei operationes, naturalem unam, alteram supernaturalem, clare distinguit iis verbis, quae iam semel allata sunt: „Quis attrahit humorem per radicem vitis ad botrum et vinum facit, nisi Deus, qui et homine plantante et rigante incrementum dat? Sed cum ad nutum Domini aqua in vinum inusitata celeritate conversa est, etiam stultis fatentibus vis divina declarata est." Deinde sibimet obiicienti capite 7.: „Hic video, quid infirma cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant," postea, capite 8. respondet, inter miracula proprie dicta et prodigia a magis producta esse essentiale discrimen, quia cum Deus solo voluntatis nutu miracula faciat, angeli potius utendo viribus materiae insitis et secundum leges naturales miros effectus producunt. „Nec ideo putandum est, istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilem rerum materiam, sed Deo potius, a

quo haec potestas datur." Patet autem, hac Augustini explicatione, nedum adversetur supra statutae definitioni, potius accurate eandem et profunda ratione confirmari.

Ad *secundum* testimonium dico: Cum varia sit vocis 23.
naturae significatio, ut supra explicatum est, varia quoque ratione aliquid contra naturam esse dicitur. Sic una significatione contra naturam esse diceretur, quod contra divinam voluntatem et ordinationem esset, quia omni creaturae naturale est Dei voluntati et ordinationi subesse. Deus autem nunquam contra suam voluntatem vel ordinationem agit ideoque hoc sensu miraculum contra naturam esse merito negatur. Iamvero S. Augustinus testimonio allato hoc praecise sensu loquitur, ut contextus et vel ipsa verba manifeste ostendunt. Alio modo natura significat eam potentiam passivam rerum sensibilium, qua ad causas naturales referuntur; atque haec natura nobis per effectus nota est; per effectus enim naturaliter causas etiam materiales cognoscimus. Ab illa potentia passiva, qua res sensibiles ad causas naturales referuntur, plane distinguenda est potentia obedientialis, qua omnia Deo primae causae subiacent, et quidquid Deus vult, in ipsis producitur. Atque haec potentia obedientiae, cum naturaliter per effectus non manifestetur, recte ignota dici potest. Iamvero cum S. Augustinus dicit, portentum fieri non contra naturam, sed contra quam est nota natura, nihil aliud significare vult, quam miraculum non quidem potentiam naturalem, sed potentiam obedientialem rerum sensibilium respicere, quod profecto cum explicatione in praecedente thesi statuta perfecte consonat. Hanc autem reipsa mentem Augustini esse tum ex contextu illorum verborum, tum ex reliqua eius de miraculis doctrina clare apparet.

Ad *tertium* quoque testimonium commode respondetur: 24
Illa miraculi a S. Augustino tradita definitio explicationi supra statutae non opponitur, imo cum ea perfecte consonat adeo, ut veteres theologi ea usi sint a miraculi naturam declarandam, ut v. g. *Albertus M.*: „Dicendum, quod quatuor differentiae ponuntur in definitione miraculi, quarum

duae primae miraculo conveniunt secundum esse miraculi et secundum id quod est miraculum, quae sunt arduum et insolitum. Et dicitur *arduum*, quod supra potentiam sive facultatem naturae in potestate altioris causae locatum est. Et dicitur *insolitum*, quod praeter naturae cursum solitum producitur in esse. Et illae duae differentiae causae sunt sequentium duarum, quae describunt miraculum secundum quod subiacet admirationi admirantis: ab eo enim dicitur miraculum et mirabile, sicut in Psalmo CXVII, 23: ‚*A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*' Et eius quod est *praeter spem*, causa est illa, quod est arduum: ex hoc enim, quod locatur in altiori causa, quam natura sit, praeter spem est admirantis: praeter spem naturae, hoc est, quam concipit aliquis ex potentiis naturalibus, sicut accipitur spes in epist. ad Roman. IV, 18, ubi dicitur: ‚*Qui contra spem in spem credidit.*' Glossa ibidem: ‚Contra spem naturae in spem gratiae.' Ab eo autem, quod dicitur insolitum, causatur illa, quae est *praeter facultatem* admirantis: et intelligitur communiter facultas de virtute operativa et de virtute cognitiva: admirans enim de virtute operativa non potest nisi in illud, quod est de solito cursu naturae" (S. th. 2. p. q. 31. m. 2. a. 1). Conferatur etiam reliqua Alberti in hoc opere de miraculis doctrina, qua egregie miraculi natura simulque mens Augustini declaratur.

Articulus secundus.

De possibilitate miraculorum.

Thesis 26. **Deus miracula vera et proprie dicta patrare evidenter potest.**

Declaratio.

1 *Scopus huius articuli.* — Deum miracula patrare posse, iam ex ipsa miraculi explicatione praemissa evidens censeatur; verum propter gravitatem rei speciatim probandum est, cum nihil fere magis a Rationalistis, quam miraculi possibilitas impugnetur. Rationes autem eorum sunt levis-

simae atque pleraeque ipsa praesentis thesis demonstratione excluduntur. Cum itaque de potentia Dei miracula patrandi dubitatio nulla esse possit, non tamen aeque evidens est, Deum solum, non vero angelos etiam miracula operari posse; quare de hac altera quaestione distincte in subsequente thesi agendum est.

Demonstratio.

1. *Probatur ex supremo Dei dominio vel omnipotentia* 2
divina cum ordinis naturalis contingentia collata. — Etenim ex una parte Deus omnipotentia sua creaturarum vires in immensum excedit; ad omnia enim intrinsecus possibilia se extendit; quare sine natura efficere valet, quae efficit natura, et praeterea effectus producere potest, quos non potest natura. Ex altera vero parte ordo naturae, ut iam supra ostensum est, multipliciter est contingens et dominio divino plene subiectus; quare intrinsecus possibile est, ut huic ordini Deus deroget opera patrando, quae sive quoad modum sive quoad substantiam vires creatas plene excedunt. Quae cum manifesta sint, manifestum quoque est, Deum potentiam habere miracula patrandi. Ergo.

Neque dici potest, potentiam divinam per alia attributa 3.
divina impediri, quominus miracula patret. Etenim ad summum id de immutabilitate vel constantia voluntatis divinae et de sapientia videri posset. Atqui neutra Deus miracula operari impeditur. Non impeditur constantia voluntatis suae, quia „Deus sic rebus certum ordinem indidit, ut tamen sibi reservaret, quod ipse aliquando aliter ex causa esset facturus. Unde cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur“ (S. th. 1. p. q. 105. a. 6. ad 3). Neque magis cum sapienta divina miraculorum patratio pugnat, imo egregie cum ea convenit. Sapientia enim divina in hoc maxime cernitur, quod omnia in hoc mundo adspectabili imprimis ad manifestationem perfectionum suarum ordinet; atqui huic sane fini miraculorum patratio egregie congruit. Etenim „divina virtus quandoque aliquid facere potest sine providentiae suae praeiudicio praeter or-

dinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suae virtutis manifestationem facit interdum. Nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter ordinem naturae aliquid operetur; ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit a Deo non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem" (C. g. l. 3, c. 99.).

4. 2. *Ex propria indole diversarum specierum miraculi.* — Deus agere potest praeter, contra, supra ordinem totius naturae; ergo miracula patrare potest. Probatur antecedens: Ea actio praeter ordinem naturae est, qua idem quidem efficitur, quod etiam natura facit, sed alio modo et excellentiore; actio contra naturae ordinem ea est, qua fit effectus vel negative vel positive oppositus illi, qui ab ordine naturae exigitur vel ad quem natura est in potentia; actio supra ordinem naturae ea dicitur, qua aliquid excellentius fit, quam quod natura suis viribus efficere potest. Iamvero Deus potest agere praeter ordinem naturae, quia quidquid natura facit, Deus etiam solus nullis adhibitis causis naturalibus facere potest; deinde agere potest contra ordinem naturae, efficiendo per subtractionem concursus, ne effectus proprius causae naturalis v. g. combustio ignis existat; tum etiam producere potest effectus contrarios illis, qui a subiecti dispositione requiruntur, vel ad quos subiectum in naturali potentia existit, v. g. vivificare potest cadaver humanum. Denique Deus agere potest supra ordinem totius naturae vel existentem vel etiam quemlibet possibilem, quia cum infinite excedat omne ens finitum creabile, potest efficere aliquid excellentius, quam ulla creatura possit in quacunque hypothesi. Atqui effectus tales praeter, contra, supra ordinem naturae producti miracula vera sunt atque proprie dicta: ergo Deus miracula patrare potest.

5. Ea creaturae capacitas, qua in ipsa effectus praeter, contra, supra ordinem naturae produci possunt, potentia obedientialis vocatur, ut iam supra notatum est. Quare multum refert, ut accurata huius potentiae notio efformetur.

Iamvero eandem sic describit *S. Thomas*: „Dicendum, inquit, quod quanto aliqua virtus activa est altior, tanto eandem rem perducere potest ad altiorem effectum. . . . Et inde est, quod aliqua res est in potentia ad diversa secundum habitudinem ad diversos agentes. Unde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per divinam potentiam, quae inferior potentia facere non potest. Et ista vocatur potentia obedientiae, secundum quod quaelibet creatura creatori obedit" (De pot. qu. 6. a. 1. ad. 18). — Et alibi: „Rei capacitas dicitur secundum potentiam receptibilitatis, quae est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturae ad recipiendum. Una naturalis, quae potest tota impleri, quia non se extendit nisi ad perfectiones naturales. Alia est potentia obedientiae, secundum quod potest recipere aliquid a Deo, et talis potentia non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo" (De verit. qu. 29. a. 3.) — Denique iterum alibi ait: „In qualibet creatura consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam educere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale, et haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura" (S. 3. th. p. q. 11. a. 1).

3. Ex fine et possibilitate revelationis. — Etenim revelatione potissimum intenditur, ut Deus tamquam ordinis supernaturalis auctor ab hominibus cognoscatur. Medium vero, quo homo ad revelationem et Deum eiusdem et ordinis supernaturalis auctorem cognoscendum pertingit, tum fini, tum homini, qui in eum tendit, accommodatum esse debet. Iamvero fini supernaturali medium supernaturale, homini ex anima et corpore composito medium sensibile maxime accommodatum est. Ergo homo, cuius cognitio incipit a sensibus, per miracula, utpote effectus supernaturales et sensibiles, primam ordinis supernaturalis cognitionem modo maxime congruo hauriet. Quod autem rebus maxime congruum est, hoc Deus facere posse censendus est; ergo. 6.

Ex rationibus adductis patet, per miraculum magis etiam divinam perfectionem manifestari, quam per ipsam creationem; splendida enim luce in miraculi operatione tum potentia divina, tum sapientia, tum bonitas, tum etiam supremum Dei dominium atque libertas divina refulgent.

7. *4. Ex eo, quod Deus in specie mortuum resuscitare potest.* — Etenim resuscitationem mortui esse miraculum verum et proprie dictum, nullatenus dubitari potest. Hoc enim primo constat ex consensu generis humani universi, quod in resuscitatione mortui semper evidens divinae omnipotentiae testimonium conspexit. Idem constat secundo ex ipsa adversariorum confessione, cum nihil magis moliantur, quam veritatem historicam resurrectionum removere, quibus veritas religionis christianae aperte demonstratur, dum indolem earum miraculosam permittant. Denique tertio idem ex ipsa rei natura quoque elucet. Etsi enim forte vires creatas vel naturales absolute non excedat corpus emortuum ad animae susceptionem disponere, attamen praesentibus legibus naturalibus vigentibus certe excedit. Atque imprimis nulla creatura animam cum corpore emortuo reipsa unire valet, quia anima humana post mortem i. e. statu viae exacto necessario sub imperio solius Dei est; neque igitur ulla creatura statum viae eiusdem prolongare potest. Itaque absque dubitatione certum est, resuscitationem mortui esse miraculum vere et proprie dictum. Deus autem mortuos pro lubitu suscitare potest; etenim qui organismum creare potest, eundem corruptum restituere quoque valet, vel qui materiam creat, eandem etiam ad animae susceptionem disponere potest; et qui corpus cum anima unit, eadem etiam reunire valet. Ergo Deus miraculum verum et proprie dictum resuscitationis patrare potest. Simili autem ratione ostendi vel explicari potest, Deum cetera quoque miracula patrare posse; ergo.

Scholion.

8. *Obiectiones quaedam reliquae dispelluntur.* — Cum pleraeque difficultates in praecedentibus iam praeclusae sint, paucae restant expresse referendae. Itaque

1. Leges physicae absolute constantes sunt atque immutabiles; ergo neque a Deo derogari ipsis potest. — Antecedens probatur: etenim primo ex ipsis rerum essentiis, necessario fluunt et proinde sicuti hae, ita et illae nulli mutabilitati sunt obnoxiae. Praeterea ordo naturalis ab intellectu divino pendet et procedit; quare iterum leges huius ordinis absolute immutabiles habendae sunt. — *R.* ad primam probationem antecedentis: Leges physicae ex essentiis rerum fluunt, quatenus certis rerum essentiis certae actiones et certae passiones prae aliis in certis adiunctis respondent. At vero haec necessitas non est metaphysica, sicut ipsae essentiae rerum, sed tantum physica: tali autem physicae necessitati Deus nullo modo subiacet, imo eidem dominatur, quod iam ex eo solum manifestum est, quod omnis operatio causarum secundarum a concursu divino et conservatione divina plene pendeat. Neque enim dici potest Deum necessario conservationem et concursum causis secundis exhibere, quia Deus in omni operatione ad extra plena libertate fruitur. — Ad alteram quoque antecedentis probationem facile respondetur. Ordo naturalis a Deo pendet tum quoad conceptionem tum quoad exsecutionem. Quod autem hanc attinet, sicuti ipsum miraculum, non ab intellectu, sed a libera Dei voluntate pendet; quod vero illam attinet, tum ordo physicus tum miraculum eadem ratione ab intellectu divino pendent. Quare dici potest, ordinem naturalem incluso miraculo vi decreti divini iam esse immutabilem, non autem consequitur, ordinem naturalem esse immutabilem antecedenter ad miracula a Deo decreta. Scilicet sicuti voluntas divina intellectu divino praelucente ab aeterno decrevit ordinem naturae secundum certas leges instituere, ita etiam, ut praeter hunc ordinem miracula fiant, quae legibus physicis in certis casibus derogent, ab aeterno decrevit.

2. Admissa miraculi possibilitate scientiae physicae de- 9.
struuntur, quippe quae omni certitudine carerent, si Deus legibus physicis permanenter derogare posset; imo ipsa vita practica impossibilis fere redderetur, utpote quae in constantia legum physicarum et sensuum testimonio maxime innitatur.

B. Obiectio absurde supponit totum ordinem mundanum perturbari et miracula a Deo continuo vel frequenter patratum iri, si ut possibilia admittantur; at vero Deus nec arbitarie nec sine ratione sufficiente operatur, et ideo in particularibus casibus tantum miracula patrat. Praeterea miraculo aliquo non totus ordo naturalis turbatur, sed solum in singulari casu legi physicae derogatur, dum in ceteris servatur, et totus ordo reliquus illaesus persistit. Neque igitur tandem miracula scientiarum physicarum certitudinem pessumdant. Hae videlicet scientiae leges generales inquirunt, secundum quas corpora constanter agunt atque patiuntur, quamdiu a Deo suis viribus relinquuntur. Cum igitur miraculum exceptionem aliquam ab his legibus in particulari casu factam constituat, easdem potius supponit, quam destruit: atque cognitio quoque miraculi cognitionem illarum legum vel aliqualem scientiam physicam supponit. Quare tantum abest, ut miraculum leges physicas scientiasque naturales destruat, ut potius eas supponat atque confirmet. Et certe non magis effectus aliquis vere miraculosus scientiis naturalibus derogat, quam effectus naturalis quidem, sed insolitus et inexpectatus et quoad causas suas incognitus, quales quandoque accidunt; insuper autem effectus miraculosus ad altiorem cognitionem manuducit. Quae quidem hac egregia *S. Thomae* expositione praeclare illustrantur: „Ordo enim inditus rebus a Deo, secundum id est, quod in rebus frequenter accidere solet, non autem ubique, vel secundum id quod est semper, multae enim naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut frequenter non autem ut semper, nam quandoque, licet ut in paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis agentis, vel propter materiae indispositionem, vel propter aliquod fortius agens; sicut cum natura in homine generat digitum sextum. Non autem propter hoc deficit aut mutatur providentiae ordo: nam et hoc ipsum, quod naturalis ordo institutus secundum ea, quae sunt frequenter, quandoque deficiat, providentiae subest divinae. Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest, ut ordo naturalis mutetur ab

(3, quod est frequenter, ad id, quod est raro, absque mutatione providentiae divinae; multo magis divina virtus quandoque aliquid facere potest sine suae providentiae praeiudicio, praeter ordinem naturalibus inditum rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suae virtutis manifestationem facit interdum; nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse praeter naturae ordinem aliquid operatur. Ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit ab eo, et non per necessitatem naturae, sed per liberam voluntatem. Nec debet haec ratio frivola reputari, quod Deus aliquid faciat in natura ad hoc, quod se mentibus humanis manifestet, cum supra ostensum sit, quod omnes creaturae corporales ad naturam intellectualem ordinentur quodammodo sicut in finem. Ipsius autem intellectualis naturae finis est divina cognitio, ut in superioribus est ostensum. Non est ergo mirum, si ad cognitionem de Deo intellectuali naturae praebendam fit aliqua immutatio in substantia corporali" (C. g. l. 3. c. 99).

3. Recentiore tempore imprimis principium conservationis 10.
energiae miraculi possibilitati opponitur; videlicet obiiciunt: In mundo physico eadem semper manet quantitas energiae; atqui per miraculum quantitas energiae mutatur, sive augetur sive minuitur; ergo nullum in mundo physico miraculum fieri potest. — R. Primo principium obiectum certitudine cum atque inter probabilitatis limites restringitur, cum plures scientiarum physicarum peritissimi idem reiiciant. Ceterum *secundo* admissa eiusdem principii certitudine, non maiorem tamen necessitatem habet, quam ceterae naturae leges, i. e. physice tantum, non metaphysice necessarium est; vel non absolute sed hypothetice tantum certum est: certum videlicet sit, energiae quantitatem eandem manere, quamdiu substantiae sensibiles sibimet ipsis relinquuntur; Deus saltem mutationem aliquam inducere potest. Talis autem per miraculi patrationem inducta mutatio minima est, ita ut homo eam dimetiri vel calculo subiicere plane nequeat. Neque dici potest, per derogationem illius principii aequi-

librium virium physicarum perturbari, quia talem pertubationem Deus profecto impedire potest, vel continuo aequilibrium turbatum restituere. *Denique* sunt, qui alia quoque ratione hanc difficultatem expediunt. „Negari potest ullam variationem induci miraculo. Etenim energia est semper eadem, non quidem, uti est actualis, verum uti praescindit a differentiis actualis et potentialis. Energia autem potentialis intelligitur ea, quae in corporibus est reducibilis ad actum, attentis condicionibus, sub quibus corpora in se mutuo agunt. Porro per Dei interventum modo impeditur potentialis energia, ne fiat actualis, modo actualis, ne fiat, potentialis. Profecto uti homo aliquatenus impedire potest, ne energia actualis in potentialem convertatur, aut contra, ne potentialis convertatur in actualem, illud et Deus efficere potest. Itaque miraculum non efficit, ut quantitas energiae iam non sit eadem, siquidem impediendo transitum unius in alteram non mutat summam utriusque" (Lahousse, De vera relig. n. 100). Verum haec responsio minus vera apparet, cum miraculum legi illi conservationis energiae reipsa derogare videatur.

Thesis 27. **Soli Deo competit potestas patrandi miracula absoluta vel proprie dicta; angeli vero miracula relativa improprie dicta efficere possunt.**

Declaratio.

1. *Status quaestionis explicatur.* — Postquam demonstratum est, Deum miracula patrare posse, inquirenda est altera quaestio, num solus Deus an etiam angeli tamquam causae physicae principales solo concursu Dei naturali supposito vera miracula efficere possint. Quae quaestio non est nullius momenti tum, quia ea soluta melius natura veri miraculi elucet, tum etiam, quia inde pendet quadantenus vis probativa eiusdem. Iamvero rata est et fixa S. Thomae, Suarii ceterorumque antiquorum theologorum sententia, solum Deum miracula efficere valere, angelos autem mira quidem

vel miracula relativa, non autem miracula proprie dicta patrare posse. Alii autem, scilicet recentiores quidam, potius contendunt, angelos quoque, non sine speciali Dei permissione quidem, attamen propriis suis viribus tamquam causas principales vera miracula patrare posse. Puros enim spiritus tanta intelligentia et virtute pollere dicunt, ut effectus in mundo sensibili producere queant, qui omnes vires physicas superent et legibus physicis ideo derogent; ceterum verum esse, talibus effectibus ab angelis productis rationem miraculi pleno sensu eo tantum convenire, quod Deo mandante contingant, ideoque angeli in eo procurando causae ministeriales sint, ita ut etiam tale miraculum divinitus fiat. Sunt auctores, quibus discrimen inter utramque sententiam ad nomen potius, quam ad ipsam rem pertinere videatur. Verum immerito; quaestio enim maxime realis est, cum scilicet quaeratur, an angeli effectum producere queant, qui vere sit vel supra vel contra vel praeter naturam. Negative respondendum esse certum videtur. Ut vero quaestio accurate solvatur, aliquibus assertionibus decidetur.

Demonstratio.

Assertio prima: Angeli vera et proprie dicta miracula facere non possunt.

1. Probatur ex Scriptura et Patribus. — Hanc doctrinam 2.
docent SS. Patres eamque ex ipsa s. Scriptura confirmant; ut v. g. ex. Ps. 71, 18: *„Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus“;* et Ps. 135, 4: *„Qui facit mirabilia magna solus.“* Imprimis SS. Patres notant particulam „solus“ positam esse ad excludendam omnem causam creatam, quia vera et propria mirabilia a solo Creatore fieri possint. Sic v. g. hanc particulam explicat *S. Augustinus* declarans illum Ps. 135. Refert quidem illa mirabilia magna ad divina opera, quae in sequentibus narrantur; verumtamen inter ea non solum opera creationis, sed etiam miraculosa et extraordinaria opera providentiae divinae (praesertim a. v. 10.) continentur. — Deinde *Theodoretus* eundem psalmum explicans advertit: „miraculorum editiones, quae a Sanctis

fiunt, divinas esse et ideo regium Vatem iure dicere, solum Deum maximorum miraculorum opificem esse" — Ne vero quis putet, Deum solum facere miracula magna, minor vero miracula ab aliis fieri, ideo declarant in alio Psalmo 71 dici absolute „Qui facit mirabilia solus." Quod explicans *Augustinus* dicit: „Ipse facit mirabilia solus, quoniam quicumque faciunt, ipse in eis operatur." — *Chrysostomus* autem in Ps. 135: „Duo, inquit ponit, quae sunt eximia: et quod facit et quod solus faciat . . . Haec autem dicta sunt, ut inter eum et daemones ostenderetur discrimen et distinctio." — Et Chrysostomum imitati alii existimant particulam „solus" additam esse ad excludenda mirabilia magorum et daemonum, quae vera mirabilia non sunt, quia vel sunt vana et imaginaria vel naturalem causam habent, licet vulgo latentem et occultam. Propria autem mirabilia sunt, quae per naturales causas fieri non possunt. — Huc referunt Patres etiam Ps. 76: *„Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es, Deus, qui facis mirabilia"*, i. e. dici significant, hoc esse proprium Dei magni et veri. Ita hunc locum explicant Augustinus, Theodoretus, Basilius.

3. 2. *Ex consensu theologorum.* — Re enim vera solum Deum miracula, patrare posse tamquam causam efficientem principalem constans et communis est sententia tum scholasticorum medii aevi, tum theologorum saeculi 16. et 17., atque recentiores plerique huic sententiae tamquam certae subscribunt. Conferri possunt *S. Anselmus*, De conceptu Virginis l. 2. c. 11.; *Alexander Halensis*, Summ. th. 2, 42. Membr. 1.; *S. Thomas* plurimis locis.; *Caietanus*, In summ. theol. 1. p. q. 110.; *Bellarminus*, De notis ecclesiae l. 4. c. 14., De Romano Pontifice l. 4. c. 15.; *Suarez*, De angelis c. 29. n. 10. atque alibi; *Gregorius de Valent.* t. 3. d. 1. q. 1. p. 4. et t. 1. de 8. q. 3. *Ferrariensis* v. g. totam veteris scholae mentem referens ait: „Considerandum, ex doctrina divi Thomae De potentia q. 6. a. 3., quod ea, quae fiunt mediantibus actionibus naturalibus, miracula proprie non sunt quia ea dumtaxat vere miracula sunt, quae absque naturalibus actionibus a causa supernaturali fiunt. Unde

licet aliqui mirabiles effectus fiant a substantiis separatis, mediantibus virtutibus corporeis naturalibus, in quae virtus corporea secundum se non potest, sicut in operibus artis aliquos effectus mirabiles fieri videmus per aliqua instrumenta, quos ipsa instrumenta, per se facere non possunt, illi tamen effectus miracula non sunt, eo quod mediante actione virtutis naturalis fiunt" (In s. c. g. l. 3. c. 102). *Suarez* vero haec habet: „Communis doctrina theologorum vera est, et solida ratione subsistit, non solum quoad propriam nominis significationem, sed etiam quoad rem ipsam. Nam imprimis quod in reipsa principaliter intenditur, est solum Deum posse ita supra ordinem naturae operari, ut sufficiens ratio facti sit voluntas facientis, ut de mirabilibus Dei operibus Augustinus dixit, Epist. 3. ad Volusian, et indicat, libr. 6. Genes. ad. litt., cap. 13. Et in hoc sensu verissime et rectissime dicitur. Angelos non posse facere miracula, et ratio facile redditur ex supradictis, quod materia non obedit Angelo ad nutum Item ex eo, quod potentia Angeli finita est. ad facienda autem opera quaecumque ex sola voluntate et potestate facientis requiritur infinita et omnipotens virtus. Item quia Angelus non est principalis auctor alicuius naturae creatae, quia non potest illam ex nihilo condere: ideoque non habet plenum dominium in illam, ut possit illam ad nutum suae voluntatis immutare" (De angel. l. 4. c. 39.). Hisce testimoniis rationes internae quoque innuuntur, quibus praesens assertio ab antiquis theologis fulcitur atque hic quoque iam probanda est.

3. Ex vocis ethymologia. — Quod argumentum secun- 4.
dum s. Thomam (1. p. q. 105. a. 8) hac ratione evolvit *Suarez:* „Nam miraculum ab admiratione dictum est: admiratio autem oritur, quando viso effectu causa est occulta. Duobus autem modis contingit causam esse occultam, scilicet per accidens et per se. Per accidens voco, quando non excedit naturales causas, sed ex defectu et imperfectione videntis effectum et ignorantis causam provenit, ut miretur. Per se autem occultam voco, quae ita excedit naturales causas, ut per se etiam superet naturalem cognitionem in-

tellectus creati. Huiusmodi vero causa propria est solus Deus, praesertim ut operans supra omnes naturae leges, et praeter modum connaturalem effectui producto. Et proptera admiratio proveniens ex priori ignorantia non sufficit ad absolutam rationem miraculi, sed solum secundum quid, vel quoad nos, ut loquitur S. Thomas, dicta quaest. 110. art. 4 . . . De ratione ergo miraculi erit, ut causa effectus sit per se occulta, quia tunc revera opus et admiratione plenum, quod nomen miraculi importat" (ib. c. 29 n. 10).

5. *4. Ex eo, quod miraculum quodvis proprie dictum est vel virtualis vel aequivalens creatio.* — Argumentum est *S. Thomae:* „Omnis creatura in sua actione requirit subiectum aliquod in quod agat; solius autem Dei est ex nihilo aliquid facere, ut supra ostensum est (l. 2. c. 21.). Nihil autem, quod requirit in sua actione subiectum, potest agere nisi illa, ad quae subiectum est in potentia; hoc enim agens in subiectum aliquod operatur, ut educat, illud de potentia in actum. Nulla igitur creatura, sicut nec creare potest, ita nec agere potest in aliqua re nisi quod est in potentia illius rei. Fiunt autem multa miracula divinitus, dum in re aliqua fit divina virtute, quod non est in potentia illius rei; sicut quod mortuus reviviscat, et quod sol retrocedat, et quod duo corpora sint simul. Haec igitur miracula nulla virtute creata fieri possunt" (C. g. l. 3. c. 102).

Ex quo argumento manifeste patet, spiritus puros patrare non posse neque miracula supra naturam, neque contra naturam, neque praeter naturam. Neque vero eosdem miracula efficere posse per subtractionem concursus per se patet, quia hoc tantum ille potest, cuius est concursum creaturis largiri, scilicet Dei solius.

6. *5. Ex limitata angelorum circa mundum sensibilem potentia.* — Nimirum miraculis plerumque positiva aliqua forma in aliquod subiectum inducitur, ad quam non est in naturali potentia. Atqui angeli ne talem formam quidem sua immediata activitate efficere valent, ad quod subiectum aliquod est in naturali potentia, sive forma sit substantialis sive accidentalis. Ergo a fortiori activitate sua efficere non valent

formam, ad quam nulla est in subiecto naturalis potentia proindeque miracula patrare non valent. *Probatur minor.* Etenim *primo* eam sententiam theologi communiter docuerunt, ut refert *Suarez:* „Et eam sententiam communiter amplectuntur theologi, cui valde favet concilium Braccarense I. cap. 8. et definitio, quam ex Concilio Ancyrano refert Gratian in capite Episcopi 26. q. 5. et Leo P. ep. 91" (Disp. metaph. 35. s. 6.). — *Praeterea* angeli neque eminenter continent formas materiales neque similitudinem habent aut proportionem cum eis; atqui unum ex duobus necessario requiritur, ut causa aliqua certum effectum producere possit; ergo. — *Deinde* si maior angelorum perfectio sufficeret, ut formas materiales producere possent, quisque angelus quascumque formas producere posset, quia eadem ratio tunc de omnibus valeret. „Falsitas autem consequentis constat, inquit *Suarez*, l. c., quia tum in naturali ratione, tum in fide nostra esset absurdissimum concedere, posse angelos quascumque res producere et immutare ad nutum suae voluntatis. Quo modo multi intelligunt id ad Hebraeos secundo: ‚*Non enim Angelis subiecit Deus orbem terrae*'. Satis enim illis esset subiectus, si possent in hoc inferiore orbe quascumque res sua voluntate generare aut corrumpere, ut recte argumentatur Victoria." — *Denique* aliae causae naturales ad tales effectus producendos institutae sunt; ergo angelis haec vis non competit. „Subiectum, in quod agitur, ordinem habet et ad agens, quod reducit ipsum de potentia in actum, et ad actum, in quem reducitur. Sicut ergo subiectum aliquod est in potentia ad aliquem determinatum actum et non ad quemlibet, ita non potest reduci de potentia in actum determinatum nisi per agens aliquod determinatum. Requiretur enim agens diversimode ad reducendum in diversum actum" (S. Th. C. g. l. 3. c. 102).

Assertio secunda: Angeli mira facere possunt sive miracula late dicta.

Probatur ex eo, quod intelligentia prae homine multum 7. *praestant et insigni vi locomotiva instructi sunt.* — Utraque haec veritas indubia plane est, quia tum communi theolo-

gorum sententia, tum ex revelatione, tum ex ratione quoque sola certo constat. Utraque autem hac veritate, quae alibi ex professo probatur, hic supposita, assertio posita manifesta est. Etenim quia intelligentia et insigni vi locomotiva prae hominibus praestant, per motum localem et variam virium physicarum applicationem effectus tales in sensibili natura producere possunt, quos homines neque efficere neque penitus perspicere possunt ideoque merito mirantur. Quod praeclare explicat *S. Thomas:* „Considerandum est, inquit, quod, cum res aliquas naturales vel Angeli vel daemones adhibent ad aliquos determinatos effectus, utuntur eis quasi instrumentis quibusdam, sicut medicus utitur ut instrumentis aliquibus herbis ad sanandum. Ex instrumento autem procedit non solum suae virtuti correspondens effectus, sed etiam aliquid ultra propriam virtutem, in quantum agit in virtute principalis agentis; serra enim et securis non possunt facere lectum, nisi in quantum agunt ut motae ab arte et ad talem effectum; nec calor naturalis posset carnem generare, nisi virtute animae vegetabilis, quae utitur ipso quasi quodam instrumento. Conveniens est igitur quod ex ipsis rebus naturalibus proveniant aliqui altiores effectus, ex hoc quod spirituales substantiae eis utuntur quasi instrumentis quibusdam. Sic ergo, licet tales effectus simpliciter miracula dici non possint, quia ex naturalibus causis proveniunt, mirabiles tamen redduntur nobis dupliciter: uno modo, ex hoc, quod per spirituales substantias tales causae modo nobis inconsueto ad proprios effectus apponuntur; unde ingeniosorum artificum opera mira redduntur, cum ab aliis non percipitur qualiter operantur; alio modo, ex hoc quod causae naturales appositae ad effectus aliquos producendos aliquid virtutis sortiuntur ex hoc, quod sunt instrumenta spiritualium substantiarum; et hoc magis accedit ad rationem miraculi" (C. g. l. 3 c. 103). Hinc sane patet angelos plura operari posse, quae admiratione homines percellunt. Itaque ex communi theologorum doctrina:

1.) magnas moles celerrime movere valent ita, ut vel 8.
montes transferre aliaque eius generis stupenda opera patrare possint;

2.) sagaci ratione potentias activas passivis applicando miras elementorum syntheses efficere et stupenda lucis, caloris, electricitatis, magnetismi phaenomena, imbrem, fulgura, tonitrua aliaque similia efficere valent;

3.) applicando celeri et acuta ratione medicamina naturalia mira ratione atque celeritate morbos varios sanare possunt;

4.) corpora humana invadere atque per motum localem aliasque vires in iisdem multa mira atque extraordinaria efficere possunt;

5.) denique in phantasiam et in sensus externos agendo 9
extraordinaria phaenomena producere aliaque mirabilia opera patrare possunt, quae refert *S. Thomas* in S. Th. 1. p. q. 114. a. 4. ad 2.: „Materia corporalis non obedit Angelis bonis seu malis ad nutum, ut daemones sua virtute possint transmutare materiam de forma in formam; sed possunt adhibere quaedam semina, quae in elementis mundi inveniuntur, ad huiusmodi effectus complendos, ut *Augustinus* dicit 3. De Trin. cap. 8. Et ideo dicendum est quod omnes transmutationes corporalium rerum, quae possunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertinent praedicta semina, possunt fieri per operationem daemonum huiusmodi seminibus adhibitis, sicut cum aliquae res transmutantur in serpentes vel ranas. . . . Illae vero transmutationes corporalium rerum quae non possunt virtute naturae fieri, nullo modo operatione daemonum secundum rei veritatem perfici possunt; sicut quod corpus humanum mutetur in corpus bestiale, aut quod corpus hominis mortuum reviviscat. Et si aliquando aliquid tale operatione daemonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum. Quod quidem potest dupliciter contingere: uno modo ab interiori, secundum quod daemon potest mutare phantasiam hominis, et etiam sensus corporeos, ut aliquid videatur aliter quam sit, sicut supra dictum est, qu. 101,

a. 3. et 4., et hoc etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium. Alio modo ab exteriori. Cum enim ipse possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuicumque rei quamcumque formam corpoream, ut in eius specie videatur. Et hoc est quod *Augustinus* dicit 1. De Civ. Dei, cap. 18, quod ‚phantasticum hominis, quod etiam in cogitando sive somniando per rerum innumerabilium genera variatur, velut corporatum in alicuius animalis effigie sensibus apparet alienis' Quod non est sic intelligendum, quod ipsa vis phantastica hominis aut species eius eadem numero corporata alterius sensibus ostendatur; sed quia daemon, qui in phantasia unius hominis format aliquam speciem, ipse etiam potest similem speciem alterius sensibus offerre." Cf. August. De Trinit. l. 3. cc. 7, 8, 9.

10. *Nonnulla hic adnotare expedit, ut accurata rei intelligentia promoveatur vel falsa praecaveatur.* — Et *primo* quidem ex dictis consequitur, cum angeli in physica rerum natura effectus aliquos miros producunt, non magis proprie ordini naturali derogari, quam cum homo corpora localiter movet vel vires naturales ad certos effectus producendos applicat; in utroque enim casu substantiae corporales vel vires physicae ad effectum producendum adhibentur, ad quem sunt in naturali potentia. — *Secundo* cum theologi, ut vel ipse *S. Augustinus* et *S. Thomas,* quandoque dicunt angelos effectus aliquos efficere posse, qui sint supra totum ordinem naturae corporeae, non statuunt per angelos vere legibus physicis derogari posse, sed per ordinem naturae corporeae eam applicationem et illum concursum naturalium causarum intelligunt, qui communiter evenit, cum cursus naturalium agentium ab agente spirituali non immutatur. — *Tertio* spiritus puri sicut omnia creata providentiae divinae et gubernationi sane subditi sunt, quare in hoc mundo physico nequaquam ad libitum omnia ea facere permittuntur, ad quae naturalem potentiam habent; secus ingentem perturbationem efficere atque hominibus vitam impossibilem reddere possent. —. *Quarto* denique si quando spiritus boni vel mali

per organorum mutationes aliquid repraesentent, quod reipsa non existit vel non adest, non ideo iam homines necessario in errorem inducuntur; ex rerum enim adiunctis error intellectualis tum praecaveri tum detegi potest. Ceterum boni angeli errorem hominum non intendunt, mali vero hominem in errorem inducere ipsa s. Scriptura testante conantur.

Assertio tertia: Mira ab angelis bonis patrata recte miracula relativa vocantur.

11. *1. Probatur ex praxi ecclesiae.* — Ut enim ex libris Benedicti XIV. de beatificatione et canonizatione servorum Dei atque ex historia horum processum constat, talia opera mira coram tribunali ecclesiastico tamquam vera signa divina sanctitatis servorum Dei semper admissa sunt atque nunc etiam admittuntur.

2. Ex rei natura. — Nimirum recte talia angelorum bonorum opera miracula vocantur, quia non solum vires humanas et physicas sibi relictas excedunt, sed etiam signi divini rationem reipsa induunt. Cum enim boni angeli voluntatem suam voluntati divinae plane conformatam habeant, nihil agunt, unquam in hoc universo, sensibili, quod divinae voluntati non placeat. Quare falsitati vel iniquitati favere easque hominibus suadere nullo modo possunt. Ergo si mirabilia opera in mundo physico adspectabili exsequuntur, ea ex Dei mandato vel permissione saltem atque ad bonum finem assequendum peragunt; unde, siquidem in favorem religionis cuiusdam talia opera fiant, rationem signi divini ad veritatem eiusdem commonstrandam necessario induunt.

12. *3. Ex eo, quod difficulter saepe constat, sitne opus aliquod miraculum proprie dictum an mirum tantum.* — Quod asseritur, eo magis admittendum est, quod difficulter saepe inter miraculum stricte dictum et mirum tantum discernitur. Sic sane saepe disputari potest, num morbus aliquis fuerit naturaliter sanabilis necne, num curatio prorsus instantanea fuerit necne, et ita porro de pluribus aliis. De his autem certo constare debet, ut cum certitudine de miraculi indole discerni queat. Nisi igitur mira, quae ab angelis bonis pa-

trari possunt et patrantur, in censu miraculorum relativorum admitterentur, ratio signi divini et criterii revelationis perperam nimis restringeretur. — Quod miraculum absolutum et mirum difficulter saepe ab invicem discernantur, hac ratione illustrat *Benedictus XIV.*: „Ponamus agi de magna febri, de inveterata paralysi cum subsecuta subitanea sanatione post invocationem servi Dei; item ad eius invocationem ignem de coelo descendisse . . .; item ponamus agi de conversione unius substantiae in aliam, puta aquae in vinum, de panis e. g. aut hordei multiplicatione. Si haec contingat ad invocationem servi Dei vel beati, miracula sunt altioris generis. Haec autem duplici modo contingere possunt: vel per excessum virtutis totius naturae creatae tum invisibilis et incorporeae; tum visibilis et corporeae; vel per excessum naturae tantum visibilis et corporeae. Per excessum virtutis totius naturae tum invisibilis et incorporeae tum visibilis et corporeae, si sanatio a febri aut a paralysi fiat, frustra obtinentibus pravis naturae humoribus, si aër in ignem convertatur absque dispositionibus iuxta naturae ordinem requisitis, ut explicat *Suarez* (De angelis l. 4. c. 39. n. 11): ‚Unde subita sanitas . . . si fiat per solam efficaciam superioris causae, vel per solum imperium, vel si sanatio tam subita sit, ut causae naturales etiam sufficienter applicatae non sufficiant virtute naturali tam subito materiam disponere, tunc sanitas erit vere miraculosa; idemque dicendum de subita pluvia aliisque similibus operibus'; si nova materia producatur, aut quae iam praeerat, convertatur et addatur rei multiplicandae . . .; si una substantia in aliam mutetur; modus enim hic excedit vires cuiuscumque naturae creatae. . . . Per excessum vero naturae tantum visibilis et corporeae . . . si post invisibilem subtractionem et in alium locum translationem unius substantiae substantia alia invisibili item modo aliunde deportata substituatur: haec omnia quippe vires naturales angeli excedere non videntur" (De beatif. et canoniz. serv. Dei l. 4. p. 1. c. 6. n. 7).

Assertio quarta: Mira a daemonibus patrata neque miracula relativa sunt, sed prodigia vel praestigiae vel falsa signa et falsa miracula vocantur.

Probatur ex fine miraculi. — Etenim daemones quidem, 13.
si vires physicae eorum spectentur, eadem opera efficere valent, ac angeli boni; verum quae patrare possunt vel nonnunquam patrant opera mira, neque miracula relativa quidem vocantur nec vocari possunt. Ratio est, quia essentiale aliquod elementum iisdem deest, quod ad omne miraculum sive absolutum sive relativum requiritur; scilicet rationem signi divini nec habent nec habere possunt. Cum enim angeli mali secundum doctrinam catholicam in malo obstinati sint, operibus suis bonum finem nunquam intendunt, sed aut deceptionem aut seductionem; quare opera mira eorum in hoc mundo patrata, etsi quandoque a Deo negative permittuntur, nunquam tamen positive approbantur. Ex quo manifestum est prorsus repugnare, quominus talia daemonum opera rationem signi divini induant. Quapropter a SS. Patribus prodigia et signa mendacia, praestigiae et falsa miracula vocantur; imo ipse apostolus hac loquendi ratione utitur. Cf. 2. Thess. 2, 9 ss.

Cum his tamen, quae de miris ab angelis malis patratis modo dicta sunt, non repugnat, quod Deus quandoque malos angelos imperio suo cogat, ut opera mira in favorem verae religionis edant; qua ratione v. g. falsus propheta coactus est, ut populo Israel benediceret, et daemones possessorum similiter coacti sunt, ut Christi divinitatem faterentur. Hac autem ratione talia daemonum opera rationem signi divini induere facile sane intelliguntur.

Scholion.

Quaeritur, an creatura aliqua possit esse causa instru- 14.
mentalis miraculi proprie dicti vel absoluti. — *R.* Sicuti creatura nulla potest esse causa instrumentalis physice perficiens vel immediata creationis, ita neque miraculi proprie dicti; quia patratio talis miraculi creationi est aequivalens Rationem, qua creatura rationalis in miraculi operatione

instrumentaliter concurrere possit, optime explicat *S. Thomas*: „Angeli, inquit, supra naturalem potestatem, quam habent agendi, possunt aliquid per donum gratiae, in quantum sunt divinae virtutis ministri. Et potest dici, quod ad miracula facienda angeli tripliciter operantur. Uno modo precibus impetrando; qui modus et hominibus et angelis potest esse communis. Alius modus est secundum quod angeli materiam disponunt sua naturali virtute ad hoc, quod miraculum fiat; sicut dicitur quod in resurrectione colligent pulveres mortuorum qui divina virtute reducentur ad vitam. Sed hic modus proprius est angelorum; nam humani spiritus, cum sint corporibus uniti, in exteroria operari non possunt nisi corpore mediante, ad quod sunt quodammodo naturaliter alligati. Tertius modus est, quod operantur etiam aliquid coagendo, quem quidem modum *Augustinus* sub dubio relinquit in 22. De civit. Dei c. 9 a medio. Sed Gregorius in 2. dial. c. 30. hanc quaestionem determinare videtur, dicens quod sancti homines etiam in carne viventes non solum orando et impetrando, sed etiam potestative, ac per hoc cooperando miracula faciunt; quod probat et ratione et exemplis. Ratione quidem, quia si hominibus data est potestas filios Dei fieri, non est mirum, si ex potestate mira facere possunt. Exemplis autem, quia Petrus Ananiam et Saphiram mentientes morti increpando tradidit, nulla oratione praemissa ut habetur Act., vel Beatus etiam Benedictus, dum ad brachia cuiusdam ligati rustici oculos deflexisset, tanta se celeritate coeperunt illigata brachiis lora dissolvere, ut dissolvi tam concite nulla hominum festinatione potuissent. Unde concludit quod sancti quandoque faciunt miracula orando, quandoque ex potestate. Qualiter autem hoc esse possit considerandum est. Constat autem, quod Deus solo imperio miracula operatur. Videmus autem, quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet angelis, pervenit, ut in legis veteris latione apparet; et per hunc modum, per spiritus angelicos vel humanos, imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per

eas quodammodo naturae praesentetur divinum praeceptum; et sic agant quodammodo spiritus humani vel angelici, ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi perfectionem; non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita vel naturali . . . sed virtus ad cooperandum Deo in miraculis in sanctis intelligi potest ad modum formarum imperfectarum, quae intentiones vocantur, quae non permanent nisi per praesentiam agentis principalis, sicut lumen in aëre et motus in instrumento; et talis virtus potest intelligi donum gratiae gratis datae, quae est gratia virtutum vel curationum; ut sic haec gratia, quae datur ad operandum supernaturaliter, sit similis gratiae prophetiae, quae datur ad supernaturaliter cognoscendum, per quam propheta non potest quandocumque vult prophetare, sed solum cum spiritus prophetiae cor eius tangit, ut Gregorius probat in Homil. 1. super Ezech. Nec est mirum, si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter utitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura utatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, ut in sacramentis patet (De pot. q. 6. a. 4). — Nimirum creaturae rationales ex divina auctoritate imperium deferunt ad subiecta physice miraculose immutanda, atque hac ratione infallibilem designationem, ordinationem, exigentiam ponunt, ut virtute physica divina continuo miraculose immutentur. Qua ratione humanitas Christi imprimis fuit causa instrumentalis miraculorum; etenim naturalem actionem ponebat, scilicet externam actionem, contactum, imperium verbis pronuntiatum, et hac eadem actione operabatur instrumentaliter, quatenus ex divina dispositione tale imperium erat efficax. Christus tamen etiam inquantum homo aliter quam angeli et sancti homines permanenter habebat eam potestatem miracula operandi (cf. de causalitate sacramentorum, Thesis 4. coroll. 2).

15. *Notandum* autem est cum *S. Thoma,* hanc potestatem ministerialem miracula patrandi daemonibus a Deo non communicari. „Ad huiusmodi, quae sunt supra facultatem naturae ipsorum, eis a Deo nulla datur potestas: quia cum

operatio miraculosa sit quoddam divinum testimonium indicativum divinae virtutis et veritatis, si daemonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, quod divinam bonitatem non decet; unde ea tantum interdum opera faciunt, quae miracula hominibus videntur, quando permittuntur a Deo, ad quae eorum naturalis virtus se potest extendere" (ib. a. 5).

Corollarium.

16. *Inter miracula absoluta et relativa analogia simul est ac distinctio, quare in communi definitione non univoce, sed analogice tantum conveniunt.* — De hac assertione facile constat, si definitio examinatur, qua nonnulli miracula tum absoluta tum relativa complectuntur: „Miraculum est effectus sensibilis praeter naturae ordinem a Deo ut a causa principali saltem productus, qui signi divini rationem habet." Nimirum

1. nullum opus angelorum proprie est praeter naturae ordinem, tantum late praeter naturae ordinem dici potest, si quidem per naturae ordinem intelligatur illa cursus naturae, qui obtinet, si causae naturales sibi vel homini relinquuntur. Angelus enim non magis essentialiter vel specifice mutat ordinem naturae quam homo, quia uterque in substantias sensibiles tantum secundum naturalem earum potentiam influxum exercet.

17. 2. Non recte dicitur Deus causa principalis effectuum, quos naturaliter producunt angeli; non enim vi in actu operationis communicata angeli in mundo sensibili operantur, sed secundum vires naturales permanenter insitas effectus miros producunt. Quod vero Deus sit causa moralis, non efficit, ut causa principalis dici possit.

3. Sub ipsa ratione operis miri et signi essentialiter differunt miracula absoluta et relativa; sub ratione operis miri quidem, quia angelorum opera legibus naturae non derogant; sub ratione signi autem, quia miraculum absolutum rationem divini manifestativi immediate, intrinsecus

et per se ideoque in quolibet providentiae ordine habet, miracula autem relativa rationem signi divini induunt per accidens et ab extrinsecus et mediate ideoque secundario, quia in praesenti providentiae ordine non exercentur sine speciali Dei dispositione vel approbatione.

Quare potest quidem utriusque miraculi communis definitio vel communis conceptus statui; sed tali definitione illud non exprimitur quod miraculo absoluto sub ipsa ratione miraculi essentiale et proprium est; qualis v. g. est definitio: effectus sensibilis excedens vires naturales sibi relictas vel ab homine adhibitas divinitus productus. Hinc conceptus miraculi non est univocus relate ad miraculum absolutum et relativum, sed analogus analogia proportionis.

Articulus tertius.

De cognoscibilitate miraculi.

Thesis 28. Indubia certitudine constare potest de veritate historica miraculorum.

Declaratio.

I. 1. *Argumentum huius articuli.* — Ut miracula finem suum primarium, qui in confirmatione religionis revelatae positus est, rite attingere possint, prorsus necessarum est, ut homo de obiectiva eorum veritate certus esse possit. Quapropter *Concilium Vaticanum* non solum possibilitatem miraculorum eorumque vim probandi revelationem, verum eorundem cognoscibilitatem quoque sollemniter definivit (cf. Thes. 25. n. 1). Cognoscibilitas vero miraculorum, quae praerequiritur, ut miracula vim suam revelationis confirmatoriam in hominem exserere possint, tria complectitur: primo certo constare nobis debet de ipsa realitate physica facti, quod ut miraculum proponitur, quae est veritas miraculi historica; secundo certum esse debet, opus reipsa praeter naturae cursum divinitus factum esse, quae est veritas miraculi philosophica; tertio denique manifestum sit oportet,

idem opus reipsa in revelationis confirmationem patratum esse, quae est veritas miraculi relativa vel theologica. Iam in praesenti articulo de cognoscibilitate veritatis miraculi historicae et philosophicae tractandum est; de cognoscibilitate enim veritatis miraculi relativae simul ac de ipsa hac veritate relativa in sequenti articulo tractatur.

2. 2. *Adversarii huius thesis.* — Veritatem historicam miraculi ab absentibus saltem cognosci posse, plures recentiores negarunt; inde concluserunt miracula, quae ad confirmandam religionem christianam proponuntur, cuncta nullius esse momenti, proindeque fidem in revelationem fundamento carere. Imprimis *David Hume* promisit, omnem superstitionem i. e. religionem revelatam argumento a se invento, siquidem sit legitimum, penitus everti. Argumentum vero est eiusmodi: „Facilius est, mille testes errare aut decipere, quam factum legibus naturae repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile et experientiae consonum, secundum vero physice impossibile et experientiae contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt; sic e. g. si unus testetur, mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant, mortuos ad vitam haud redire" (An enquiry concerning human understanding, lect. 10. De miraculis p. 88 ss.).

Demonstratio.

3. 1. *Probatur ex eo, quod miraculum est factum visibile.* — Omnis effectus sensibilis per testimonium humanum aptum referri potest; qui enim hoc negare velit, omnem historiam neget necesse est. Iamvero miraculum est effectus sensibilis: ergo veraciter referri potest. Quod si effectus sensibilis supernaturalis, nullo modo huic possibilitati opponitur; etenim testis non est ferre iudicum de natura vel de causa effectus, sed hunc referre talem, qualis est.

2. *Ex ipsa indole interna miraculi.* — Miraculum enim vel aptius est, ut fideliter referatur, quam effectus sensibiles naturales; cum scilicet sit effectus insolitus et extraordinarius, quia praeter ordinem naturae evenit, magis in-

quisitionem et attentionem excitat quam effectus naturalis, ideoque ex hac parte etiam facilius error vitatur. Nimia vero, quae accidere potest, credulitas aliquorum incredulitate aliorum plene compensatur et corrigitur.

3. Singulos modos transmissionis historicae considerando. — Etenim primo, quod factum coaevum attinet, constare potest de scientia et de veracitate testium. — Secundo si factum est praeteritum et per traditionem oralem propagatur, constare potest, num factum fuerit publicum et illustre, num traditio ipsa perpetua, constans sit aliasque proprietates habeat, quibus veritas eiusdem probatur. — Tertio, si est praeteritum et scripto transmissum, sufficit, ut constet de authentia, integritate libri et de auctoritate auctoris; iam vero de his omnibus profecto constare potest, nisi omnis certitudo historica negetur; ergo. 4.

Scholion.

Duplex obiectio solvitur. — 1. Obiectio, quae ab *Hume* facta supra relata est et ex praestantia certitudinis physicae prae morali deducitur, multiplici confusione innititur; etenim — *R.* a) Falso asserit Hume, sola experientia vel assuetudine nobis constare homines in certis saltem adiunctis vera loqui. Nam ut in Noëtica demonstrari solet, ex humana indole, testium multitudine, testimoniorum consensu concludi saepe certo potest, testes verum referre potuisse et voluisse ita, ut error omnis excludatur. Neque sola assuetudine, sed ex ipsa rerum physicarum natura quoque discimus, eas sibimet ipsis permissas eodem semper modo agere. 5.

b) Nullo modo sibi opponuntur experientia de constantia legum physicarum et testimonium humanum de alicuius miraculi patratione. Experientia enim non docet, nunquam intervenire posse vel reipsa intervenire causam altiorem, quae cursui naturae consueto deroget. Testimonium vero humanum docet, aliquando legibus physicis reipsa per interventum altioris causae derogatum esse. 6.

c) Certitudo physica est aut absoluta aut hypothetica; si est hypothetica, tantum ea constat leges physicas servari,

quamdiu causa prima non interveniat; si est absoluta, in singulis casibus tunc tantum habetur, cum constat, nullam exceptionem a lege physica factam esse vel fieri potuisse. Certitudo moralis autem de miraculo facto circa exceptionem aliquam versatur, circa cuius oppositum nullo modo certitudo physica absoluta habetur. Nulla igitur inter utramque certitudinem relate ad miraculum pugna intercedit. Imo de ipso miraculo aliquo facto quandoque certitudo physica haberi potest, ab iis scilicet, qui praesentes propriis suis sensibus ipsum perceperunt.

7. 2. Alii recentiores Rationalistae obiiciunt, miracula a posteris saltem certo cognosci non posse, quia temporis successu certitudo necessario magis magisque imminuatur atque sensim in meram probabilitatem abeat: atque hinc concludunt, frustra ad probandam revelationem ea v. g. miracula adferri, quae ipse Christus necnon Apostoli patraverunt. — *R.* Primo hac obiectione omnis certitudo historica e medio tollitur; quod enim de miraculo sub respectu relationis historicae valet, idem de omni facto historico valere debet. Deinde etsi testes immediati magis nos afficiant atque ad assensum moveant, attamen testes mediati quoque sub certis conditionibus veram certitudinem praebent.

Thesis 29. Certo constare potest de veritate miraculorum philosophica.

Declaratio.

1. 1. *Diversae de cognoscibilitate philosophicae miraculorum veritatis sententiae.* — Cognoscibilitatem hanc necessario negant imprimis materialistae, naturalistae, positivistae, rationalistae, quippe qui omnia, quae circumferantur, miracula per vires naturales ut magnetismum, electricitatem explicari posse contendunt. Traditionalistae deinde rigidiores omnem de veritate miraculorum philosophica certidudinem in ipsa fide inniti absurde opinantur, ideoque intellectum humanum sibi relictum neque hac in re ad certitudinem pervenire posse ponunt. Contra hos errores tamquam catholica

tenenda est doctrina, de veritate philosophica miraculorum certo constare posse ita, ut ab omnibus aliis eventibus clare discernantur.

2. *Divisio argumenti.* — Ut praesens argumentum distincte explicetur, in triplicem quaestionem dividitur: Primo quaeritur, an cognosci possit miraculum proprie dictum vel an aliquem effectum omnes vires creatas simpliciter excedere certo constare possit; secundo num cognosci possit mirum, vel num certo constare possit effectum aliquem excedere omnes vires naturales sibi relictas sive ab homine adhibitas; tertio num mirum divinum vel angelicum sive miraculum relativum a miro daemoniaco vel prodigio certo discerni valeat. Cui triplici quaestioni per triplicem assertionem respondetur. 2.

Demonstratio.

Generali argumento thesis secundum triplicem suam assertionem demonstratur a priori considerando Dei providentiam atque supremum dominium. — Nimirum divinae providentiae sane est, ea media in homine edocendo atque gubernando adhibere quae eidem accomodata sunt. Miraculum autem sive absolutum sive relativum interna sua indole signum divinum est, quo homini a Deo aliquid notificatur. Iamvero sub hac signi ratione miraculum ineptum esset atque naturae hominis rationalis repugnaret, nisi ut effectus supernaturalis vel praeternaturalis certo cognosci posset. Ergo ipsa divina providentia exigit, ut miracula, quae fieri possunt et reipsa fiunt, ab homine etiam ut talia cognoscantur. Neque sane impossibile vel difficile Deo, supremo omnium domino, esse potest, ut hominem in talem cognitionem ducat; quod enim quilibet magister praestat, hoc Deus a fortiori sive naturaliter sive supernaturaliter efficere potest, scilicet hominem instruere de re aliqua in se cognoscibili. 3.

Assertio prima: Certo constare potest, effectum aliquem sensibilem esse miraculum absolutum sive stricte dictum.

Concedendum quidem est, quandoque difficile satis esse discernere miraculum absolutum a miraculo relativo vel pro- 4.

digio daemoniaco; attamen anqui saltem effectus assignari possunt, qui sine omni dubio omnes vires creatas excedere dicendi sunt. Itaque non asseritur, miraculum absolutum quodlibet tamquam tale ab homine cognosci posse; sufficit, si quandoque absque prudenti dubitatione cognoscatur. Sine prudenti inquam dubitatione, quia generatim in rebus fidei et religionis certitudo absoluta non requiritur, séd sufficit moralis. Iam probatur assertio.

5. *Ex ipsa interna indole miraculorum absolutorum.* — Etenim de veritate philosophica miraculi absoluti certo constat, si effectus talis est, ut vires naturales sibi relictas vel a causa creata adhibitas excedere cognoscatur; atqui plures effectus certo cognoscuntur excedere omnes vires creatas, quia vel in nullo subiecto vel non in tali subiecto vel non tali modo a creatura produci possunt; ergo reipsa de veritate philosophica miraculi absoluti constare potest. Minor argumenti facile probatur; scilicet ad illam cognitionem non opus est praecognoscere naturam physicam universam vel omnes eius vires et leges in specie sive positive; sed sufficit dignoscere, quae vires in speciali casu applicatae, quae leges observandae fuerint; imo sufficit in genere considerare omnes vires physicas et creatas universim esse finitas, quod est cognoscere omnes negative. Verum veritas minoris argumenti elucet etiam, si singulae classes miraculorum absolutorum considerentur. Itaque

6. 1. constare potest, aliquem effectum ex natura sua talem esse, qui in nullo subiecto a creatura ulla produci possit. Talis v. g. effectus est gloriosus corporis humani status, transfiguratio Christi Domini, compenetratio corporum, multilocatio corporum aliaque eiusmodi; ad effectus enim illos in nulla unquam substantia corporali invenitur potentia naturalis, quare aequivalenti creatione producuntur, quae est actio soli Deo propria.

2. Constare etiam potest, effectum aliquem, quamvis in se spectatus vires creatas non excedat in certo subiecto tamen a nulla creatura produci posse, quia in subiecto contraria dispositio est proindeque nulla naturalis potentia ad

talem effectum. Hinc enim est, quod talis etiam effectus productio creatio sit aequivalens. Talis effectus est v. g. resuscitatio mortui, restitutio visus in coeco nato, cui ipsa potentia vel organum visus deest, restitutio alius organi vel membri amputati aliaque similia.

3. Denique non raro constare potest, aliquem effectum, 7.
qui per se etiam in tali subiecto per causas creatas produci potest, eo tamen modo esse productum, quo nulla creatura eum producere valet; scilicet talis quoque productio creationi aequivalet. Huc pertinet primo productio instantanea alicuius effectus sensibilis ut v. g. instantanea morbi in se sanabilis sanatio, quia quaevis operatio talis sensibilis naturalis, cum per alterationem qualitatum fiat, durationem aliquam temporalem exigit. Deinde huc pertinet omnis operatio, quae, si creaturae adscriberetur, actionem in distans inferret. Sic v. g. nulla creatura solo voluntatis imperio extrinsecus etiam expresso aegrotos distantes sanare potest. Tertio denique effectus huc pertinent, quia ita producuntur, ut media a causa ministeriali adhibita manifesto perspiciantur esse tali effectui producendo prorsus improportionata. Ita v. g. solum imperium voluntatis vel verba vel umbra hominis transeuntis vel lutum illitum coecis visum, surdis auditum, mutis loquelam reddere vel a lepra sive quacunque infirmitate sanare profecto non valent.

Assertio secunda: Mirum quoque ab effectu naturali discerni potest.

Probatur ex ipsa talis effectus natura. — Mirum enim, 8.
ut supra dictum est, effectum exhibet, quem vires physicae sibi relictae vel ab homine tantum applicatae producere non valent. Iamvero causae physicae sibi relictae vel ab homine aptitudine, quia determinatis certisque legibus reguntur, eodem semper modo necessario agunt; eo ipso igitur, quod aliquando in certis adiunctis effectus aliquis producitur insolitus et diversus ab iis, qui in iisdem adiunctis alias producitur, constat causam praetermundanam in tali eventu concurrere. Neque enim in tali casu ad vires occultas recurri potest, quia in iisdem prorsus circumstantiis

eaedem plane vigent leges atque eaedem vires agunt. Itaque si ad solam praesentiam thaumaturgi, nullo medio naturali adhibito, ad solas preces eiusdem v. g. mons transferatur vel corpus in aëre suspendatur vel morbus sanabilis consueta et naturali ratione celerius sanetur vel denique operatio spectato thaumaturgo in distans fiat, nulla sane potest esse dubitatio, tale opus vires physicas sibi relictas vel ab homine adhibitas excedere. Simul vero eiusmodi opera intelliguntur vim infinitam non expostulare; ergo.

Assertio tertia: Utrum mirum sive effectus praeternaturalis originem habeat divinam an daemoniacam, ex adiunctis eiusdem discerni valet.

9. Cum potestas daemonum physica eadem sit ac angelorum bonorum, ex ipsa operum natura interna discerni non valet, utrum a malo daemone an potius ab angelo bono vel divinitus patrata sint. Nihil igitur restat, nisi ut talia opera ex adiunctis iisdem magis externis ab invicem discernantur. Haec vero adiuncta externa ad miraculum quoque absolutum a fraude humana vel prodigio daemoniaco discernendum multum valent, quare cum agitur de miraculo sive absoluto sive relativo probando, sedulo semper consideranda sunt.

10. *1. Probatur a priori, modum necessario exstare, quo homo mirum daemoniacum a miraculo relativo discernere valeat.* — Nimirum ratio huius cognoscibilitatis ex ipsa divina providentia petitur. Deus enim, qui infinita sua bonitate, sapientia et potentia res omnes atque imprimis hominem gubernat atque ad finem suum dirigit, profecto permittere nequit, ut homini, etsi prudenter et caute se gerat, nihilominus tamen in rebus gravissimis a daemone illudatur. Iamvero si nullus modus exstaret, quo miraculum relativum a prodigio daemoniaco discerni valeret, necessario dicendum esset, Deum permittere, ut homo etiam caute et prudenter procedens a daemone nihilominus in rebus gravissimis necessario decipiatur, quia malus daemon sibi permissus nunquam nisi in pravum finem operatur. Imo physica certitudo fere omnis periret atque plura hominum erga invicem officia impossibilia

redderentur. „Pertinet ad providentiam Dei, inquit *Suarez*, dari auxilium ac modum, quo possint diiudicari et cognosci, quia non est divinae bonitatis et sapientiae, ut permittat hominem tentari ultra id, quod potest“ (De myst. vitae Christi disp. 31. s. 2. n. 8).

11. *2. Probatur a posteriori vel ostenditur ex operis adiunctis discretionem illam fieri posse.* — Et tria quidem imprimis hic consideranda sunt: ipse operans vel thaumaturgus, finis operantis et operis, modus operandi. Itaque

a) Primo consideretur operans: si sit homo sincerus ac cuiusvis fallaciae et fraudulentiae expers; si sit alienus ab ambitione et propriae gloriae cupiditate, et in iis, quae ad Dei gloriam vergant, totus versetur; si nihil in eo, quod operatur, inveniatur, quod Deo dignum non sit; si universa vitae eius institutio comparata ita sit, ut nulli vituperio causam praebeat vel iudicio ipsum Dei legatum esse non posse; si e contra omnia, quae ipsum attinent, cordatos etiam et sapientes viros ad dignitatem legati divini in eo agnoscendam multum inclinent; si talis sit praeterea, ut omnium admirationem et venerationem rapiat e miracula patret non solum splendida, sed primi ordinis et innumera, adeo ut tota natura eius imperio subiecta esse videatur; si haec, inquam, omnia praesertim in aliquo inveniantur, nulla prudens iam esse potest dubitatio, quin talis homo sit Dei legatus et quin in operibus, quae patrat, Deus vel immediate vel mediate interveniat. Econtra si homo, qui mira operatur, sit vitiis irretitus, si animum fraudulentum gerat, verbo, si quae modo enumerata sunt, plane in eo desiderentur, praesumptio gignitur fraudis humanae vel prodigii daemoniaci.

12. *b) Secundo* considerandus est finis operantis. Si nimirum illud, in cuius favorem mirum opus editur, sanctitatem et veritatem spiret; si cum iis, quae iam aliunde vel ex ratione vel ex revelatione cognita sunt, amice concordet; si totum ad gloriam Dei et animarum salutem referatur ac humano generi innumeros fructus conciliet eo, quod foecundum sit sanctitatis veraeque felicitatis, omnis dubitandi causa subtracta est, quin merito originis divinae mira illa opera re-

putentur. Econtra vero, si illud, in cuius favorem opus mirum editur, cum bonis moribus pugnet, si certis rationis principiis vel veritatibus iam ex revelatione cognitis adversetur, si vitia generet atque malam effraenatamque vitam promoveat, ad fraudem humanam vel originem daemoniacam concludi debet.

13. *c) Tertio* denique considerari quoque debet modus operandi. Si videlicet modus, quo thaumaturgus opera mira patrat, honestatem, gravitatem, reverentiam erga Deum, caritatem erga Deum et proximum aliasque virtutes redoleat, neque singularitatem neque superstitionem sapiat, divina origo operum mirorum suadetur et connotatur; econtra autem, si modus operandi levitatem, arrogantiam, singularitatem, superstitionem sapiat, vel fraus humana vel origo daemoniaca portenditur.

Atque haec criteria iam *S. Thomas* quoque eadem fere ratione exposuit: „Signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quae a malis fiunt, tripliciter ad minus Primo ex efficacia virtutis operantis: quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quae virtus activa naturae se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos et huiusmodi, quae daemones secundum veritatem facere non possunt, sed in praestigiis tantum, quae diu durare non possunt. Secundo ex utilitate signorum: quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et huiusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volant in aëre vel reddunt membra hominum stupida et huiusmodi. Tertia differentia est quantum ad finem: quia signa bonorum ordinantur ad aedificationem fidei et bonorum morum; sed signa malorum sunt in manifestum nocumentum fidei et honestatis. Et quantum ad modum differunt: quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter; sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris, et huiusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifesto possunt discerni ab his, quae virtute daemonum fiunt“ (in 2. Sent. dist. 7. q. 3. a. 1. ad 2).

Suarez vero criteria fere cuncta, quibus falsa prodigia 14.
vel fraudes a veris miraculis sive absolutis sive relativis discernantur, ita complectitur: „In his ergo operibus primum consideranda est diuturnitas effectus et perseverantia, quae est magnum indicium veritatis; nam quae ficte tantum fiunt, subito evanescunt; ita et mors Lazari per quatuor dies probata est, quod erat vera, et postea vita illi restituta per multa tempora. Deinde accedunt effectus, per quos talis veritas manifestatur; quales maxime esse solent actiones vitae, ut videre in coeco ex nativitate. Tertio consideratur multitudo et frequentia talium effectuum cum omnibus signis et indiciis veritatis, quae esse solent in omnibus rebus, quas prae manibus gerimus; qua enim maiori evidentia constare potest aliquod vinum esse verum vinum, quam fuerit illud, in quod Dominus aquam convertit? Unde consideratur etiam quarto multiplex modus mirabilis operandi talia signa, per imperium, per orationem ad Deum, adiungendo etiam aliud opus proprium Dei, ut manifestationem cogitationum cordis, quod saepe Christus faciebat. Praeterea considerandus est finis talium operum, quia nihil temporale vel humanum nihilve pravum per illa intendebatur, sed potius rectitudo et honestas morum, et veri Dei cognitio, et ipsius daemonis expugnatio“ (De fide disp. 4. s. 3. n. 9).

Schollon.

Obiectiones quaedam expediuntur. — Cum pleraeque 15.
difficultates ex dictis facile solvantur, aliquas tantum speciminis causa hic in specie referre expedit. Itaque:

1. Imprimis illud urget, ab hominibus non cognosci omnes leges naturae ideoque probabiliter omnia miracula secundum leges quasdam occultas fieri; quae leges si quando ab hominibus inveniantur, futurum quoque esse, ut omnia, quae nunc miracula habentur, facile ut eventus prorsus naturales explicentur. — *R.* Primo historice de effectibus miraculosis certo constat, qui omnes vires creatas plane excedunt; quare repugnat, quominus sit ulla lex naturae, secundum quam naturaliter a causa creata produci possint.

Quod quidem, ut supra dictum est, tum philosophice stabilitur, tum consensu generis humani comprobatur. Secundo ad discernendum miraculum ab effectu naturali sufficit perspicere causas praesentes et applicatas esse effectui producto impares; tum enim vi principii causalitatis necessario ad causam praeternaturalem concluditur. Iamvero nulla sane proportio est inter lutum applicatum et visum restitutum, inter umbram, quae in aliquem hominem aegrotum cecidit, et morbum eiusdem sanatum, inter imperium ore prolatum et sedatam tempestatem. Tertio certissimum saepe est, thaumaturgum non occultis naturae viribus uti, quia minus naturali scientia praeditus est, quam multi alii; cur itaque adversarii scientiarum naturalium periti illas vires occultas non adhibeant, cur eaedem hae vires ad imperium thaumaturgi tantum operentur? Ceterum istae vires occultae sane finitae sunt proindeque ad effectum aliquem, qui est aequivalenter creatio, non sufficiunt.

16. *2. Obiiciunt, progressui, quem recentiore tempore scientiae naturales fecerunt, id tribuendum esse, ut multa, quae olim supernaturalia censebantur, nunc iam effectus naturales esse intelliyantur. Ergo eadem ratione, quae nunc supernaturalia vel miracula existimentur, futuro tempore naturaliter explicatum iri sperari potest. — R.* Primo: Fieri potuit, ut aliquando thaumaturgus aliquis per ministerium angelorum effectum aliquem mirum produxerit secundum leges naturales eo tempore nondum notas, postea autem inventas. Talis vero effectus tunc praecise fuisset miraculum relativum, quia excessisset vires naturales sibi relictas vel ab homine adhibitas. Praeterea vero, quicunque futurus est progressus scientiarum naturalium, numquam vires invenientur, quae nec existunt, nec existere possunt, quia repugnat, quominus vis finita ad aequivalentem creationem valeat: neque unquam leges naturales invenientur, quae legibus iam notis adversentur vel eas destruant.

17. *3. Contra discernibilitatem miraculi relativi a prodigio daemoniaco hac ratione procedi potest:* Ex operante, ex modo et fine operationis demonstrare, mirum esse signum divinum

idem est, atque assumere sanctitatem thaumaturgi vel veritatem doctrinae ab ipso traditae ad miraculum comprobandum; ex altera autem parte mirum assumitur ad veritatem doctrinae et hominis sanctitatem comprobandam. Iamvero hoc modo evidenter circulus vitiosus committitur; ergo. — *R.* Ea ratione, qua procedimus, mirum et sanctitas thaumaturgi vel veritas doctrinae in tali processu non sub eodem, sed sub alio et alio respectu sumuntur; quare circulus vitiosus omnis plane vitatur: Etenim primo, si de miraculo agitur ut signo revelationis alicuius doctrinae, tunc sane indoles divina talis operis miri partialiter ex eo discerni potest, quod doctrina, in cuius confirmationem editur, pura est atque sancta necnon rationis principiis consentanea; ex miraculo vero ita cognito dein non doctrinam esse puram, rationis principiis consentaneam, sed potius eam esse revelatam et proinde adaequate i. e. quoad mysteria quoque plane veram concluditur. Deinde si miraculum patratur ad probandam alicuius servi Dei sanctitatem, miraculum iterum partialiter eo discernitur, quod vita thaumaturgi principiis rationis fuerit consentanea et simpliciter bona; ex miraculo vero dein probatur, vitam thaumaturgi non solum vitiis caruisse, sed eximie et supernaturaliter sanctam fuisse.

18. *4. Denique restat difficultas, quam multi ex magnetismi et spiritismi phaenomenis petunt.* - Videlicet aliis ex eo, quod effectus quidam magnetismi animalis, quamvis naturaliter producantur, miraculis sint valde similes, miracula omnia naturaliter explicanda esse vel saltem ab effectibus naturalibus certo distingui non posse concludunt. Alii vero ex Spiritismi praesertim phaenomenis demonstrare nituntur, inter miracula et mira saltem certo discerni non posse. — *R.* Quod imprimis magnetismi phaenomena attinet, ea naturaliter a viribus physicis produci concedendum esse omnino videtur; simul vero fatendum est, eadem a veris miraculis satis facile discerni. Si vero circa quaedam magnetismi phaenomena difficultas aliqua restet, iis expeditur, quae iam de Spiritismi phaenomenis notanda sunt, scil.: *Primo* plurima, quae referuntur, facta ad Spiritismum pertinentia, historica

veritate carent atque fraudibus humanis originem suam debent. *Secundo* vero ea facta, de quibus historice constat, a miraculis absolutis plane discrepant; nullum enim exstat spiritismi phaenomenon, quod vires creatas prorsus excedat. Nullibi scilicet unquam in spiritistarum conciliabulis mortui suscitantur, nullibi membrum abscissum restituitur, nullibi morbi quilibet instantanee sanantur; et si forte aliquando morbus sit sanatus, certo non fuit morbus organicus, sed psychicus vel nervorum vel hystericus. Modus quoque, quo spiritismi phaenomena producuntur, multiplicem causarum naturalium influxum arguit atque ostendit, ea, secus ac miracula evangelica, solo voluntatis imperio non produci. Quare aut effectus naturales aut ad summum mira reputari debent. Probabiliter vero omnia spiritismi phaenomena naturalibus causis originem suam debent. *Tertio* denique, si quaedam phaenomena omni explicationi naturali repugnent proindeque tamquam effectus praeternaturales reputandi sint, ex adiunctis tamquam praestigiae daemoniacae indubie cognoscuntur. Etenim phaenomena illa levi curiositati pascendae atque errorum propagationi inserviunt; praeterea evocatores illi spirituum fiduciam nullam inspirare possunt, cum saepe sint homines irreligiosi et moribus suspecti; deinde non orationis nec virtutis vel pietatis nec fiduciae in Deum subsidio phaenomena illa excitantur, sed certis regulis, formulis, caeremoniis ineptis adhibitis producuntur. Tandem pravi effectus ex iisdem phaenomenis plerumque consequuntur, ut frivolae levitates, turpes actiones atque consuetudines, vani timores, falsae doctrinae, dissidia, inimicitiae aliaque vitia. Haec vero omnia, siquidem phaenomena illa sint effectus praeternaturales, daemoniacam eorum originem evidenter arguunt. Conferri possunt de hac quaestione *Wieser,* Spiritismus; *Bonniot,* Wunder und Scheinwunder; *Wilhelm Schneider,* Der neuere Geisterglaube, 3a. ed. a J. Walter; *Gutberlet,* Spiritismus, et Der Kampf um die Seele, 8. Vortrag.

Articulus quartus.

De miraculis, ut sunt criterium divinae revelationis.

Thesis 30. Miracula ad divinam alicuius doctrinae religiosae originem confirmandam patrata, sine dubitatione rationem divini testimonii habent, quo reipsa divina illius doctrinae origo asseritur.

Declaratio.

Status quaestionis definitur. — Divinam doctrinae reli- 1.
giosae originem vel revelationem certissime manifestari quocunque miraculo, quod reipsa rationem divini de hac origine testimonii habet, evidens sane est, cum Deo levissimum etiam mendacium plane repugnet. Quaeritur autem, num miraculum in confirmationem divinae doctrinae religiosae originis propositum, reipsa rationem divini testimonii induat; hoc enim minus evidenter apparet. Etenim inter locutionem divinam et humanam hoc proprie interest, quod auctor humanae locutionis aut evidenter cognoscitur aut saltem cognosci plerumque potest, dum de eius auctoritate minus constare solet; e contrario divinae locutionis auctor non conspicitur nec universim evidenter cognoscitur, dum tamen de eius auctoritate nullo modo ambigi possit. Inde est, quod testis humanus imprimis auctoritatem suam probare debeat; quod autem Dei testimonium attinet, probandum est imprimis hoc testimonium reipsa pro aliqua veritate exhiberi; qua re probata veritas extra dubitationem posita est. Itaque in concreto quaestio ita habet; „Homo, qui se legatum Dei esse declarat, doctrinam religiosam proponit eamque divinitus revelatam esse affirmat: ut vero aliis hoc persuadeat, Deum in confirmationem suae assertionis miraculum esse patraturum affirmat; iam revera Deus miraculum operetur; et tunc quaeritur, an miraculum in his adiunctis patratum ipsius Dei testimonium habendum sit, quo illius doctrinae origo divina confirmetur. Quae est ipsa quaestio de veritate miraculorum relativa vel theologica eiusque cognoscibilitate.

2. Iam Durandus (Prol. in sent. q. 1. n. 47.) aliique nonnulli putaverunt, Deum posse permittere ut miraculo ab ipso ad alios fines patrato homo, cui Deus hoc miraculum antea revelasset, ad errorem aliquem persuadendum abutatur. Cum enim miraculorum donum malis quoque conferri possit, sequi videtur, huiusmodi miraculi abusum possibilem esse. Alii vero eandem fere difficultatem urgentes dicunt, Deum miraculorum gratiam alicui conferre posse, etsi praevideat, eum hac gratia ad avaritiam vel alios pravos fines abusurum esse; ergo a pari Deum eandem gratiam largiri posse, etsi homo eadem ad falsam doctrinam confirmandam abusurus esse praevideatur.

Iamvero contra hos auctores tenenda est doctrina catholica omnino certa et ab ipso *Concilio Vaticano* proposita (const. 3. de fide cap. 3), miracula simul cum prophetiis esse „divinae revelationis signa certissima et omnium intelligentiae accommodata." Ut vero haec doctrina sine ambagibus demonstretur, eam sic determinare expedit, ut in concreto miraculum divinae revelationis certissimum signum sit, dummodo duplex condicio verificetur. Prima est, ut homo vel explicite vel implicite ad idem provocet; altera vero est, ut nulla sit ratio solida suspicandi, Deum in illis adiunctis ad alium finem miraculum operari.

Demonstratio philosophica.

3. *1. Probatur ex populorum persuasione.* — Etenim semper et ubique ut divinam eam religionem habebant, in cuius confirmationem miracula patrata exhibebantur. Ipsi etiam falsarum religionum auctores, quamvis nonnulli eorum, ut Mahometes, Zoroaster et Buddha miracula patrare recusarent, effectus quosdam supernaturales iactabant, qui miraculorum locum tenerent. Mahometes Alcoranum, quo islamismi summa continetur, miraculum maximum esse dicebat. Zoroaster vero interrogatus, quibus signis missionem suam divinam demonstraret, respondit Zendavestam eodem titulo omnium miraculorum instar esse. Buddha discipulorum suorum modestia, qua bonas suas actiones occultarent, pec-

cata vero aperta redderent, miracula suppleri dicebat. Non tamen eiusmodi miraculorum vicaria facta ipsorum asseclis sufficiebant, cum magistris suis miracula plurima tribuerint (cfr. *Max Müller*, Einleitung in die Religionswissenschaft). Erat profecto sensus naturae humanae, qui illa ratione agendi manifestatus est.

Imo hic naturae sensus ipsorum incredulorum agendi 4.
ratione se prodit. Cur enim secus tanta opera demonstrare conantur miracula aut fieri aut cognosci non posse, vel nulla saltem facta esse? Scilicet ea solum ex causa, quia percipiunt miraculorum, quae in favorem religionis christianae patrata sint, historicam veritatem concedi non posse, quin divinitus revelatam esse hanc religionem manifesto concedendum sit. Refert *Petrus Baylius* in Dict. hist. et crit. t. 4. art. Spinoza illud huius philosophi dictum: „Dicebat, quod si sibi persuadere potuisset Lazarum resurrexisse, totum suum systema abiecisset, et sine difficultate fidem ordinariam christianorum amplexus fuisset."

2. Ex necessitate alicuius criterii adaequati et indubii. — 5.
Si Deus miracula dicta ratione patrando non testaretur se auctorem illius religionis, in cuius favorem fiunt, vix ullo modo id apte posset; atqui hoc est absurdum. — *Minor* est manifesta, quia Deo facultas homines edocendi absurde denegaretur. — Probatur *maior: Imprimis* miraculum est aptissimum in ratione criterii, nemo enim ignotus se melius ut illum, quem se esse affirmat, testari potest, nisi exhibendo signa, quae ipsi sunt propria; atqui miracula signa sunt soli Deo propria; ergo miracula exhibita Deum manifestant ut auctorem doctrinae, in cuius confirmationem patrantur. Et profecto regis legatus peregrinus vel ignotus a rege mandata deferens et attestationi scriptae sigillo, quod nonnisi rex potuit imprimere, fidem faciens, certo ut regis legatus agnoscitur, quamdiu non occurrunt aliunde graves rationes suspicandi, sigillum falsificatum esse. Ergo simili modo legatus divinus agnoscendus ille est, qui miraculo, sigillo divino, suam missionem confirmat, dum nulla apparet ratio suspicandi miraculum ad alium finem esse a Deo patratum. —

Deinde vero alia criteria considerentur: et miraculo sepósito ea vix sufficere facile perspicietur. De criteriis internis iam supra dictum est. Sed neque prophetiae neque miracula moralia, ut fructus religionis, mira eius propragatio etc., plane sufficiunt. Etenim criterium requiritur, quod semper et ubique et pro omnibus medium sit, quo Deus hominem certiorem reddere possit, atque tunc etiam, cum doctrina proponitur. Iam vero ad hunc finem prophetia non inservit, antequam est impleta, nec fructus religionis vel propagatio eiusdem, antequam de ipsis historice constet, quod tantum aliquo tempore exacto fieri potest.

6. *3. Ex Dei sanctitate.* — Deus quidem non obstante sua sanctitate errorem aliquem permittere potest, non autem potest profecto errorem hominum necessarium et generalem intendere in rebus ad ipsius cultum, hominum mores et eorem salutem pertinentibus; imo in eiusmodi rebus neque permittere potest, ut homines physice necessario in errorem incidant; atqui haec profecto obtinerent, si Deus homini ad religionem falsam spargendam donum miraculorum concederet, vel hoc dono ad alios fines concesso eum abuti permitteret, dum homines dignoscere non possent, illud donum ad alium finem esse concessum. Deus enim nullo modo manifestius, quam ad hominis nutum miracula patrando, eundem legatum suum testari potest, quia hac ratione potentiam suam quasi et illud insigne donat, quo ipse se hominibus manifestat. Nam sicuti ille, qui regis sigillo uti permittur, pro regis ministro habendus est, ita et ille Dei minister credendus est, cui miraculorum donum concessum est. Imo multo magis; nam dum contra illum, qui regis sigillo utitur, suspicio moveri potest, quod sigillum forte furatus sit vel eo abutatur inscio rege, neutra moveri potest contra illum, qui miracula operatur, cum Deus sit omniscius, omnipotens, et miraculum ipse actu operetur.

7. *4. Ex ratione signi, quae miraculo competit.* — Ut miraculum ad Dei invocationem patratum induat rationem testimonii divini et vim probandi habeat, sufficiunt et requiruntur duo: primo, ut miraculum non fiat nisi positiva

voluntate Dei, et secundo, ut finis eius sit confirmare doctrinam propositam. Iam vero utrumque certum esse potest. Primum constat, quia omnis vevi nominis miraculi causa Deus est vel saltem angelus bonus, in utroque autem casu a positiva voluntate Dei procedit. Secundum etiam certum est, scilicet finem esse confirmare doctrinam propositam, si nullus alius finis apparet. Etenim finem aliquem Deus necessario intendit; cum vero ulterius miraculum sit signum, aliquid eodem significare vult hominibus; cum autem nihil aliud significandum appareat, significatur id. quod thaumaturgus affirmat, quia si Deus vellet aliquid aliud significare, deberet hoc profecto notificare, cum secus finem suum nullo modo attingeret.

5. *Ex providentia Dei.* — Quod argumentum optime a 8. *Suarez* ita exponitur et illustratur: „Quod (scilicet miracula esse criterium revelationis) ita declaro, supponendo, id quod in materia de fide latius docetur, pertinere ad divinam providentiam, ut non permittat aliquid falsum suo sub nomine et auctoritate ita proponi atque exterius confirmari, ut secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum illud esse dictum a Deo et assentiendum ea certitudine, quae omnem dubitationem expellat. Quia si Deus hoc permitteret, et cooperaretur ad omnia signa et opera, quibus mendacium confirmatur, quamvis revera proprie non mentiretur quodammodo tamen abuteretur sua potestate in praeiudicium suae auctoritatis, qua fide dignus existit. Nam si concurrentibus tot signis et divinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis adhuc posset subesse falsitas, nulla superesset via ad credendum Deo loquenti per homines vel per signa, quod est contra divinam veritatem et auctoritatem, quam ipsum habere oportet in dicendo. Propter hanc ergo causam existimo esse moraliter evidens fieri non posse, ut Deus concurrat cum homine ad perficienda vera opera supernaturalia, quae fieri non possunt nisi virtute divina, et quod illa faciat in confirmationem falsae doctrinae, quam ut divinam et a Deo revelatam proponit . . . Non pertinet

ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quae ad probationem et profectum electorum prosunt; sed pertinet ad providentiam Dei dare auxilium ac modum, quo possint diiudicari et cognosci, quia non est divinae bonitatis ac sapientiae, ut permittat hominem tentari ultra id, quod potest. Ac propterea, quando facta morali diligentia et investigatione adhuc constat evidenter vera esse miracula, quae fiunt in confirmationem doctrinae, nulla relinquitur ratio dubitandi de talis doctrinae veritate, praesertim si miracula sint frequentia et magna auctoritate et potestate facta et vitae innocentia ac sanctitate confirmata, et in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat" (De myst. vit. Chr. disp. 31. s. 2. n. 7. et 8).

Demonstratio theologica.

9 Evidentius fere, quam philosophice, thesis per argumenta theologica demonstratur, ita ut prodigiosum appareat, quod veritas, quae in quaestione versatur, a theologis quibusdam in deliberationem adduci protuerit. Itaque iam paucis haec theologica demonstratio adumbranda est.

1. Probatur ex s. Scriptura. — a) Imprimis ipse Christus ad miracula, quae palam operatus est innumera, tamquam ad argumentum certissimum divinae suae missionis provocat. Plura testimonia, quae huc spectant, iam supra (th. 23. n. 8.) adducta sunt. Quare sufficit alia nonnulla hic addere: „*Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam*" (Matth. 9, 6). „*Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum*" (Ioan. 15, 24). „*Si ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei*" (Matth. 12, 28. Luc. 11, 20). „*Gratias ago tibi, quoniam exaudisti me: Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dici, ut credant, quia tu me misisti*" (Ioan. 11, 41, 42).

Excipiunt quidem inter alia, de quibus infra agendum est, ex verbis aliis ipsius Christi: *„nisi signa et prodigia videritis, non creditis“* (Ioan. 4, 48), quasi iis verbis dicatur non propter miracula revelationi adhaerendum esse. Verum falluntur omnino, quia quod verba illa attinet, vis ponenda est in verbo *videre;* scilicet vituperat Christus eos, qui credere nolunt, nisi propriis oculis miracula videant, non autem ulla ratione ponit miraculis rationem criterii revelationis non convenire.

b) Dein s. Scriptura non reprobando sed potius appro- 10.
bando refert a Christi Domini coaetaneis miracula, quae operabatur, reipsa considerata esse tamquam ipsius Dei Patris testimonium divinae Redemptoris legationis. Ita v. g. ob miraculum Canae patratum discipuli in Christum crediderunt (Ioan. 2, 1—11). Atque iterum *„cum . . . esset Hierosolymis in pascha in de festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat“* (Ioan. 2, 23). Propter miracula Christi Nicodemus quoque et Regulus in Christum crediderunt (Ioan. 3, 2; 4, 53). Praeterea propter Lazar resurrectionem *multi, qui viderant . . . crediderunt in eum“* (Ioan. 11, 45 ss.). Hinc pharisaei odio obstinati deliberabant: *„Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum“* (Ioan. 11, 47 ss.). Denique Petrus, Ioannes et Iacobus miraculo transfigurationis Christi in fide confirmati fuerunt (Matth. 17, 1—9).

c) Apostoli quoque magistri Christi vestigia sectantes, 11.
ut divinitatem christiane religionis comprobarent, tum ad Christi miracula provocarunt, tum ipsi miracula patrarunt. Ad primum pertinent Act. 2, 14—36; 3, 12—26; 10, 37—43; 13, 17—42; Hebr. 2, 3—5; 2. Pet. 1, 10—21; atque imprimis splendida illa quibus S. Ioannes evangelio suo finem imponit: *„Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius“* (20, 30). — Ad alterum spectant, quae narrantur v. g. de claudo sanato a Petro et Ioanne in synagogae Hierosolymi-

tanae porticu (Act. 3), de mendacio Ananiae et Saphirae eorum subita morte ad S. Petri verbum punito (ib. 5), de Aenea paralytico a S. Petro curato et Tabitha resuscitata (ib. 9.) atque innumera fere alia, quae imprimis S. Paulus operatus est miracula, quae ipse apostolus his verbis summatim refert: „*Quae (salus) cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus S. distributionibus secundum suam voluntatem*“ (Heb. 2, 3, 4).

12. d) Antiquum quoque testamentum innumera fere refert exempla, e quibus patet, miraculis a Deo patratis divinam religionis vel legationis originem certo confirmari. Miraculis v. g. fides Moysis in monte Horeb (Ex. 3, 1 ss.) et legatio eius apud Pharaonem confirmata est. Miraculis item confirmata est missio Gedeonis (Iud. 6). Miraculis praeterea Achior (Iudith 5, 6—29), Nabuchodonosor (Dan. 3, 99), Darius (ib 6, 25 ss.) coacti sunt, ut verum Deum profiterentur. Insignem vis probativae miraculorum illustrationem exhibet historia certaminis, quod Elias cum sacerdotibus Baal iniit. Coepto scil. certamine propheta orabat: „*Exaudi me, Domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus.*“ Atque subito ignis de coelo descendit et combustae fuere victimae Eliae. Quod cum vidisset populus, in faciem protinus cecidit atque oravit: „*Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus!*“ (3. Reg. 18, 37, 39). Denique egregium est etiam testimonium Naaman Syri, qui cum ab Elisaeo a lepra sanatus esset, palam testatus est: „*Vere scio, quod non est alius Deus in universa terra nisi tantum in Israel*“ (4. Reg. 5, 15).

13. 2. *Ex ss. Patrum doctrina.* — SS. Patres perpetuo fere miracula adhibuerant tamquam certissimum argumentum, quo divinam religionis christianae originem contra eius adversarios probarent. *Athanasius* v. g. hac ratione disserit: „Evidentia documenta intueantur. Ait enim Scriptura: ‚*Tunc apperientur oculi coecorum*‘ etc. Quomodo audeat vel contra istos oculos attollere, siquidem prophetia Deum

adventurum significet et signa eius praesentiae tempus ostendunt?" (Oratio de Incarn. Verbi). *Chrysostomus* dein de miraculis et prophetiis a Christo factis: „Ceterum, inquit, quia prophetias de Christo tantis antea temporibus a prophetis enuntiatas protulimus, age . . . afferamus eas, quae de illo, cum terram circumiret, et cum hominibus conversaretur, editae sunt, ut hinc etiam eius potentias ediscas. Cum advenisset igitur et salutis hominum negotium ageret, tum eorum, qui in vivis erant, tum etiam eorum, qui postea erant futuri, variis eam modis procurabat. Vide quaeso, quid faciat. Miracula edit et quaedam praedicit longis postea temporibus eventura, ac per ea, quae tunc fiebant, praesentibus auditoribus fidem faciens his, quae diu postea futura erant; futuris etiam ex eventu praedictorum credibilia reddens miracula illo tempore edita, atque ex hac duplici demonstratione fidem faciens iis, quae ad regnum pertinebant" (Adv. Iudaeos et Graecos demonstratio, quod Christus sit Deus n. 11). — *Augustinus* vero, quem nonnunquam adversarii opponunt, acsi contra nos sentiret, ita scribit: „Fecit ista (miracula) et contemptus est a multis, plus attendentibus non quam magna faceret, sed quam parvus, tamquam dicentibus apud se: ista divina sunt, sed iste homo est. Duo ergo vides; divina et hominem. Si divina non possunt fieri nisi a Deo, vide ne in homine lateat Deus. Attente inquam, quae vides; crede, quae non vides. Non te deseruit, qui vocavit, ut credas, quamvis iuberet te illud credere, quod non potes videre, non tamen te dimisit nihil videntem, unde possis credere, quod non vides" (Serm. 126. n. 1) — Quae testimonia in re nimis explorata sufficiant, quamvis innumera alia afferri possint. Conferatur, si lubet, ex latinis *Tertullianus,* Apolog. c. 21; *S. Ambrosius,* Exposit. evang. sec. Luc. n. 69; *Augustinus,* De civit. Dei l. 22, c. 8; *Gregorius,* Hom. in Ezech. l. 1. h. 6. n. 14; ex graecis *S. Irenaeus,* C. haer. l. 2. c. 31; *Iustinus,* Dial. cum Tryph n. 7; *Origenes,* C. Cels. l. 2. n. 51; *Cyrillus Alex.* In Psalm. 45.

14. *3. Ex documentis ecclesiasticis.* — Huc pertinent, quae supra iam allegata sunt, Encyclica *Pii IX.* d. 9. Nov. a 1846 (th. 16. n. 35), et canon *Conc. Vaticani* sess. 3. c. 4. (th. 24 n. 1); necnon eiusdem Concili cap. 3. de fide n. 2. (Denz. n. 1790), atque denique propositio, cui subscribere debuit *Bautain:* „Revelationis christianae probatio ex miraculis Christi desumpta, quae testium ocularium sensus mentemque percellebat, vim suam atque fulgorem quoad subsequentes generationes non amisit" (Denz. n. 1624).

Scholion.

15. *Obiectiones quaedam solvuntur,* — Difficultates, quae contra veritatem demonstratam opponi possunt, omnes fere in ipsa demonstratione praeoccupatae sunt; itaque paucas solum, in quibus adversarii magis confisi sunt, expresse referre atque solvere sufficit.

1. Deus multiplicem donorum supernaturalium abusum permittere potest, imo divinae sanctitati non repugnat, ut theologi ipsi docent, quominus thaumaturgus ipso miraculorum charismate ad vanitatem fovendam Deo permittente abutatur; ergo non apparet, cur thaumaturgus Deo permittente ad falsam religionem confirmandam quoque eodem miraculorum dono abuti nequeat. Hinc autem manifesto consequi videtur, miraculum divinae revelationis criterium certum non esse. — *R.* Absurdum est, ex possibilitate unius abusus continuo ad alterius possibilitatem concluderer Deus aliquem quidem abusum, sed non omnem permittere potest; praesertim vero non potest eum miraculorum abusum permittere, quo finis eorum penitus frustraretur. Itaque Deo permittente (scil. physice, non moraliter) homo dono miraculorum ad vanitatem fovendam v. g. abuti potest, nullo modo autem ad falsam religionem fovendam; quia in hoc secundo casu secus ac in illo primo Deus testis falsus constitueretur, ordo divinae providentiae perverteretur, revelatio moraliter impossibilis redderetur, finis igitur primarius miraculi penitus frustraretur.

Instant: Falsum est, ea ratione agendi Deum testem 16.
mendacem evadere; etenim princeps v. g. ministro sigillum suum tradens, quo eum ad mendacium vel falsum testimonium abuti posse vel forte abusurum esse novit, non tamen mendacii reus evadit, si reipsa minister sigillo abutatur, praesertim si imperio suo omnem abusum prohibuit; ergo a pari Deus, cum thaumaturgum miraculorum dono ad confirmandam falsam religionem abuti sinat, testis mendax ideo dici nequit. — *R.* Disparitas inter utrumque casum manifesta est. Etenim princeps, quamvis pro sua potestate abusum omnem impedire debeat, non tamen omnem impedire potest; deinde in ipso actu abusus nequaquam nec physice nec moraliter cooperatur. Deus autem pro infinita sua sapientia et potentia et imprimis, quia ipse solus est causa principalis miraculorum, abusum omnen impedire potest; et praeterea ut causa miraculorum unica principalis ipsum actum physice operatur. Ad rem *Cardinalis de Lugo:* „Quia sicut princeps, si in ipso actu sigillandi aut subscribendi adverteret falsitatem contentam, non posset sigillare aut subscribere, sed deberet sigillum repetere, ne cooperaretur ad deceptionem et mendacium: sic Deus ad idem teneretur. Unde cum Deus non solum antecedenter, sed in ipsomet actu sigillandi aut operandi miraculum videat semper falsitatem doctrinae, ad quam confirmandam sigillum apponitur, non videtur tunc cooperari posse ad malitiam ministri, quin particeps sit deceptionis et falsitatis. Non enim antea solum subscripsit vel sigillum dedit, sed tunc subscribit vel sigillat" (De Fide disp. 2. n. 24.). Idem theologus eandem rem comparatione alia quoque illustrat; scilicet miraculum in confirmationem religiosae doctrinae factum ita est testimonium divinum, sicuti definitio alicuius doctrinae ex cathedra per Summum Pontificem facta vera ratione est divina huius doctrinae approbatio et subscriptio. „Deus tenetur assistere Summo Pontifici, ne aliquod falsum dogma Ecclesiae proponat, quia supposita Christi promissione iam Deus per Pontificem censetur proponere, et ideo non potest etiam ex alio fine permittere, quod Pontifex ex

cathedra falsum dogma proponat: quia cum iam ex Dei institutione propositio illa Pontificis sit quasi eiusdem Dei subscriptio, et ipse Deus sciat optime veritatem vel falsitatem doctrinae, quae suo nomine proponitur, non potest permittere, quod falsa doctrina suo nomine proponatur, quia particeps fieret deceptionis et falsitatis." (ibid.)

17. *Iterum instant:* Deus naturali suo concursu non solum ad quodvis peccatum, sed ad quemlibet errorem et quodlibet mendacium concurrit, quin ideo auctor peccati vel erroris vel mendacii habeatur: ergo concursum quoque supernaturalem vel specialem exhibere potest ad miraculum patrandum, quo thaumaturgus falsam religionem confirmet, quin tamen ipse Deus mendacii accusandus sit. — *R.* Iterum paritas manifeste deest. Etenim concursus naturalis creaturae debetur, et cum sit indifferens, ab ipsa creatura ad hunc vel illum actum flectitur; quoad tales itaque actus Deus concurrens mere permissive se habet, quare nullo modo auctor peccati, erroris, mendacii dici potest. In miraculis vero patrandis Deus non exhibet solum aliquem concursum debitum et indifferentem, sed miraculi causa principalis est; quare miraculum patrando doctrinae, in cuius favorem proponitur, sigillum suum apponit proindeque positive deciperet, si in favorem falsae doctrinae miraculum patraret. Ad rem iterum *Cardinalis de Lugo*: „Ad rationem et exemplum virtutis et concursus naturalis, quem Deus dare potest agenti creato, etiamsi praevideat ipsum abusurum eiusmodi virtute et concursu ad opus malum, nec per hoc Deus dicitur auctor mali, eo quod sit praeter eius intentionem: responderi etiam potest ex dictis discrimen esse, quia per opus illud naturale malum, ad quod Deus ut auctor naturae concurrit, non censetur Deus loqui aut testificari aliquod falsum sicut per vera miracula, quae ex communi hominum sensu a natura ipsa insito censentur specialia signa et sigilla, quibus specialiter voluntatem et mentem suam manifestat" (De fide, disp. 2, s. 1, n. 29).

18. *Denique instant* supernaturali quoque et speciali concursu Deum ad actum aliquem peccaminosum concurrere

posse,, quin tamen huius actus, quatenus peccaminosus est, auctor dicendus sit. Quod confirmant exemplo mali sacerdotis consecrantis; cum tali enim sacerdote, etsi consecrans, utpote quia est in statu peccati, peccet et vel ipsum hunc actum consecrationis ad pravos fines, ut lucrum, vanitatem etc. obtinendos dirigat, Deus miraculose cooperatur; ergo a pari alicui homini potestatem miraculi patrandi largiri potest cum eoque in miraculo patrando cooperari, etsi homo ad confirmandam falsam religionem miraculum operari velit. — *R.* Neque hic casus cum nostro paritatem habet. Etenim impossibilitas miraculi ad errorem confirmandum patrati non solum abstracte in eo est, quod miraculum a Deo tamquam a causa principali producatur, sed quod in favorem alicuius doctrinae religiosae patratum eiusdem testimonium divinum sit. Iamvero confectio sacramentorum, quamvis a Deo procedat tamquam a causa principali, non tamen neque ex se neque ex suppositione aliqua ad veritatem religiosam contestandam ordinatur. Itaque finis miraculorum prorsus frustraretur atque insuper Deus auctor deceptionis foret, si miraculum ad confirmandum errorem patraretur; e contra neque finis sacramenti necessario frustratur neque Deus auctor deceptionis evadit, si indigno ministro et a finem pravum consecrante Deus transsubstantiationem operetur. Haec enim ex natura sua non ordinatur ad aliquid testificandum vel ad veritatem revelationis comprobandam, sed ad Christum in spiritualem fidelium utilitatem praesentem sistendum, quae actio bona est. Recte itaque et accommodate ad hanc quoque rem *Cardinalis de Lugo:* „Quae conversio, licet sensibiliter fieret, adhuc fieret, quando sacerdos consecrare vellet ad finem pravum vel ad comprobandum errorem, quia aliunde constare posset, miraculum non fieri a Deo propter illum finem pravum, vel ad comprobandum errorem, sed propter veritatem institutionis sacramenti sustinendam: ideo saepe dixi non posse miraculum fieri a Deo in iis circumstantiis, quando per se loquendo non potest colligi aliunde, quod fiat a Deo propter alium finem" (De fide, disp. 2, n. 25). Atque intimam huius

rei rationem idem theologus paulo infra hac ratione reddit: „De illo, qui ex Dei revelatione sciret miraculum cras a Deo operandum ex alio fine, et ipse idem miraculum offerret in confirmationem erroris, quem suadere intendebat: ad haec inquam et similia dicendum est ex doctrina supra tradita, Deum non posse illa miracula operari in iis circumstantiis, in quibus sciri non posset Deum ex alio fine ea operari. Ad hoc enim veracitas obligat, ut diximus, ut non solum non exhibeamus signa ad significandum falsum, sed neque etiam ad aliud verum significandum, quando ipsa ex se in his circumstantiis determinata sunt per se loquendo, et non solum per accidens ob ignorantiam privatam alterius, ad significandum illud falsum. Unde interrogatus a Petro de aliquo falso non poteris affirmative respondere, quando ea responsio per se loquendo determinate significat te Petro respondere, etsi eodem tempore alius occulte te interrogaret de aliquo vero, cui tu respondere intendis et non Petro, quando illa occulta interrogatio ab aliis omnibus ignoratur, et ideo tua externa responsio non potest accipi nisi ut directa ad Petrum. Quia intentio sola non variat significationem determinatam externam, quam voces vel signa de se habent, et ideo non sufficit ad excusandum de falsitate et a mendacio, cuius malitia consistit in usu vocum vel signorum externorum habentium determinatam significationem externam contra id, quod verum est. Sic ergo Deus non potest exhibere verum miraculum, quando illud in iis circumstantiis determinate significat contestationem vel confirmationem alicuius falsitatis. Unde nec potuit Deus revelare illud miraculum futurum praevidens circumstantias, in quibus debebat determinate significare confirmationem alicuius falsitatis, quia nec poterat in iis circumstantiis illud operari“ (ib. n. 28).

19. *2. Obiiciunt, ipsa s. Scripturae doctrina vim probativam miraculi in ratione criterii verae religionis enervari.* Hebraeos enim Moyses monuit: *„Si surrexerit in medio tui prophetes aut qui somnium vidisse se dicat et praedixerit* (hebr. ediderit) *signum atque portentum et evenerit, quod locutus est,*

et dixerit tibi: eamus et sequamur deos alienos . . . non audies verba prophetae illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus" (Deuter. 13, 1). Et ipse Christus praedixit: „*Surgent Pseudochristi et Pseudoprophetae et dabunt signa magna . . . ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.*" (Matth. 24, 2. ss.). Et in Apocalypsi legitur: „*Sicut spiritus daemoniorum ferentes signa et procedunt ad reges totius terrae congregare illos in proelium*" (16, 14.). Iam ex his testimoniis miracula ad confirmandam falsam religionem patrari possunt atque reipsa eadem quoque Scriptura referente ad confirmandos errores miracula patrata esse videntur, ut v. g. cum magi Aegyptiaci miracula Moysis imitati sunt. — *R.* Nunquam miracula absoluta ad confirmandam falsam religionem patrata sunt. Facta, de quibus Scriptura agit, prodigia tantum daemonis fuisse ex adiunctis facile cognoscitur vel saltem suspicatur. Et certe providentiae divinae est curare, ut error in tali casu evitari possit: quod animadvertitur in ipso illo Moysis cum Magis certamine; neque enim hi Moysis opera efficere potuerunt ideoque exclamarunt: *Digitus Dei est hic.* Atque eadem ratione mira quoque opera, quae pseudoprophetae et Antichristus in mundi fine operabuntur, ex adiunctis tamquam fraudes vel prodigia daemoniaca a fidelibus cognosi poterunt.

3. Obiiciunt quaedam SS. Patrum testimonia, quibus hi **20.** *profiteri videntur, miracula ad doctrinam confirmandam non valere vel non sufficere.* — *R.* SS. Patres agunt de miraculis, quae a nonnullis haereticis proferebantur ad doctrinam comprobandam, quae veritati revelatae et miraculis confirmatae opponebatur. Huiusmodi autem miraculis vera vis probandi sane non inerat, quia non vera sed falsa miracula erant; cum autem operosum esset falsitatem illorum signorum probare, SS. Patres quaestionem de miraculis potius transmittebant atque aliunde sectas illas refutabant. Ita *S. Augustinus* cum Donatistis agens (in tract. in Ioan. 13. et de unit. ecclesiae n. 19) sectae falsitatem et catholicae ecclesiae veritatem aliunde demonstrat atque deinde ex hoc fonte eorum

miracula ut falsa vel non ad doctrinam eorum approbandam facta reiicit.

21. *Instant* tamen, *Augustinum* ultra processisse dicendo: „Quaecunque talia in ecclesia fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt." (De unit. eccl. n. 19). — *R.* Haec non possunt in sensu adversariorum accipi; etenim alibi in eodem opere (n. 49) S. Augustinus negat miracula Donatistarum vera miracula esse: „Removeantur, inquit, ista vel figmenta mendacia hominum vel portenta fallacium spirituum." Quare cum insuper affirmet miracula vera non fieri nisi in ecclesia catholica: quod in aliis operibus explicite docet, hic implicite sane affirmat, scilicet miracula verae ecclesiae criterium esse. — Cur igitur, quaeres, S. Doctor, ad miracula ut sigillum verae ecclesiae non provocat? Scilicet ex tota ipsius expositione elucet, in illa cum Donatistis disceptatione ad miracula provocandum non fuisse, quia ad hoc severum et longum examen necessarium fuisset, quod neque factum erat neque facile nec prompte fieri poterat. — *Instant iterum:* Affirmat Augustinus, miraculis haereticorum non esse credendum, etsi montes transferant, quia caritatem non habeant atque ecclesiae unitatem destruant. Itaque censere videtur, miracula ab haereticis fieri posse proindeque verae religionis criterium non esse. — *R.* Indicat Augustinus, multa miracula falsa pro veris proferri et iactari. Deinde ex verbis Christi (Matth. 24, 23) novit, a malis auxiliante daemone mirabilia fieri ad malum finem, et ideo fideles hortatus est, ne incaute talibus prodigiis deciperentur. Iamvero eiusmodi prodigia vera miracula non sunt; quia tamen a veris miraculis non semper facile nec prompte discernuntur, ideo S. Augustinus ad unitatem ecclesiae potius, quam ad miracula consideranda fideles provocavit.

22. *4. Alii, ut praesentem thesim expugnent, ad miracula Apollonii Thyanei a Philostrato et Vespasiani a Tacito et Suetonio pluraque alia ab aliis scriptoribus antiquis relata provocant; concludunt enim ex his relationibus miracula ut*

criteria certa revelationis divinae considerari non posse. — *R.* a) Quod imprimis Apollonium illum attinet, vita eius a Philostrato saeculo 3. Iulia Domna, Septimii Severi coniuge, mandante conscripta fide historica adeo caret, ut auctor a Photio (cod. 241) mythographus nominetur. Et revera opus illud octo libris comprehensum texturam quandam fabularum stultarum et fictionum monstruosarum constituit, quarum alias e populi rumoribus, alias e Damidis, Apollonii discipuli et comitis, comentariis erroribus et fabulis ipso Philostrato confitente intermixtis hausit. Quare optimum, quod in libro isto Philostrati invenitur, illud est, quod ipse scriptor non semel indicat, narratiunculis, quas affert, fidem adhibendam vix esse. Sic puta, cum de puella agit Apollonii opera ad vitam revocata, dubium esse scribit, an revera puella mortua fuerit, et aperte fatetur, eos ipsos, qui praesentes adfuerint, parum fidei adiunxisse (l. 4. c. 16). Quam incerta et parum fide digna pleraque sint, quae Philostratus refert, ex ea quoque relatione patet, quam de morte Apollonii facit: „De mortis genere, si mortuus est, complures verba fecerunt, Damis autem nihil retulit. Neque de aetate viri a Damide quidquam traditum est. Verum alii ad octogesimum, alii ultra nonagesimum, alii ultra centesimum annum pervenisse dicunt . . . Decessisse eum Ephesi quidam aiunt . . . Alii Lindi decessisse aiunt Minervae templum ingressum, atque intus e conspectu hominum ereptum; alii in Creta modo magis quam Lindi mirando“ (l. 8. c. 29—31). *Deinde* absurditatibus quoque Philostrati liber scatet, quarum multas Eusebius contra Hieroclem refert v. g. quod Apollonius primum dicat: ‚Ego amice omnes intelligo linguas, licet nullam didicerim‘, deinde brutorum animalium quoque linguas sibi comparasse, nihilominus tamen ad Indos delatus per interpretem cum eorum rege collocutus esse dicatur. „Nempe, inquit Eusebius, qui paulo ante secundum Philostratum linguarum omnium erat calentissimus, iam iuxta eundem interprete opus habet.“ Alii quoque Patres librum illum eiusque auctorem et heroem derident. *Denique* Philostratus non solum sine iudicio historico et

critico scripsit, verum falsarius quoque fuisse videtur. Etenim narrans Apollonium Babylone fuisse, urbis huius, quam haberet eo tempore, magnitudinem et pulchritudinem describit. cum tamen saeculo 1., quando Apollonius vixit, Babylon iam nihil fere nisi ruina urbis atque lapidum acervus esset. De Sparta vero eo tempore, quo Romanis iam subiecta erat, tamquam de urbe libera loquitur.

23 b) Plures effectus, qui referuntur, vires physicas sibi relictas vel ab hominibus applicatas quidem excedunt, non autem vires creatas simpliciter superant; quare si historica veritate non careant, tamquam prodigia daemoniaca considerandа sunt, cum ex fine atque circumstantiis intelligantur bonis angelis vel Deo adscribi non posse. Et reipsa daemonum prodigia aliquando facta esse SS. Patres concedunt. (Cf. Augustinus. De civit. Dei l. 10. c. 16 n. 2.)

c) Si quando apud cultores falsae religionis Deus vera miracula patraverit, numquam eadem in falsae religionis confirmationem, sed ad alios fines patrata sunt. Sic v. g. si Socrati (Histor. l. 7. c. 7) propter suam in Novatianos propensionem hac in re paulo suspecto credi potest, aliquando, cum Iudaeus pluries iam baptizatus denuo se baptizandum Paulo Novatianorum episcopo exhiberet, aqua baptismo conferendo destinata subito evanuit. Miraculo hoc, si quidem reipsa contingit, baptismi sanctitas, non sectae veritas comprobata est. Qua ratione etiam de aliis miraculis iudicandum est, si quae apud haereticos vel paganos contigerunt.

d) Denique quod Vespasiani miracula in specie attinet, ea veritate historica plane carent. Qui ea opponunt, considerare deberent, summa facilitate sive adulationis sive alius perversi affectus causa miracula illa aetate conficta esse, ut deorum principumque memoria celebraretur et apud plebem conservaretur. Cuius rei exempla satis multa prostant in Livio, Aurelio Victore, Tacito et Suetonio.

24. *5. Dicunt, illud non esse ut criterium revelationis admittendum, quod vix ullam sub hoc respectu efficaciam in homines exercuit; hoc vero dicendum esse videtur de miraculis, quippe quae neque a Iudaica plebe, neque a Pharisaeis*

neque a gentilibus acceptata fuere. — *R.* Primo falsum est. miracula ad confirmandam religionem christianam patrata effectum non habuisse; contrarium enim tum ex s. scriptura N. T. tum ex historia ecclesiastica evidenter constat. Deinde vero, quod caput est et quod imprimis notari debet, obiectio illa efficaciam in actu primo vel aptitudinalem cum efficacia in actu secundo vel actuali confundit. Illa criteriis convenit atque inesse iisdem debet, haec vero a libera voluntate pendet, quippe cui invitae et resistenti beneficium revelationis imponendum non est. Egregie itaque ad hanc rem *S. Thomas* animadvertit: „Dicendum, quod ea, quae sunt ad finem, distinguuntur ab ipso fine. Miracula autem a Christo facta ordinabantur sicut ad finem ad rationalis partis salutem, quae consistit in sapientiae illustratione et hominum iustificatione, quorum primum praesupponit secundum, quia ut dicitur Sap. 1.: *In malevotam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis*; iustificare autem homines non conveniebat nisi eis volentibus, hoc enim esset et contra rationem iustitiae, quae rectitudinem voluntatis importat, et etiam contra rationem humanae naturae, quae libero arbitrio ad bonum ducenda est, non autem per coactionem. Christus ergo virtute divina interius homines iustificavit, non tamen eis invitis: nec hoc (sc. iustificare actu) ad miracula pertinet, sed ad miraculorum finem" S. th. p. 3. q. 44. a. 3).

6. Denique restat difficultas, quam Lessing quondam pro- 25.
posuit. — Ex veritatibus historicis, utpote quae contingentes sunt, nunquam demonstrari possunt veritates rationales necessariae; atqui miraculum quodvis veritas contingens est, doctrinae autem religionis christianae pleraeque veritates necessariae sunt; ergo hae ex illis demonstrari nequeunt. — *R.* Haec obiectio aoparenter profunda et sapiens reipsa futilis est atque inepta. Etenim primo miraculis non probatur directe veritas singularum doctrinarum religionis christianae sed potius revelationis factum evincitur; quod non est necessarium, sed contingens. Dein autem sane ex hoc facto revelationis, quippe quae locutio Dei attestans est, veritas

singularum doctrinarum religionis christianae evidenter consequitur. Et sane absurdum esset affirmare, ex testimonio divino infallibili de veritate aliqua necessaria constare non posse. Ipsum enim testimonium humanum doctrinale considerationem meretur; quod autem minoris ponderis est, ex hominum fallibilitate et limitata intelligentia provenit. Ergo testimonium doctrinale ipsius Dei, quippe qui infinite sapiens et verax est, certitudinem absolutam et summam gignere potest. Ceterum ex alio quoque capite maior argumenti facti falsa esse perspicitur; etenim ex existentia mundi, quae sane est veritas contingens, Dei existentia, quae est veritas necessaria, manifesto demonstratur; ergo ex veritate contingente directe quoque veritas necessaria demonstrari potest.

Corollaria duo.

26 *1. De differentia miraculi absoluti et relativi sub ipsa ratione criterii.* — Haec differentia ex tota quidem de miraculis tractatione sequitur et intelligitur; propter rei momentum vero expresse hoc loco exhibenda est. Itaque

a) Miraculum absolutum ut testimonium veritatis doctrinae propositae habendum est, si thaumaturgus ad miraculum tamquam tale testimonium ipsius Dei provocat neque alius miraculi patrati finis rationabiliter suspicari possit. Cum enim miraculum absolutum a solo Deo produci possit, adiuncta moralia, ex quibus origo eventus diiudicari potest, quamvis utiliter in tali quoque casu considerentur, non tamen ita necessario in considerationem venire debent, ut sine ipsis de re constare non possit.

b) Ut vero miraculum relativum considerari possit tamquam divinum doctrinae propositae testimonium, etiam requiritur, ut thaumaturgus in confirmationem doctrinae propositae ad illud provocet atque ut nullus alius finis rationabiliter suspicari possit. Imprimis autem constare debet, reipsa esse miraculum relativum, non vero prodigium daemoniacum. Hoc autem nunquam constare potest nisi ex criteriis moralibus vel consideratis fine et adiunctis; quare cum de miraculis relativis agitur, haec consideratio

nunquam omitti potest. Unde manifestum est, miracula absoluta in ratione criterii multo potiora esse quam relativa.

3. De miraculo morali in ratione criterii revelationis. — 27. Cum supra (thes. 25. n. 10.) a miraculo physico et proprie dicto distincta sint miraculum intellectuale et miraculum morale, restat, ut hoc loco paucis ratio miraculi moralis explicetur, quippe quod item revelationis criterium recte consideratur. De miraculo vero intellectuali in sequenti quaestione agetur. Itaque quod miraculum morale attinet, quatuor breviter explicanda sunt: notio sc., possibilitas, cognoscibilitas, vis probandi.

a) *Notio.* — Miraculum morale vel historicum, ut l. c. dictum est, in actibus humanae voluntatis vel generatim animi humani et eventibus inde consequentibus continetur, qui praeter consuetum hominum agendi modum efficiuntur ideoque legibus derogant, quibus universim experientia teste tam individuorum hominum quam societatum et coetuum actiones temperantur. Definiri itaque potest: *Effectus pertinens ad ordinem moralem et humanum, cuius ratio sufficiens in speciali Dei auxilio tantum invenitur;* vel iterum: *Est actio quaedam vel actionum series praeter ordinem naturae humanae seu leges naturae humanae morales ideoque speciali Dei interventu facta.* Miracula igitur moralia vel historica eventus vel actiones extraordinariae sunt, quae, quamvis vires physicas naturae humanae non absolute excedant, spectatis tamen hominum moribus naturali inclinatione, ordinaria agendi ratione sine speciali Dei auxilio non contingunt; aliis verbis quamvis physice sint possibiles, moraliter tamen impossibiles recte computantur. Cum vero moralis impossibilitas ex infirmitate et debilitate humanae intelligentiae et humanae voluntatis imprimis oriatur, miraculum morale tandem in eo esse conspicitur, quod Deus influxu speciali animum humanum eisque intelligentiam et voluntatem ad opus aliquod instiget in eoque perficiendo confirmet et confortet ita, ut homo iam ad exitum perducat, quod secus non praestitisset. Tale miraculum morale v. g. est martyrum constantia, subita s. Pauli conversio, ecclesiae primis saeculis

facta propagatio, perfecta cognitio religionis naturalis, quae est obiective naturalis aliaque plura.

28. b) *Possibilitas.* — Deus sane vires animi humani sive directe in ipsum agendo sive indirecte impedimenta removendo ita confirmare et confortare potest, ut homo iam intelligat, velit, practice exsequatur ea, quae sibi et naturalibus viribus relictus nunquam nec intellexisset, nec voluisset, nec egissit. Etenim si iam homo in hominem quadam ratione talem influxum exercere potest, ut saepenumero factum est et continuo fieri perspicitur, a fortiori quod affirmamus Deo concedendum esse perspicitur.

c) *Cognoscibilitas.* — Influxus talis Dei specialis vel miraculum morale cognosci quoque certo potest. Etenim primo constare potest de existentia facti, quia de effectu mediate sensibili agitur, qui igitur, quamvis in se sit immediate consideratus internus sit, ad extra tamen sponte se prodit. Secundo autem effectum eundem moraliter impossibilem esse homini naturaliter spectato et proinde in concreto supernaturalem, ex iis cognosci potest, quae homines communiter in iisdem adiunctis agunt: ex difficultatibus dein et impedimentis oppositis; ex mediis denique adhibitis eorumque ad finem obtinendum disproportione. In qua inquisitione considerandum sane semper est, num effectus in se talis sit, ut in Deum tamquam auctorem reduci possit.

29. d) *Vis probativa.* — Miracula moralia *primo* manifesto sunt criterium, quo divina religionis origo cognosci potest. Etenim impulsum divinum dicunt vel includunt, quo Deus ad revelationem amplectendam hominem movet; falsam autem religionem tali impulsu vel supernaturali auxilio in animis hominum fovere non potest. Videlicet qui ad religionem aliquam ut divinitus revelatam amplectendam impellit, eam reipsa divinitus revelatam esse implicite declarat. Si igitur Deus speciali impulsu ad falsam religionem impelleret, reipsa mentiretur; praeterea ad cultum malum, utpote falsum, moveret, quod non minus ac mendacium sanctitati divinae prorsus repugnat. Confirmatur assertio

tum per exemplum apologetarum tum e gentilium conversione, quae frequenter in miraculis moralibus innitebatur.

Secundo concedendum tamen esse videtur, miracula physica miraculis moralibus in ratione criterii praestare. Etenim *imprimis* miraculum physicum magis attentionem excitare magisque animum percellere solet, quam miraculum morale. Quod autem magis attentionem excitat et animum percellit, in ratione criterii revelationis praestare invenitur, quia, quae ad religionem pertinent, multi investigare fastidiunt atque negligunt, nisi vehementer ad investigationem impellantur. *Praeterea* miraculum physicum ut criterium revelationis magis obvium est et facilius cognoscitur, cum miracula moralia per accuratiorem inquisitionem tantum ideoque difficilius ut eventus supernaturales et revelationis criteria cognoscantur. *Deinde* cum miraculum physicum omni tempore aptum sit, quo veritas religionis vel revelationis demonstretur, miracula moralia potius religionem iam institutam et a multis susceptam supponunt, ut efficaciam suam exserere possint; quemadmodum intelligitur, si consideretur mirabilis religionis christianae propagatio, stupenda morum per eandem religionem inducta mutatio, mira martyrum constantia aliaque plura. *Denique* miraculo physico tamquam argumento vel criterio potissimo usi sunt ipse Christus atque Apostoli eius; atque eorum exemplum secuti antiqui Apologetae creberrimi sunt in proponendis et urgendis miraculis physicis in confirmationem christianae revelationis patratis, cum miraculis moralibus tunc praesertim tamquam criteriis uterentur, quando argumentum ex miraculis physicis petitum propter speciales rationes magis difficile vel minus oportunum videbatur.

Atque haec de miraculo morali notasse sufficit, quia, si quae praeterea hac in re quaeri possunt, ea infra, cum hoc criterium ad religionem christianam applicabitur, commode explicari possunt.

Quaestio sexta.

De prophetiis.

Articulus primus.

De prophetiae possibilitate.

Thesis 31. **Prophetia vera et proprie dicta evidenter est possibilis.**

Cf. *Denzinger* II., p. 402 ss. — *Hettinger*, p. 220 ss. — *Wilmers*, thes. 36, 39. — *Ottiger* I., p. 233 ss. — *Gutberlet*, p. 175 ss. etc.

Declaratio.

1. *1. Notio prophetiae explicatur.* — Tria declaranda sunt, ut clara et accurata prophetiae notio praeformetur; significatio vocis, indoles prophetiae subiective spectatae, obiectum prophetiae; ex quibus dein definitio eruitur.

a) Diversa vocis prophetiae significatio. — Prophetia, quae etiam vaticinium dicitur, a verbo graeco πρόφημι sive προφάναι derivatur, cuius sensus est: pro aliquo i. e. vice alicuius loqui et sic vocabulum prophetiae, si etymologice spectatur, interpretationem, propheta vero interpretem significat. Quo sensu *S. Augustinus* „nihil, inquit, est propheta Dei, nisi enuntiator verborum Dei hominibus“ (Quaest. 17. in Ex. 7, 1). Cum vero verba Dei ea nobis maxime revelent, quae naturaliter occulta sunt, prophetia iam dicit enuntiationem occultae veritatis et inde, quia maxime occulta sunt futura, futurorum praedictionem. Haec triplex huius termini usus in s. Scriptura intelligitur.

2. *Primo* sensu latissimo prophetia est omnis cognitio et manifestatio supernaturalis veritatis, ut v. g. interpretatio s. Scripturae et vaticiniorum, exhortatio moralis, locutio de divinis et divinarum laudum cantus, praedicatio verbi revelati in genere; imo quia prophetae miraculis vaticinia con-

firmabant, ipsa haec miracula quoque prophetiae vocabantur. Scriptores quoque inspirati omnes prophetae dicuntur, cf. 1. Cor. 11, 4, 5; 14, 1—5; 14, 24. 31. 38. Num. 11, 25. 27. 29; 1 Par. 25, 1—3; Eccli. 48, 14; 49, 18. Atque hoc quoque sensu *Philo* dicit: „Prophetae sunt interpretes Dei, qui illis utitur tamquam organis ad manifestationem eorum, quae vult" (De monarch. I, p. 820).

Secundo sensu strictiore prophetia dicitur de cognitione et manifestatione rerum occultarum, quae humana ratione sola sciri non possunt, sive tempore sint praesentes sive praeteritae sive futurae. Huc igitur pertinet cognitio et revelatio rerum tempore quidem praesentium, spatio autem remotarum et occultarum; cognitio et manifestatio rerum praeteritarum, quarum nec memoria nec certa signa exstant; deinde aliqua ratione καρδιαγνώσις sive secretarum cogitationum humanarum cognitio; denique familiaritas quaedam cum Deo et providentiae eius supernaturalis profundior cognitio. De prophetia ita accepta loquitur *S. Gregorius M.*, cum dicit: „prophetia quaedam est de futuro, sicut id quod dicitur Is. 7: ‚*Ecce virgo concipiet et pariet filium*', quaedam de praeterito, sicut id quod dicitur Gen. 1: ‚*In principio creavit Deus coelum et terram*', quaedam de praesenti, sicut id quod dicitur 1. Cor. 13; ‚*Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, occulta cordis eius manifesta fiunt*" (Super Ezech. hom. 1. n. 1.).

Tertio sensu strictissimo et maxime proprio prophetia 3. dicitur de cognitione et praedictione eventus futuri contingentis vel liberi, qui ex causis naturalibus praevideri non potest ideoque omni intellectui creato absolute occultus est. Quo imprimis sensu prophetia etiam vaticinium et graece μαντεία vocatur. Atque huius acceptionis exempla in s. Scriptura passim occurrunt. Quare *S. Thomas* quoque docet, praedictionem futurorum contingentium maxime ad prophetiam pertinere: „Sciendum, . . . quod cum prophetia sit cognitio rerum, quae sunt procul, non eodem modo se habet ad omnia praedicta. Quaedam enim sunt procul a nostra notitia ex parte ipsorum, quadam vero ex parte

nostra. Ex parte quidem ipsorum sunt procul futura contingentia, quae per hoc non cognoscuntur, quia ab esse deficiunt, cum nec in se sint nec in suis causis determinentur. Sed ex parte nostra sunt procul illa, in quorum cognitione accidit difficultas propter nostrum defectum, non propter ipsa, cum sint maxime cognoscibilia et perfectissime entia, sicut res intelligibiles et praecipue aeternae. Quod autem competit alicui secundum se, verius competit ei quam quod competit sibi ratione alterius; unde cum futura contingentia verius sint procul a cognitione, quam quaecunque alia, ideo praecipue ad prophetiam videntur pertinere in tantum, quod quasi praecipua prophetiae materia in definitione prophetiae ponantur" (De verit. q. 12. a. 2).

4. *b) Indoles prophetiae subiective spectatae.* — Prophetia spectari potest subiective, quatenus scilicet in aliquo subiecto inest et ab eo procedit; et spectari potest obiective, quatenus videlicet veritas consideratur, quae revelatur. Subiective spectata prophetia duo elementa complectitur, cognitionem et praedictionem; quo utroque elemento considerato quatuor notanda sunt.

Primo cognitio eius, quod praedicitur, necessario requiritur; nam, ut *Suarez* dicit (De fide disp. 8. s. 4. n. 1): „Prophetiae donum perficit hominem humano modo et perfecto; loqui autem sine intelligentia eorum, quae dicuntur, non pertinet ad perfectionem humanam, sed est potius amentium et somniantium et aliquando usu rationis carentium"; vel ut iterum ibidem dicit: „nemo est dicendus verus et proprius propheta nisi circa ea, quae intelligit; etsi Deus irrationale animal faceret proferre verba, quae significarent futurum eventum, verba quidem propheticam praedictionem continerent, illud tamen animal non esset propheta" (ib, n. 2). Cum autem obiectum prophetiae ab homine naturaliter non cognoscatur, lumen supernaturale vel illustratio divinitus facta requiritur. De cuius luminis indole haec *S. Thomas* explicatio notari debet: „Dicendum quod in revelatione prophetica movetur mens prophetae a Spiritu Sancto, sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Movetur autem

mens Prophetae non solum ad aliquid apprehendum, sed etiam ad aliquid loquendum, vel ad aliquid faciendum: et quandoque ad omnia tria simul, quandoque autem ad duo horum, quandoque vero ad unum tantum. Et quodlibet horum contingit esse cum aliquo cognitionis defectu. Nam cum mens prophetae movetur ad aliquid aestimandum vel apprehendendum, quandoque quidem inducitur ad hoc, quod solum apprehendat rem illam: quandoque autem ulterius ad hoc, quod cognoscat haec sibi esse divinitus revelata. Similiter etiam quandoque movetur mens Prophetae ad aliquid loquendum, ita quod intelligat id, quod per haec verba Spiritus sanctus intendit . . . quandoque . . . non intelligit quid Spiritus sanctus per haec verba intendat; sicut patet de Caipha (Ioh. 11). Similiter etiam cum Spiritus sanctus movet mentem alicuius ad aliquid faciendum, quandoquidem quidem intelligit quid hoc significet . . . (Hier. 13); quandoque vero non intelligit; sicut milites dividentes vestimenta Christi non intelligebant, quid hoc significaret. Cum ergo aliquis cognoscit se moveri a Spiritu sancto, ad aliquid aestimandum, vel significandum verbo, vel facto, hoc proprie ad prophetiam pertinet: cum autem movetur, sed non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus" (2. 2. q. 173. a. 4).

Secundo tum cognitio tum praedictio debet esse vera 5.
et certa et clara atque determinata. Imprimis debet esse *vera;* etenim prophetia est quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina per modum cuiusdam doctrinae. Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo et in docente, quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis . . . oportet igitur eandem esse veritatem propheticae cognitionis et enuntiationis, quae est cognitionis divinae, cui impossibili est subesse falsum." Deinde cognitio Prophetae debet esse *certa* tum quoad obiectum tum quoad suam originem; sc. talis debet esse, qua certo iudicetur, Deum esse qui revelationem impertiat, ideoque hanc infallibiliter veram esse: „De his ergo, quae expresse per Spiritum prophetiae propheta cognoscit, maxi-

mam certitudinem habet et pro certo habet, quod haec sunt divinitus sibi revelata. Unde dicitur (Hierem. 26, 15): In veritate misit me Dominus ad vos, ut loquerer in aures vestras omnia verba haec. Alioquin si de hoc ipso certitudinem non haberet, fides, quae dictis Prophetarum innititur, certo non esset. Et signum propheticae certitudinis accipere possumus ex hoc, quod Abraham admonitus in prophetica visione, se praeparavit ad filium unigenitum immolandum: quod nullatenus fecisset, nisi de divina revelatione fuisset certissimus" (2. 2. q. 171. a. 5). Denique prophetia debet esse *clara atque determinata*, non ambigua, vel si quae obscuritas ante eventum ipsum in ea contineatur, eventu tamen ipso omnis dispelli debet: „Scilicet prophetia, inquit Irenaeus, priusquam habet efficaciam, aenigma est hominibus; cum autem evenerit, quod prophetatum est, magnam vim habet ad confirmandum intellectum, et clare ostendit, Deum esse praescium futurorum" (Adv. haer l. 4. c. 43. al. 26. n. 1). — Prophetia itaque iam hac ratione ab oraculis ambiguis gentilium discernitur, de quibus *Cicero:* „Callide, ait, qui illa composuit, perfecit, ut quidcunque accidisset, praedictum videretur"; et iterum: „Interpretem egere interprete et sortem ipsam ad sortem esse referendam" (De divinatione II, 54 et 56). Deinde a praedictionibus quoque differt, quibus homines ex naturali sua cognitione causarum creatarum earumque adiunctorum varia praenuntiare valent, quemadmodum v. g. rerum naturalium et politicarum periti multos eventus necessarios imo hinc inde liberos quoque praesagire possunt; scilicet absolute certae tales praedictiones non sunt nisi quoad effectus necessarios, qui secundum notas et constantes leges producuntur. Accommodate *S. Thomas:* „Futura enim, inquit, in suis causis possunt praecognosci naturali cognitione etiam ab homine, sicut medicus praecognoscit sanitatem vel mortem futuram in aliquibus causis, quarum ordinem ad tales effectus experimento praecognoscit . . . Et tamen haec praecognitio futurorum differt a prima, quae habetur ex revelatione divina dupliciter: primo quidem, quia prima potest esse quo-

rumcunque eventuum et infallibiliter: haec autem praecognitio, quae naturaliter haberi potest, est circa quosdam effectus, ad quos se potest extendere experientia humana. Secundo, quia prima prophetia est secundum immobilem veritatem, non autem secunda quia potest ei subesse falsum." (2. 2. q. 172. a. 1.)

Tertio quod modum attinet, quo homo cognitionem 6. propheticam acquirit, distinguenda est repraesentatio vel acceptio rerum, quarum cognitionem acquirit, a iudicio, quo iudicat de veritate rerum repraesentatarum. Acceptio rerum vel repraesentatio triplici modo fieri potest, qui iam supra explicatus est (Thes. 14. nn. 18, 19). Paucis eundem exhibet et exemplis ex s. Scriptura depromptis illustrat *Benedictus XIV*: „Repraesentatio triplici modo fieri potest: Primo secundum exteriorem sensus perceptionem, ut si oculis corporeis aliqua spectacula appareant vel auribus voces percipiantur, et inde species transeant ad imaginationem et intellectum. Exemplum est in Daniele, qui vidit Scripturam parietis, ut legitur Daniel c. 5. Secundo modo per sensationem internam, quando, etsi foris nihil apparuerit, aliqua imaginationi repraesentantur et inde transeunt ad intellectum, sive hoc contingat infundente Deo imaginationi novas omnino species, quarum obiecta neque oculus vidit, neque auris audivit, sive novo modo ordinando, quae in ea habitualiter existunt a sensibus acceptae. Exemplum est in Ieremia, qui vidit ollam succensam, uti habetur c. 1. Ieremiae. Tertio modo secundum repraesentationem omnino intellectualem, cum Deus sine dependentia a sensibus internis vel externis novas species intelligibiles in intellectu producit, vel antiquas a sensibus acceptas ita modificatur atque disponit, ut sine opera phantasmatum veritatem intelligibilem repraesentent . . . Cumque cognitio eo sit perfectior, quo magis a sensibus abstrahitur, hinc est, quod perfectissimus gradus prophetiae est ille ultimo loco relatus, in quo cum sensu nulla est communicatio; medius est, de quo secundo loco habita est mentio; et infimus, de quo primo loco locuti sumus" (De servorum Dei beatific. et canoniz. l. 3. c. 45. n. 4). Ex duo-

bus vero illis elementis, sc. repraesentatione et iudicio principalius est iudicium, ut declarat *S. Thomas:* „Per donum autem Prophetiae confert aliquid humanae menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque; scilicet et quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis, et quantum ad acceptionem, seu repraesentationem rerum, quae fit per aliquas species. Et quantum ad hoc secundum potest assimilari doctrina humana revelationi propheticae, non autem quantum ad primum. Homo enim suo discipulo repraesentat aliquas res per signa locutionum: non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus. - Horum autem duorum principalius est primum in prophetia: quia iudicium est completivum cognitionis. Et ideo si cui fiat divinitus repraesentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias (ut Pharaoni et Nabuchodonosor), aut etiam per similitudines corporales (ut Balthasar), non est talis censendus propheta, nisi illuminetur eius mens ad iudicandum: sed talis apparitio est quid imperfectum in genere prophetiae . . . Erit autem propheta, si solummodo intellectus eius illuminetur ad iudicandum etiam ea, quae ab aliis imaginarie visa sunt, ut patet de Ioseph, qui exposuit somnium Pharaonis; sed sicut Augustinus dicit (12 sup. Genes. ad litt. q. in princ.) maxime Propheta est, qui utroque praecellit, ut scilicet videat in spiritu corporalium rerum significativas simulitudines, ut eas vivacitate mentis intelligat" (2. 2. q. 173. a. 2).

Quarto denique quod elocutionem prophetiae attinet, notandum est, eam non solum per sermonem verbo aut scripto propositum fieri posse, verum etiam per actiones symbolicas; cuius rei exempla plura in s. Scriptura exstant, ut Is. 20, 3—4; Ez. 4, 1—8; 3 Reg. 18, 29—39; 4 Reg. 13, 15—19.

7. *c) Obiectum prophetiae.* — Obiectum prophetiae strictissime dictae vel veritas, quae praedicitur, est eventus futurus, qui ex causis naturalibus absolute praevideri non potest ab ullo intellectu creato. *Primo* itaque huc pertinent opera Dei, quae praeter ordinem providentiae suae con-

suetum libere omnino facturus est, ut sunt consiliorum suorum manifestatio, miracula, ecclesiae institutio et conservatio, atque alia sapientiae, bonitatis, iustitiae mirabilia opera. *Deinde* huc referuntur actus futuri liberi creaturarum imprimis hominum, praesertim si agatur de actibus multis et remotis, vel etiam de tota vita hominis nondum nati atque de eius sorte, vel de actibus, ad quos nulla habetur naturalis inclinatio, qui igitur ex legibus moralibus praesagiri non possunt; in tali enim casu ex indole, ex educatione, ex adiunctis nihil certum, imo nec probabile quidquam saepissime a mente humana coniici potest. Futura itaque contingentia propriissimum prophetiae obiectum vel obiectum prophetiae stricte dictae constituunt. Atque ita theologi communiter statuunt praeeunte *S. Thoma*, qui 2 2. q. 171. a. 3. ita habet: „Ultimus gradus (obiectorum prophetiae) est eorum, quae sunt procul ab omnium hominum cognitione; quia in seipsis non sunt cognoscibilia, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata; et quia quod est universaliter et secundum se, potius est eo, quod est particulariter et per aliud, ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum; unde et nomen prophetiae sumi videtur (?), unde *Gregorius* dicit super Ezech. (hom. 1.): ‚Et cum ideo prophetia dicta sit, quod futura praedicat, quando de praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit.'"

Explicatis singulis prophetiae elementis iam facile *definitio* traditur. Itaque cum *Cassiodoro* prophetia definiri potest: *„Inspiratio vel revelatio divina, qua talis cognita, denuntians eventus liberos rerum immobili veritate"* (Prol. sup. ps. c. 1.) sive etiam: *Infallibiliter certa et definita praedictio futuri eventus, qui a nullo intellectu creato praecognosci naturaliter potest;* sive denique: *praedictio certa eventus futuri prorsus liberi.*

3. Divisio prophetiarum. — Sicuti miracula, ita pro- 8.
phetiae quoque varia ratione pro diversa consideratione dividuntur, quas divisiones optime exhibet *Benedictus XIV.* „Dividitur prophetia multipliciter: vel ex parte luminis, vel

ex parte obiecti sive rei cognitae, vel ex parte medii scil. specierum, quibus fit repraesentatio, vel ex parte modi cognitionis. *Ex parte luminis* dividi potest in perfectam et in imperfectam. Prima est, per quam certo cognoscitur non modo res revelata, sed ipsa revelatio, et cognoscitur Deum esse, qui revelat, et haec sola dicitur absolute et simpliciter prophetia: per secundam vero, quamvis aliqua veritas nota fiat, non tamen ita certo neque satis perspicitur, a quo fiat revelatio, et utrum spiritus propheticus an proprius loquatur: et haec vocatur instinctus propheticus, cui ex modo, quo fit, non repugnat falsum subesse. *Ex parte obiecti cogniti* dividitur in prophetiam comminationis, praescientiae et praedestinationis. Prima est, per quam Deus revelat aliqua futura, quae cognoscit non in seipsis vel in aliquo decreto absoluto, sed in ordine suarum causarum, et in decretis condicionalibus, quae possunt per alia decreta absoluta impediri, quare sensus revelationis non est, talia absolute futura esse sed solum fore ex vi causarum ad eam determinatarum, in quo clauditur haec conditionalis: nisi desuper impediantur; quamvis prophetae saepe praedictam conditionalem non explicent, sed videantur loqui absolute. Secunda est, per quam Deus revelat futura dependentia a libero arbitrio creato, quae videt praesentia in aeternitate. Tertia est, cum revelat, quae ipse dumtaxat facturus est, cernitque praesentia in aeternitate at in decretis absolutis. *Ex parte medii seu specierum,* quibus revelata repraesentantur, dividitur prophetia in intellectualem, imaginariam et corporalem. *Ex parte denique modi cognitionis* dividitur in eam, quae fit absque alienatione a sensibus, quae retinet commune nomen prophetiae; et in eam, quae fit cum tali alienatione a sensibus, quae vocatur raptus": (op. cit. l. 3. c. 45. n. 6.)

9. *Addenda* vero est divisio prophetiarum in absolutas et relativas. Etenim sicuti miracula supra (Thes. 25. n. 9.) divisa sunt in ea, quae non solum vires humanas sed vires creatas omnes excedunt, et ea, quae solum humanas vires excedunt, ita etiam prophetiae quaedam omnen intellectum creatum

excedunt, quaedam vero solum intellectum humanum superant, non autem angelicum; quare priores absolutae, posteriores relativae dicuntur. Haec quoque divisio proprie non fit in membra univoca, sed in membra potius, quae analogice in ratione prophetiae conveniunt.

3. Quaestionis distributio; argumentum articuli primi. — **10.** Prophetia est alterum praestantissimum revelationis criterium atque ut tale semper in ecclesia agnita est adeo, ut a quibusdam vel ipsi miraculo in ratione criterii sit praelata; quare singularem atque accuratam considerationem meretur. Explicatis autem prophetiae notione et divisione, quae restant, commode ad tres articulos revocantur:

Articulus primus: De prophetiae possibilitate.

Articulus secundus: De prophetiae cognoscibilitate.

Articulus tertius: De ratione criterii revelationis, quae prophetiae convenit.

Veram et absolutam prophetiam, de qua imprimis agitur, possibilem esse praeter materialistas aliosque atheos et antiquos fatalistas imprimis recentiores rationalistae negant; quippe qui concedentes, futura libera humanae cognitioni impervia esse contendunt neque Deum ea cognoscere posse, tum quia determinate vera non sint, tum quia eorum revelatione hominum libertas perimeretur. Hac ratione contra prophetiae possibilitatem arguunt v. g. Voltaire, Kant, Wegscheider aliique recentiores rationalistae; prophetias autem s. Scripturae vel tamquam post eventum interpolatas reiiciunt vel postquam sensum earum perverterunt, naturaliter factas esse declarant. „Quaevis praedictio, inquit *Wegscheider*, divinitus patefacta, qua fatum inevitabile hominis aut populi cuiusdam, quod ex re quadam ab ipso perpetranda pendeat, diserte nuntiatur, ideae Dei sanctissimi et benignissimi repugnat, Fatalismum fovet et libertatem hominum moralem tollit“ (Anthropologie p. 103]. Antiquitus *Cicero* eadem fere ratione prophetiae possibilitatem impugnavit.

Iam ut contra hos adversarios in praesenti thesi, quae totum articulum primum complectitur, prophetiae possibilitas

vindicetur, tria demonstranda sunt: primo Deum quaevis futura libera certo cognoscere; secundo hominem sive quamcunque creaturam futura libera naturaliter non cognoscere: tertio Deum futura libera hominibus revelare posse.

Demonstratio.

Assertio prima: Deus quaevis futura libera ab aeterno infallibili certitudine cognoscit.

11. Veritas isthaec ex professo et enucleate in tractatu de Deo uno explicatur et demonstratur: quare in praesenti sufficit demonstrationem breviter innuere. Itaque

1. Probatur ex divina perfectione. — Et *primo* quidem Deus ab aeterno cognoscit eventus futuros liberos, qui in tempore ab ipso solo procedunt. Cum enim sit physice et moraliter immutabilis, ab aeterno consilia sive decreta illorum eventuum in se habet; ergo, quia sane decreta sua cognoscit eventus quoque futurus novit, qui ex illis decretis consequuntur.

Secundo actiones liberas creaturum quoque ab aeterno certo cognoscit. Etenim necessario eas tunc cognoscit, cum reipsa ponuntur, quia ad eas cooperatur et eas aliquando remunerat vel punit; ergo ab aeterno easdem cognoscit. Nam si eas tantum in tempore cognosceret, ratio unica esset, quia Deus sicut homo ab obiectis ad cognoscendum determinatur; Deus autem a creaturis nullum plane influxum pati potest. — Deinde Deus futura libera conditionata cognoscit; ergo etiam absoluta. Antecedens patet, quia illa scientia ad divinam providentiam necessario praerequiritur; consequentia vero manifesta est, quia nihil ad cognitionem futurorum liberorum absolutorum requiritur, quam cognitio conditionalium liberorum et absolutorum necessariorum; ex utraque enim hac scientia illa cognitio necessario consequitur.

12. *2. Ex communi populorum consensu.* — Etenim haec reipsa est communis omnium gentium persuasio, non solum christianorum et iudaeorum, sed omnium plane populorum. Apud omnes enim historia teste oracula et vaticinia etsi

falsa inveniuntur, quibus homines credebant et quae in variis necessitatibus consulebant. Deum scilicet certa scientia ab aeterno futura libera cognoscere ipsa naturae vox clamat. Unde merito *S. Augustinus:* „Confiteri, inquit, Deum esse et negare praescientiam futurorum, apertissima insania est. . . . (Cicero) negavit praescientiam futurorum atque ita, dum vult (homines) facere liberos, facit sacrilegos" (De civit. Dei l. 5. c. 9 n. 1).

Frustra excipitur tali praevisione ipsam actionum liber- 13
tatem tolli. Etenim non ideo illae actiones fiunt, quia a Deo praevidentur, sed quia fiunt, ideo praevidentur, i. e. cognitio Dei sicuti quaelibet alia cognitio terminum vel obiectum suum non facit, sed supponit. Actiones liberae, si a Deo praevidentur, non possunt quidem non evenire; non tamen ideo hoc est, quia praevidentur, sed ideo, quia quod est, non potest simul non esse; sive eventus illi liberi eveniunt necessitate non antecedente, sed consequente ipsam actionem liberam. Quod illustratur optime exemplo hominis, qui videt alium hominem liberam aliquam actionem ponentem; sicuti enim talis visio non impedit libertatem actionis, quae videtur, ita nec Dei praescientia libertatem actionum, quae praevidentur, ullo modo tollit. Accomodate iterum *S. Augustinus* dicit: „Sicut in memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt" (De lib. arbitr. l. 3. c. 4 n. 11). Atque iterum alibi; „Si ille, qui praescivit, quid futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit; profecto et illo praesciente est aliquid in nostra voluntate (libera). Quocirca nullo modo cogimur, aut retenta praescientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum, (quod nefas est) negare praescium futurorum" (De civit. Dei l. 4. c. 10 n. 2.).

Assertio secunda: Nulla creatura eventus futuros liberos naturali potentia certo cognoscere potest.

Assertio ita accipienda est, ut valeat tum de actibus 14.
liberis creaturum, tum de eventibus, qui a divina voluntate

libera sola procedunt. Huc itaque pertinent v. g. nativitas, vita, passio, resurrectio D. N. Iesu Christi, ruina urbis Hierosolymitanae, propagatio et conservatio religionis christianae, constantia martyrum aliaque similia. Utrumque autem simul probatur

1. ex indole talis cognitionis. — Etenim intellectus creatus futura libera cognosceret aut in decretis divinis ut in causa ultima aut in causa proxima i. e. in voluntate humana, aut in se ipsis, i. e. in illo esse, quod in tempore futuro habebunt. Atqui neutrum dici potest; ergo.

Probatur minor: a) Non cognoscuntur ab intellectu creato in *decretis divinis;* etenim cum nulla creatura naturaliter immediate divinam essentiam intueatur, minus adhuc libera decreta divina immediate videt; ergo sicuti essentia divina, ita et decreta divina a creaturis mediate tantum ex rebus creatis cognoscuntur; atque sic ex rebus existentibus sane concludimus, earum existentiam ab aeterno a Deo decretam esse, neque ulla alia ratione cognitio determinatorum decretorum divinorum naturaliter acquiri potest. Cum itaque futura libera nondum existant, neque decreta eorum a creatura naturaliter cognosci possunt. Praeterea si unus homo alterius secreta cordis non novit, minus adhuc creatura Dei decreta naturaliter cognoscere potest.

15. b) Futura libera ab intellectu creato non cognoscuntur in causis proximis i. e. *in creata voluntate.* Etenim primo ipsae voluntates liberae non cognoscuntur, nisi sint praesentes in se vel in effectibus; ergo neque actus futuri liberi in ipsa voluntate praecognosci possunt. Si vero etiam penitus pespiceretur aliqua voluntas praesens, impossibile tamen esset, ut haec perspicientia in cognitionem certam et determinatam actus futuri liberi determinati perducat. Etenim quod non continetur determinate in aliqua re, vel quod cum ea determinate non connectitur, in ea cognosci non potest; atqui actus liberi, antequam ponuntur, in libera voluntate determinate non continentur neque cum ea determinate connectuntur; nam voluntas libera, quamdiu con-

stituta est in actu primo proximo, indifferens prorsus est et manet; ergo.

c) Denique libera futura a creata intelligentia cognosci 16.
non possunt *in semitipsis*. Etenim primo talis cognitio vel si agatur de ipso Deo difficulter explicatur; certo autem infert perfectionem intelligendi infinitam; nam ad talem cognitionem intellectus requiritur, qui eo ipso aliquid cognoscit, quia verum est; atqui hac ratione non cognoscit, nisi qui est ipsa intellectio vel intellectio subsistens sive actus purus intelligendi; actus autem purus intelligendi infinitus est; iamvero quaevis intelligentia creata finita est; ergo. — Praeterea ad talem futurorum cognitionem requiritur, ut eadem futura quadam ratione in essentia cognoscentis contineantur sive formaliter, sive eminenter, sive repraesentative; hoc autem iterum infert infinitam cognoscentis perfectionem; ergo creaturae eo ipso ab hac cognitione excluduntur. — Denique intellectus creatus, ut cognoscere possit, ab obiecto determinari vel saltem aliquo modo cum eo coniungi vel connecti debet; atqui futura libera, cum nondum existant, ad sui cognitionem immediate determinare non possunt; neque mediate per rem iam nunc existentem eam determinationem exserere vel cum intellectu coniungi possunt, quia futura libera, utpote in nulla causa determinata, cum nulla re existente determinatam connexionem habent; nulla igitur ratione ullam cum intellectu creato coniunctionem habent; quare ab eo cognosci nullo modo possunt.

Excipi posset primo ex certitudine morali, quippe qua 17.
ex legibus moralibus vel psychologicis humanae naturae quidam effectus liberi certo a creato quoque intellectu praecognosci possunt. — *R.* Haec difficultas primo tantum refertur ad cognitionem actionum liberarum, quae a creaturis procedunt; effectus vero liberos, qui immediate a solo Deo producuntur, non respicit. Praeterea moralis illa certitudo non extenditur ad actus, ad quos nulla inclinatio in causa de praesenti conspicitur. Tertio certitudo eadem tantum eventus proxime futuros respicit, quippe quae ab adiunctis multipliciter et continuo mutabilibus plane dependeat. Quarto

eadem versatur solum circa homines bene notos, nulla vero ratione in plerisque saltem casibus ad homines in futuro existentes se extendit. Denique quinto certitudo moralis plerumque non est absoluta, sed solum hypothetica.

Secundo excipi potest malos spiritus in liberam hominis voluntatem influere ideoque ex hoc suo influxu liberos hominum actus praedicere posse. — *R.* Primo daemones non possunt vel a Deo non permittuntur talem influxum in hominum voluntatem exercere, ut actus liberi determinati infallibiliter sequantur; solus enim Deus liberae voluntati dominetur. Itaque infallibiliter certa nequaquam erit talis spirituum praedictio. Praeterea eventus liberi, ex quorum praedictione infra veritas religionis christianae demonstrabitur, tales sunt, qui a malis spiritibus non procedere facile intelligantur, ut constantia martyrum, perseverantia cultus christiani aliaque multa. Denique praetermittendum non est, hac quoque exceptione praedictiones effectuum divinitus patratorum nullatenus tangi.

18. *2. Ex communi populorum consensu.* — Apud omnes scilicet gentes haec persuasio viguit, futura contingentia a sola divinitate sciri et praedici posse. Testis v. g. est *Cicero*, qui antiquorum sapientum adagium referens: „si quidem, inquit, ista sic reciprocentur, ut et si divinatio sit, dii sint, et si dii sint, sit divinatio“ (De divin. l. 1. c. 5). Et alio loco eiusdem operis scribit: „Vetus opinio est, iam usque ab heroicis ducta temporibus eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci μαντικήν appellant, id est, praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quaedam res et salutaris, si modo est ulla; quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci ut Plato interpretatur, a furore duxerunt“ (ib. l. 1. c. 1).

19. *3. Theologice ex s. Scriptura et ss. Patribus.* — Etenim tum s. Scriptura tum ss. Patres futurorum liberorum praescientiam divinitatis praerogativam esse declarant. Ita v. g.

legitur: „*Annuntiate, quae ventura sunt in futurum et sciemus, quia dii estis vos*“ (Is. 41. 23; cf. 46, 9); et iterum: „*Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*“ (2. Pet. 1, 21.) SS. Patrum vero doctrinam brevi formula complexus est *Tertullianus:* „Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis“ (Apol. c. 20).

Assertio tertia: Deus futura libera revelare potest.

Probatur ex consonantia talis revelationis cum divinis **20.** *attributis.* — Etenim 1. *physicam potentiam* talis revelationis Deo competere, manifestum est ex iis, quae supra de possibilitate revelationis in genere explicata sunt. (cf. th. 14.)

2. Deinde revelatio futurorum liberorum *non pugnat cum sapienta divina,* eo quod libertatem humanam tollat. Etenim primo multae prophetiae non ad actiones liberas hominum, sed ad effectus divinitus productos referuntur, ut v. g. praedictiones miraculorum, quae in ecclesia catholica patrantur. — Praeterea eae quoque prophetiae, quae ad liberas hominum actiones referuntur, non magis reipsa libertatem humanam laedunt, quam ipsa praevisio divina, quia sicuti haec, ita et praedictio libertatem actionis non tollit, sed potius supponit. — Quod deinde dicunt, saltem eum iam liberum non esse in sua actione, qui eandem divinitus praedictam esse noverit, item frustra et falso asseritur. Etenim imprimis saepe evenit, ut ipse, qui actionem liberam praedictam ponit, eam praedictam esse nesciat. Ceterum etsi praedictam sciat, tamen libere eam ponere potest. Ita v. g. qui ad religionem catholicam convertitur, libere sane eam amplectitur, etsi conversio praedicta fuerit et conversus eam praedictionem noverit. Denique absurde timeretur, ne prophetia aliqua ab hominibus impediri possit. Dei enim omnipotentiae et infinitae sapientiae media deesse non possunt, quibus homines ad prophetias libere implendas commoveat. Exemplum praeclarum praebet Iulianus Apostata, qui prophetiam de ruina urbis Hierosolymitanae falsitatis convicturus et Iudaeorum templum reaedificaturus

misere hallucinatus est, et ipsis suis absurdis conatibus ansam praebuit, ut vel ipsa fundamenta urbis reliqua penitus diruerentur adeoque prophetia ad litteram impleretur nec lapide super lapide relicto.

21. 3. Denique prophetia potius *sapientiam divinam maxime commendat.* Etenim primo omniscientia divina splendide manifestatur: praeterea cum natura hominis prophetia egregie convenit, quippe qui naturali desiderio in futurorum cognitionem fertur; deinde religionem promovet, quia ad Deum colendum, ad minas Dei timendas, ad praemia speranda hominem excitat; denique, quod caput est, revelationem tamquam sigillum divinum confirmat.

Corollarium.

22 *Prophetia relativa quoque possibilis est.* — Ratio assertionis eadem fere est vel similis, propter quam admittenda sunt miracula relativa. Etenim sicuti spiritus puri creati efficere quaedam possunt, quae humanam potentiam superant, ita praevidere quoque et praedicere plura possunt, quorum cognitio humanam intelligentiam excedit; intellectus enim angelicus intellectu humano longe perfectior est. Itaque

1. Cum angeli multo perfectiorem, quam homo, mundi sensibilis cognitionem habeant, ex dispositione et adiunctis causarum physicarum effectus naturales necessarios praecognoscere possunt, ad quorum cognitionem homo naturaliter non pertingit; quales sunt terrae motus, apparitio cometarum, morbi, tempestates aliaque similia, quae homo aut omnino non praevidet aut aliquando tantum cum parva quadam probabilitate coniicere potest.

23 2. Praeterea fieri quoque absolute potest, ut aliquando effectus praedicant, quos sive permittente sive ordinante Deo ipsi aut homines ipsis instigantibus producturi sint. Quod tamen tales hominum ab ipsis instigatorum actus attinet, animadvertendum est, spiritus liberae hominis voluntati non ita dominari, ut eum certo et infallibiliter ad aliquid adigere possint, quia id hominis immediatae in Deum ordinationi et divinae providentiae repugnaret atque cum conscientiae

testimonio non convenit. Quare quoad tales actus spirituum praedictio vix unquam potest esse plane certa.

3. Deinde, cum celerrimo ex uno spatio in aliud transire possint, ea hominibus nuntiare valent, quae in valde dissitis regionibus acciderunt, ut infortunium, mortem hominis noti aliaque eius generis.

4. Item per externa indicia, ut vultus compositionem 24.
corporis motus, sensibiles imaginationis species, externas actiones valde probabiliter conicere posse videntur, quae homo intrinsecus animo volvat. Si enim iam homo externis indiciis ad interna alterius hominis sensa concludere potest, a fortiori id spiritui puro tribuendum est. Verum talis cognitio vix unquam plenam secretorum cordis perspectionem attinget.

5. Denique sicuti homines sagaces saepe ex populi indole, ex rerum publicarum statu, ex morum conditione aliisque similibus adiunctis eventus liberos quoque aliquando cum magna probabilitate praesagire possunt, ut bella, seditiones aliaque eiusmodi, ita spiritibus potentia talis cognitionis et praedictionis a fortiori tribuenda est. Et quidem spiritibus talis cognitio extensive et intensive maior quam sagacissimo cuique homini adscribenda est, quia hominum indolem passiones, adiuncta, in quibus versantur, multo magis perspecta habent.

Quae cum ita sint, manifesto constat, spiritus ea prae- 25.
cognoscere et praedicere posse, quae hominum sagacissimorum quorumque intelligentiam plane fugiant. Qua vero ratione mira ab angelis patrata miracula relativa, ea autem, quae a daemonibus fiunt, prodigia dicuntur, eadem fere de causa praedictiones angelorum prophetiae relativae, eae autem, quae a daemonibus fieri possunt vel fiunt, divinationes vel prophetiae secundum quid vel falsae prophetiae vocantur. Videlicet praedictiones daemonum regulariter non divinitus neque in bonum finem fiunt, neque igitur testimonii divini rationem induunt. „Ipsa revelatio facta, inquit *S. Thomas*, per daemones potest secundum quid dici prophetia. Unde illi, quibus aliquid per daemones revelatur,

non dicuntur in Scripturis prophetae simpliciter, sed cum aliqua additione, puta prophetae falsi vel prophetae idolorum. Unde Augustinus 12. super Genes. ad litt. cap. 19. circ. fin.: Cum malus spiritus arripit hominem in haec, sc. visa, aut daemoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas" (2, 2. q. 172. a. 5).

Articulus secundus.

De prophetiae cognoscibilitate.

Thesis 32. Vera prophetia certo cognosci et a falsis discerni potest.

Declaratio.

1. *Status quaestionis definitur.* — Quemadmodum miraculorum, ita et prophetiarum triplex veritas distinguenda est: historica, philosophica, relativa; triplex igitur cognoscibilitas quoque discerni debet. Iam in praesenti articulo, qui una hesi facile absolvitur, de cognoscibilitate veritatis historicaet et philosophicae agendum est; cognoscibilitas enim veritatis relativae ex sequenti articulo manifesta erit. Consideratur autem in praesenti prophetia, ut est eventu impleta, quia ut talis sane revelationis criterium constituit. Iam itaque veritas prophetiae historica in eo est, quod reipsa praedictio facta et praedictionem eventus secutus est; veritas vero philosophica dicit, praedictionem vel praedictionis cum eventu conformitatem neque hominibus neque daemoni adscribi posse, sed Deo attribuendam esse. Quare thesis demonstratio in duas assertiones commode dividitur.

Demonstratio.

Assertio prima: Constare potest certo de veritate prophetiae historica.

2. *Probatur ex ipsa prophetiae indole.* — Tria considerari possunt quoad veritatem prophetiae historicam: praedictio, eventus, conformitas inter praedictionem et eventum. Atqui de his tribus constare aperte potest; ergo.

Probatur minor. 1. Certa nobis esse potest ipsa praedictio; etenim sicuti generatim de aliquo testimonio certitudo historica haberi potest, ita etiam de tali praedictione historice certo constare potest, quia sub hoc respectu non est alia ratio enuntiationis propheticae, quam cuiuscunque alterius. Imo facilius de prophetica enuntiatione constare potest, quia talis praedictio magis quam aliae hominum enuntiationes attentionem provocat et investigationem instigat.

2. Non autem tantum de praedictione, sed etiam eventum praedictum reipsa secutum esse certo constare potest: etenim talis eventus non magis certitudini historicae repugnat, quam quivis alius, praesertim, cum plerumque sit sensibilis. 3.

3. Denique certitudinem haberi posse de conformitate inter eventum et praedictionem, profecto etiam evidens est, quia non maior difficultas hac in re occurrit, quam in quolibet testimonio historico verificando. Et sane non multum refert hac in re, utrum iidem homines tum praedictionis tum eventus, an vero alii praedictionis, alii eventus testes fuerint.

Atque hac brevis demonstratio hic sufficit, cum de cognoscibilitate veritatis historicae prophetiae non aliter iudicandum sit, quam de cognoscibilitate veritatis historicae miraculorum, de qua supra (Th. 28) abunde dictum est

Assertio secunda: De veritate prophetiae philosophica quoque certo constare potest.

1. Probatur quoad prophetias absolutas. — De veritate philosophica prophetiae absolutae constat, si praedictio vera eventus reipsa secuti nec scientiae humanae vel diabolicae nec casui vel coniecturae adscribi potest. Iamvero eventus futuris liber a nulla intelligentia creata certo cognosci potest, ut supra ostensum est; atque imprimis hoc dicendum est de eventu post plura saecula implendo, qui simul plures actus liberos complectatur, cuius tempore praedictionis nulla spes affulgeat vel nulla formido terreat, qui non conveniat 4.

hominum inclinationibus, sed potius ipsis sit oppositus, si varia et certa eiusdem eventus adiuncta simul praedicantur, si ipse eventus in se spectatus omnes vires creatas plane excedat. Certe si talis eventus sit praedictus et reipsa impletus, certo certius eius praedictio intelligentiae creatae adscribi non potest. — Neque vero casui vel coniecturis talis praedictio attribui potest, praesertim si eventus sit absimilis et ab exspectatione alienus, si seriem actuum liberorum complectatur, si adiuncta praedicantur plura et determinata, si eventus sit contra naturalem hominum indolem si vires creatas excedat. Probabilitas enim, talem eventum casu vel coniectura praedici posse, infinite parva proindeque nulla est. — Tales eventus v. g. sunt excidium urbis Hierosolymae, martyrium innumerorum christianorum, trina Petri negatio, propagatio religionis christianae, miracula in decursu saeculorum in favorem religionis christianae patrata, aliaque plura.

5. 2. *Probatur quoad prophetiam relativam.* — Cum tales praedictiones, quo hominum intelligentiam excedunt, a daemone quoque edi possint, imprimis hic quaeritur, quomodo prophetiae relativae divinitus factae a daemonum divinationibus discernantur; a coniecturis enim eadem ratione ac prophetiae absolute discerni possunt. Iamvero ad prophetias relativas a divinationibus discernendas sola adiuncta moralia inserviunt, quae tamen in prophetiis absolutis quoque discernendis considerationem merentur. Itaque

a) Falsa est et perversa prophetia, quae primo adversatur certis miraculis, certis aliis prophetiis, doctrinae aliunde certae, bonis moribus, rectae rationi; Deus enim sibi contradicere non potest. Falsa item est, quae ad malum finem edatur, ut v. g. ad curiositatem pascendam, quae vanitatem aliasque malas passiones foveat; Deus enim hominum vitia speciali auxilio non promovet. Praeterea falsa est, quae edatur ab homine malo, qui Dei legatum se iactat: etsi enim Deus in singulari aliquo casu homine malo ad prophetiam edendam uti possit, attamen nunquam id facere potest, si homo malus et falso Dei legatum se iactans

hanc suam falsam auctoritatem prophetia confirmare velit. Denique falsa habenda est regulariter prophetia, quae est ambigua, aequivoca, prorsus obscura; saltem de tali prophetia dubium est, an divinae originis sit.

6. b) Econtra ut vera et divinitus facta consideranda est prophetia, quae primo cum Dei perfectionibus nulla ex parte pugnet, miraculo confirmetur vel a vero Dei legato itamquam vera exhibeatur; atque talis prophetia, ut elucet am ante eventum vera esse cognoscitur. Secundo signum veritatis prophetiae est, si adiuncta consona sint bonis moribus, sanae doctrinae, rectae rationi; si tertio ad bonum finem edatur, virtutem foveat, a vitiis abstrahat, si edita sit ab homine bono, qui Deum timeat, si sit determinata, non ambigua nec aequivoca. His indiciis, praesertim si simul adsint, satis certo divina praedictiones origo cognosci potest.

7. Atque his criteriis moralibus reipsa veras prophetias relativas imprimis a falsis discerni posse, dubitari non potest. Etenim prophetiae talis indolis, quae scientiam cuiuscunque hominis longe superant, etsi relativae tantum sint, a daemone edi non possunt, quin ab hominibus quoad suam originem cognosci possint, cum Deus pro sua sanctitate, bonitate, sapientia, veracitate permittere non possit, ut morali necessitate daemonis fallaciis ad errores et malum perducamur. Quare criteria hominibus suppeditari debent, quibus falsae prophetiae a veris discernantur; praetermissa, vero speciali illustratione divina alia criteria quoad prophetias relativas saltem non exstant, nisi ea, quae modo adducta sunt; ergo.

Notandum vero est, Deum aliquando pseudoprophetis quoque uti posse, ut vera praedicat; qua ratione egit cum Balaam (Num. 22). Quo in casu tamen cognosci semper poterit, non daemonis sed Dei auctoritate et instigatione talem vatem loqui, ut vel ex ipso illo exemplo manifestum est.

Scholia quaedam.

8. *1. De oraculis ethnicorum.* — Inter veras prophetias et ethnicorum oracula manifestum est discrimen ita, ut absurdum sit, haec cum illis aequiparare. Etenim

a) Nullus nexus inter diversa illa oracula conspicitur, dum vaticinia messiana v. g. aptissime cohaereant atque in integrum systema coalescant, cuius singula membra gradatim quasi progrediendo magis magisque futurum Salvatorem splendida luce circumfundant.

b) Oraculis ethnicis eventus proxime instantes praedici solebant, qui facile coniecturis suspicari poterant; econtra autem verae prophetiae, quibus veritas religionis christianae comprobatur mille et ultra annis eventus praecesserunt.

c) Oracula illa antiqua plerumque valde ambigua erant, ita ut vera viderentur, quodcunque sequeretur; quod testatur v. g. *Cicero:* „Sed iam ad te venio, sancte Apollo . . . tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortem, partim ambiguis et quae ad dialecticam referenda sint" (De divin. l. 2. c. 56); praeterea alia multiplices fraudes in iisdem a sacerdotibus idololatris exercebantur. Verae prophetiae econtra plerumque saltem clarae sunt et determinatae, ut v. g. in multis N. T. vaticiniis aperte apparet, in quibus neque fraudis ullius suspicio moveri potest. Conferatur Eusebius (Praepar. ev. l. 5. c. 29. ss), qui pluribus exemplis illorum oraculorum ambiguitatem illustrat.

9 d) Deinde oraculis iisdem nulli eventus praenuntiati sunt, quorum praedictio prophetiam absolutam constituat, cum econtra sacra Scriptura innumera fere vaticinia contineat, quae prophetiae absolutae indolem manifeste prae se ferunt.

e) Praeterea eo quoque illa oracula a veris prophetiis discernuntur, quod editio eorum certis locis alligata erat, quod artificiosam in vate praeparationem exigebat, qui vires

intellectuales deprimebat, dum inferiores, et sensitivas potius excitabat, quod insuper malo saepe fini inserviebat.

f) Si quae praedictiones verae in oraculis ethnicorum occurrant, quae naturaliter explicari non possint, daemoni adscribendae sunt, ut adiuncta relata manifeste ostendant; atque reipsa daemonem quandoque in illis intervenisse, negari vix potest, cum SS. Patres magno consensu id doceant, ut v. g. *Tertullianus* Apol. c. 22. ss; *Lactantius* Divin. inst. l. 4. c. 27; De morte persecutorum c. 10; *Cyprianus*, De idol. vanit. passim.; *Origines* C. Cels. l. 7. c. 4; *Athanasius*, De incarnat. verbi c. 46; *Clemens Alex.*, Strom. l. 3; *Eusebius*, Dem. evang. l. 3. 6; *Cyrillus Hierosolym.* Cateches. mystag. l. 1. c. 8.

g) Denique si forte vera prophetia aliquando in oraculis ethnicis occurrat, non sane ad fovendam paganam superstitionem, sed ad alios honestos fines edita esse censenda est.

2. *De libris Sybillinis.* — Neque cum veris prophetiis collata difficultatem aliquam facessunt vaticinia Sybillarum, quae celebritatem quandam nactae sunt. Sybillae itaque illae virgines prophetissae fuisse dicuntur, quae carminibus eventus futuros nuntiaverint atque de ipso Christo prophetaverint. Libri, qui carmina earum continebant, incendio Capitolii anno ante Christum natum 183. periisse dicuntur, restituti tamen quadantenus videntur esse variorum vaticiniorum collectione, quae in diversis regionibus circumferebantur. Nonnulla fragmenta apud veteres scriptores inveniuntur, atque SS. Patres non raro ad vaticinia illa Sybillina provocarunt. Sobrium de illis vaticiniis iudicium his tribus contineatur necesse est: a) Vix quidquam hac in re historice certum est. b) Plura, quae vaticinia Sybillina vocata et circumlata sunt, certo falsificata et interpolata sunt. c) Denique quidquid est de illorum vaticiniorum genuinitate, nihil ex ipsis colligi potest, quod S. Scripturae prophetiis detrahat, cum SS. Patres iis potius usi sint ad revelationem christianam confirmandam. Cf. *Lactant.*, Instit. div. l. 1. c. 6. et *Prudent. Maranus*, Praefat. ad Iustini opera; Oracula

Sybillina edit. *Friedlieb.; Lüken.* Die sybillinischen Weissagungen; *Wilmers.* de relig. revelat. n. 318.

11 *3. De praevisionibus praedictionibusque, quas somnambulismi et spiritismi experimentis tribuunt.* Recentiori tempore contra prophetias imprimis urgent visiones atque praedictiones, quae in somnambulismi et Spiritismi experimentis accidere feruntur. Verum plane absonum est, quacunque ratione illa phaenomena cum veris prophetiis aequiparare. Etenim omnia fere hic consideranda sunt, quae modo (n. 8. 9.) de ethnicorum oraculis, et quae supra (th. 29. n. 19.) iam de magnetismi et spiritismi phaenomenis cum miraculo collatis observata sunt. Imprimis vero haec notanda sunt:

a) Multa facta, quae referuntur, historica certitudine plane carent atque fraudibus necnon errori originem suam debent.

b) Facta vero alia, de quibus quidem historice constat, naturaliter explicari possunt; ut v. g. praedictiones morborum, mortis aliorumque similium eventuum, qui in causis suis iam determinati sunt idcoque facultate cognoscitiva specialiter excitata in iisdem causis praevideri possunt.

12 c) Si quae facta naturaliter explicari certo non possint, sine dubitatione daemoni adscribenda sunt; etenim a prophetiis divinis praedictiones istae penitus discernuntur. Primo nulla in illis experimentis occurrit praedictio, quae indolem prophetiae absolutae habeat. Praeterea cum in prophetica cognitione conscientia retineatur et mens elevetur, in experimentis illis mens potius deprimitur, conscientia sopitur, generatim facultates superiores atque ipsa imprimis libera voluntas saepe impediuntur, imo penitus vinciuntur. Denique cum per veras prophetias timor Dei atque amor eius foveantur et promoveantur, experimentis illis et praedictionibus in iisdem occurrentibus vitia ut vanitas, curiositas, sensualitas aliaque similia foventur atque pascuntur. *G. Becker,* Die Weissagungen p. 158 ss; *Gutberlet,* Apologetik 2. Bd. p. 147 ss.

Articulus tertius.

De prophetiis, ut sunt criterium divinae revelationis.

Thesis 33. Prophetia ad divinam doctrinae religiosae originem confirmandam edita, absque dubitatione divinae huius originis luculentum argumentum est.

Declaratio.

Sensus thesis definitur. — Quae supra, cum de mira- 1.
culorum vi probativa agebatur (th. 30. n. 1.), notata sunt ad statum quaestionis determinandum, eadem hic quoque considerandа sunt atque valent. Itaque prophetia tunc quidem luculentum revelationis argumentum est, si ita vel explicite vel implicite in revelationis confirmationem edita est, ut nulla rationabilis esse possit suspicio, eandem in alium finem esse prolatam. Totus articulus una thesi commode absolvitur, cuius demonstratio tum philosophice tum theologice instituenda est.

Demonstratio philosophica.

Probatur iisdem argumentis, quibus supra (thes. 30.) 2
ostensum est, miraculo rationem criterii revelationis convenire. — Cum miraculi et prophetiae sub ratione criterii revelationis eadem fere sit consideratio, demonstrationem de miraculis factam huc adaptare et compendio referre sufficit. Itaque Deus homini futura libera revelare non potest, cum videt, eundem tali revelatione prophetica ita ad falsam religionem confirmandam abusurum esse, ut hominibus moraliter impossibile sit in re tam gravis momenti perniciosum errorem vitare; etenim:

1. Ut miraculum, ita prophetia quoque est effectus mirabilis a Deo solo procedens, atque medium est, quo Deus homines alloquitur, necnon sigilli divini manifestam rationem habet.

2. Quemadmodum miraculum aptissimum medium est, quo legatus Dei apud coaevos suos divinitus confirmetur,

ita prophetia eosdem legatos apud generationes futuras aptissime divinitus approbare valet, quippe quae coram se suis oculis prophetias antea praedictas iam nunc impletas cernunt.

3. Cum prophetia semper et ubique ab omnibus gentibus habita sit tamquam manifesta tessera divina eius religionis, in cuius confirmationem edita est. Deus profecto homines decipere dicendus esset, si prophetiam in falsae religionis confirmationem fieri permitteret; ergo.

Demonstratio theologica.

4. Paucis thesin probare expedit argumentis theologicis, quibus simul sane tum cognoscibilitas tum possibilitas prophetiae evincuntur. Itaque:

1. Probatur ex s. Scriptura. — Et quidem a) In Antiquo Foedere Isaias propheta ipsum hoc argumentum adhibet, i. e. tum ex prophetiis revelationis veritatem probat, tum ex defectu earum cultus idolorum falsitatem ostendit: „*Accedant*, inquit *et nuntient nobis, quaecunque ventura sunt: priora, quae fuerunt, nuntiate, et ponemus cor nostrum et sciemus novissima eorum; et quae ventura sunt annuntiate nobis. Annuntiate, quae ventura sunt in futurum et sciemus, quia dii estis vos*“ (41, 22. 23). Et alibi: „*Recordamini*, ait *prioris saeculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus nec est similis mei: annuntians ab exordio novissimum et ab initio, quae nondum facta sunt*“ (46, 9. 10). — Deinde Moyses quoque, ut divinam suam legationem probaret, coram populo Israelitico praedixit, Dathan et Abiron in criminis sui poenam subita et terrifica morte interituros esse: „*Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me . . . . Si consueta hominum morte interierint . . . . non misit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos . . . . scietis, quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur, ut cessavit loqui, disrupta est terra . . .*“ (Num. 16, 28 ss.).

5. b) Deinde in Novo Testamento ipse Christus veritatem suae missionis ad prophetias, quas emisit, appellando con-

firmat: „*Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum*“ (Ioan. 13, 19, cf. 14, 29). Apostoli autem Christo fidem adhibebant ob adimpletas prophetias ab ipso editas: „*Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturae et sermoni, quem dixit*“ (Ioan. 2, 22). Deinde S. Petrus diserte docet, propheticum sermonem revelationis criterium esse certum: „*Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris. . . . Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*“ (2. Pet. 1, 19. 21).

6. *2. Ex s. Patribus.* — SS. Patrum doctrina est nimis manifesta, quam ut multis in ea immorari oporteat. Omnium sententiam enuntiat *Tertullianus:* „Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis“ (Apol. c. 20). — *Augustinus* vero: „Videtis certe, inquit, quemadmodum praedictionem doctrinae apostolicae propheticum testimonium comitetur. Ut enim non contemnerentur, neque fabulosa ducerentur, quae Apostoli annuntiabant, daemonstrabantur haec a prophetis ante fuisse praedicta; quia etsi attestabantur miracula, non defuissent (sicut etiam nunc adhuc quidam mussitant), qui magicae potentiae cuncta illa tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur. Magicis enim artibus, longe antequam nascerentur, prophetas sibi constituere, a quibus praenuntiarentur, nemo utique diceret“ (C. Faust. Manich. l. 12. c. 45). — Denique, ut ex graecis quoque Patribus unus audiatur, *Cyrillus Alex.* in verba Christi de traditore: „Acriori, inquit, illa increpatione eos cum ad congruentem vigilantiam excitat, tum efficit, ut singuli sibi magis caveant . . . Quin etiam aliud quiddam praestabat, quod ad discipulos in fide confirmandos conduceret. Nam quia illi scire se et constanter credere asseruerunt ipsum filium Dei esse, res futuras sibi perspectas esse declarat, ut hinc quoque certam esse illorum confessionem ostenderet. Nulli enim alii, quam uni ac soli naturali Deo

futura nosse convenit. de quo et scriptum est: *qui novit omnia, antequam fiant* (In evangel. Ioan. l. 4. c. 4).

Scholia.

7. *1. De prophetia comminatoria vel conditionali.* — In s. Scriptura Veteris imprimis Foederis prophetiae quaedam occurrunt, quae adimpletae esse non videntur; quare obiiciunt prophetiae falsum subesse posse proindeque eidem rationem criterii revelationis non convenire. Verum respondetur, tales prophetias conditionem aliquam inclusisse, quae cum non verificaretur, nec ipsa prophetia est impleta, quin ideo ulla ratione falsitatis argui possit. Etsi enim conditio prophetiis illis expresse non sit apposita, attamen in eadem includi vel supponi ex adiunctis sufficienter intelligitur. Huc fere redit egregia *S. Thomae* explicatio, quam huius rei tradit in 2. 2. q. 171. a. 6 ad 2um ubi hanc obiectionem refert: „Isaias prophetice praenuntiavit Ezechiae dicens: ‚*Dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives*‘; et tamen additi sunt vitae eius postea quindecim anni, ut habetur 4. Reg. 20, 7. et Isaiae 38, 1. Similiter et Ierem. 18, 7. Dominus dicit: ‚*Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.*‘ Et hoc apparet per exemplum Ninivitarum, secundum illud Ionae 3, 10: ‚*Misertus est Dominus super malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.*‘ Ergo prophetiae potest subesse falsum.“ (2). — Respondet autem: „Divina praescientia respicit futura secundum duo: scilicet secundum quod sunt in seipsis, in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur; et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in seipsis, sint determinata ad unum, tamen, prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino coniungatur, non tamen coniungitur semper in revelatione prophetica, quia

impressio agentis non semper adaequat eius virtutem. Unde quandoque revelatio prophetica est impressa quaedam similitudo divinae praescientiae prout, respicit ipsa futura contingentia in seipsis: et talia sic eveniunt, sicut prophetantur, sicut illud Is. 7. 14: ‚*Ecce virgo concipiet.*' Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinae praescientiae, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus: et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetatur: nec tamen prophetiae subest falsum: nam sensus prophetiae est, quod interiorum causarum dispositio sive naturalium, sive humanorum, actuum hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et secundum hoc intelligitur verbum Is. 38, 1 dicentis: ‚*Morieris et non vives*', id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur: et quod dicitur Ionae 3, 4: ‚*Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*': id est, hoc merita eius exigunt, ut subvertatur. Dicitur Deus autem paenitere metaphorice, in quantum ad modum paenitentis se habet, prout scilicet mutat sententiam, etsi non mutet consilium" (ad 2).

8. *2. De relatione miraculorum et prophetiarum ad invicem.* — Quae sparsim in duabus ultimis quaestionibus de habitudine miraculorum et prophetiarum ad invicem dicta vel indigitata sunt, claritatis causa hoc loco in summam breviter redigere expedit. Itaque:

a) Prophetia est aliqua quasi species miraculi; sicuti enim miraculum est effectus divinitus praeter naturae ordinem in mundo materiali productus, ita prophetia dicit cognitionem, quae est divinitus effecta praeter ordinem et leges intellectionis creatae.

b) Uterque hic effectus supernaturalis rationem criterii revelationis habet, aliter tamen et aliter; miraculum enim statim cum patratur, evidens doctrinae vel revelationis propositae argumentum est; prophetia vero in duplici temporis differentia consideranda est, scilicet cum editur et cum completur. Iamvero prophetia per se spectata tantum eo tempore, quo eventus praedictus seculus est, vim probandi habet; antea vero sub hoc respectu valorem nullum habet;

nisi de eius veritate aliunde, ut v. g. per miracula in eius confirmationem patrata, certo constet.

c) *Miracula et prophetia se invicem confirmare possunt et reipsa saepe confirmant.* — Etenim primo, ut modo dictum est, per miracula veritas praedictionis confirmatur, antequam ipsa praedictio sit impleta. — Praeterea si prophetia tempore praeterito edita praedictum sit miraculum praesenti tempore patrandum, eo ipso, quod miraculum nunc patratur, prophetiae veritas egregia ratione confirmata est, non solum, quia praedictio est simpliciter impleta, sed quia miraculi patratione est impleta; cum enim solus Deus miraculum patrare possit, nulli intellectui creato suspicio talis eventus venire potuit, vel nulla naturali ratione impletio praedictionis explorari potest. — Denique prophetiae Christi Domini, cum eas continuo adimpleri praesentes videmus, certum argumentum nobis sunt, mirabilia opera, quae patravit, miracula fuisse vera et proprie dicta. Huc pertinet S. Chrysostomi egregia expositio, quae supra (thes. 30. n. 13.) allata est.

Corollarium.

9. *Miraculis et prophetiis egregia existentiae Dei quoque demonstratio continetur.* — Etenim a) miraculum, cum sit opus sensibile ordini naturae physico derogans, causam efficientem postulat, quae ordini naturae physico legibusque physicis non sit subiecta, sed iisdem dominetur; cum praeterea miracula fiant vel praeter vel contra vel supra naturam, item causam efficientem postulant, quae independens est in operatione a naturali substantiarum sensibilium potentia. Atqui causa efficiens, quae legibus physicis non est subiecta, sed iisdem dominatur, non est nisi principium ordinans vel ordinator mundi, et item causa, quae in sua operatione independens est a naturali substantiarum sensibilium potentia, necessario est ipse mundi creator; iamvero qui creator et ordinator mundi est, Deus vocatur et est; ergo Deus existit.

b) Adimpletio prophetiae stricte dictae vel praedictionis futurorum liberorum, cum quid positivum sit, rationem suffi-

cientem postulat. Atqui ratio sufficiens non continetur in casu vel fato, neque posita est in industria hominum, neque invenitur in mente finita; quae quidem omnia supra probata sunt; ergo prophetiae ratio sufficiens in sola intelligentia infinita invenitur; ergo existit intellectus infinitus; ergo existit Deus.

Atque his assertio posita certo demonstratur; ceterum eadem insuper ab ipso Concilio Vaticano egregie confirmatur, quippe quod doceat miraculis et prophetis „*Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrari*" (Cap. 3. de fide).

Quaestio septima.

De evangelicae historiae veritate.

Articulus primus.

De testimonio ipsorum evangeliorum.

Thesis 34. Veritas historiae evangelicae imprimis ex libris evangeliorum validissime demonstratur.

Cf. *Schanz*, II., p. 686 ss. — *Esser-Mausbach*, II. pars 1a — *Hettinger*, 290 ss. et al.

Declaratio.

1. Ambitus demonstrationis christianae subsequentis definitur. — Criteriis revelationis vel verae religionis explicatis restat, ut per eorundem applicationem religionis christianae divina origo atque veritas infallibilis demonstretur. Etenim quamvis praeter religionem christianam plures alia in orbe terrarum existant, ut multiplices gentilium cultus atque Muhamedanismus et Iudaismus, merito tamen consideratio nostra atque inquisitio statim ad religionem christianam diriguntur, I.

tum quia haec in toto mundo tanto splendore fulget, ut omnium oculos percellat, tum quia demonstrata eiusdem veritate ac divina origine falsitas ceterarum religionum eo ipso indirecte probata est, atque directe quoque, si oporteat, commode demonstratur. Iamvero in vera religione revelata et christiana triplex stadium vel triplex quasi forma distingui debet: Prima est religio primaeva vel revelatio protoparentibus et patriarchis facta, quae pro Iudaeis ad Moysen usque, pro gentibus vero usque ad christianae legis promulgationem perseveravit; qua revelatione futurum regnum Messianicum Novi Testamenti supremis quasi lineamentis adumbratum fuit. Secunda est religio mosaica vel revelatio a Deo per Moysen facta atque soli Israelitarum populo imposita, quae per Christum iam abrogata est; per hanc religionis vel revelationis oeconomiam regnum Messianicum procedente tempore magis magisque praeparatum atque praefiguratum est. Denique tertia eiusdem religionis forma est religio vel revelatio christiana proprie dicta, per Christum in plenitudine temporis instituta; quae est ipsum regnum Messianicum et ad omnes gentes omnesque homines dirigitur, atque ad saeculi consummationem usque duratura est. Cum autem talis sit religionis revelatae indoles, eadem in triplici illo stadio inquiri et demonstrari posset, imo investigatio revelationis in duobus primis stadiis multum ad demonstrationem christianam conferret, atque insuper tali inquisitione divina misericordia, sapientia, providentia circa genus humanum omni ex parte in plena sua luce poneretur. Verum tum quia talis investigatio longior est, tum quia in historia sacra quoad praecipua capita instituitur, tum denique quia non est omnino necessaria, cum ex demonstrata religionis christianae veritate veritas revelationis primitivae et mosaicae immediate consequatur: inquisitionem nostram ad religionem christianam proprie dictam coarctamus ita, ut ex notis et sigillis, quae huic religioni divinitus adnexa sunt, divinam eius originem, quo validius fieri potest, demonstremus.

2. *2. Praesentis quaestionis argumentum et divisio.* — Cum argumenta potiora, quibus divina religionis christianae origo

atque veritas demonstratur, magnam partem imprimis ex historia evangelica i. e. vitae Christi Domini et fundationis ecclesiae historia petenda sint, priusquam ipsa illa demonstratio christiana instituatur, veritas historiae evangelicae vindicanda est, cuius summa hisce continetur: *Iesus Christus auctor religionis est, quae ab ipso nomen christianae habet. Sub imperio Augusti et Tiberii in Iudaea inter homines versatus aliqua eos doctrina magnam partem nova atque ex integro purissima et sanctissima instruxit, quam non suam, sed Dei Patris ipsum mittentis esse affirmavit. Hanc vero suam divinam legationem sanctissima vita, stupendis miraculis, insignibus prophetiis aliisque argumentis divinis confirmavit. Odio dein adversariorum suorum in crucem actus acerbissima morte obiit, a morte autem gloriosus surrexit et in coelum ascendit, postquam ad conservandam et propagandam doctrinam suam atque institutionem electos discipulos suos legatos constituit iisque et eorum successoribus opus suum commisit.* — Iam veritas huius historiae evangelicae triplici praesertim ex fonte demonstrari potest: primo ex libris evangeliorum, secundo ex testimoniis Gentilium et Iudaeorum, tertio ex ipsius christianae societatis per duo fere annorum milia iam existentis testimonio. Secundum triplicem vero hanc demonstrationem quaestio praesens, quae tota in veritate historiae evangelicae vindicanda versatur, in tres articulos dividitur:

Articulus primus: De testimonio evangeliorum.
Articulus secundus: De testimonio Gentilium et Iudaeorum.
Articulus tertius: De testimonio ipsius christianitatis.

3. Scopus primi articuli. — Plures auctores, ut historiae evangelicae veritatem ex evangeliorum libris demonstrent, triplicem probationem instituunt: primo libros illos esse *genuinos* i. e. reipsa ab illis auctoribus scriptos, quorum nomina prae se ferunt, scilicet a SS. Matthaeo, Marco, Luca Ioanne; secundo probant libros evangeliorum esse *integros* i. e. quoad substantiam saltem non interpolatos aut imminutos, sed incorruptos; tertio denique ostendunt illos libros 3.

authenticos esse, i. e. propter auctorum scientiam et veracitatem plenam fidem mereri ideoque certissimum veritatis argumentum praebere. Iamvero primum et secundum ex his in Introductione biblica explicari consueverunt; restat igitur, ut hoc loco ex professo tertium demonstretur; atque eo magis praesens inquisitio ad authentiam restringi potest, quod demonstratio eiusdem ad scopum huius quaestionis prorsus sufficit, quippe qui in eo est, ut veritas historiae evangelicae demonstretur.

4. Quae cum ita sint, quod genuinitatem et integritatem attinet, haec *S. Augustini* testimonia ob oculos ponere sufficit, quae satis egregie has ipsas quaestiones illustrant, atque ostendunt, quanta certitudine semper in ecclesia de evangeliorum genuinitate et integritate constiterit. Itaque genuinitatem imprimis comparatione aliqua declarat atque commendat: „Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiusmodi auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi temporum sibi succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt. Unde constat, qui cuiusque sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit, insinuavit, atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cuius quisque liber sit, non haesitemus, quid respondere debeamus?“ (Contr. Faustum l. 33. c. 6). — Scilicet ex continuata historica traditione de evangeliorum genuinitate magis quam de auctore cuiuscunque libri profani constat. Quare contra Faustum qui primus ex rationibus internis futilibus librorum N. T. genuinitatem impugnavit, idem Augustinus indignabundus exclamat: „Infelices inimici animae vestrae, quae unquam litterae ullum habebant pondus auctoritatis, si evangelicae, si apostolicae non habebant? De quo libro certum erit, cuius sit, si litterae quas Apostolorum dicit et tenet ecclesia ab ipsis apostolis propagata et per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum apostolorum sint incertum est?“ (ib.) — Deinde ad integritatem

et genuinitatem simul haec eiusdem *S. Augustini* verba referuntur: „Quis tandem tanto furore coecatur, nisi daemoniorum mendaciloquorum malitiae atque fallaciae consentiendo subversus sit, qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traucerent, cum eorum cathedras usque ad praesentes episcopos certissima successione servaverint, cumque hoc qualiumcunque hominum scriptis, sive extra ecclesiam, sive in ipsa ecclesia tanta facilitate proveniat?" (ib. c. 6) — Atque iterum utrumque complectitur, his verbis universam s Scripturae veritatem contra detractores eiusdem vindicans: „Quid hoc sacrilegio magis impium reperiri potest? Quid ista voce impudentius? quid audacius? quid sceleratius? Simulacrorum cultores, qui Christi etiam nomen oderunt, nunquam hoc adversus Scripturas illas ausi sunt dicere. Consequetur namque omnium litterarum summa perversio, et omnium, qui memoriae mandati sunt, librorum abolitio, si, quod tanta populorum religione roboratum est, tanta hominum et temporum consensione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne historiae quidem vulgaris fidem possit gravitatemque obtinere. Postremo quid de scripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non licet, si contra meam ratiocinationem intentionemque profertur? (De morib. eccl. l. 1. c. 29. n. 60).

Denique ex historia quadam, quam refert S. Augustinus, 5. videre licet, quam studiose non solum episcopi, sed ipsa plebs quoque christiana invigilaverit, ut S. Scriptura integra atque immutata conservaretur. Videlicet S. Augustinus S. Hieronymum quondam rogavit, ut graecam potius Septuagintaviralem s. Scripturae versionem interpretaretur, quam textum hebraeum, ne qua diversitas versionis in ecclesiis oriretur, unde plebs turbaretur; quod periculum reipsa instare, exemplo aliquo illustrat: „Nam quidam, scribit, frater noster Episcopus, cum lectitari instituisset in ecclesia, cui praeest, interpretationem tuam, movit quiddam longe aliter abs te positum apud Ionam prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum, et tot aetatum succes-

sionibus decantatum, Factus est tantus tumultus in plebe, maxime Graecis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur Episcopus (ea quippe civitas erat) Iudaeorum testimonium flagitare . . . Coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe" (Ep. ad Hieronym. 71 cap. 3). Mutatio vero ab Hieronymo inducta minima in eo tantum erat, quod in libro Ionae prophetae cum Aquila *hederam* transtulerat, ubi Septuaginta *cucurbitam* verterant. Iam si propter unius voculae mutationem populus ita concitatus est, repugnat omnino, quominus nemine reclamante in libris Novi Testamenti ullae mutationes substantiales factae sint.

Iam contra Rationalistarum sive fraudulentas sive erroneas impugnationes atque absurdas hypotheses authentia evangelistarum imprimis vindicanda est.

Demonstratio.

6. Tota probatio breviter sic comprehendi potest: De authentia evangelistarum et proinde de historiae evangelicae veritate certo plane constat, si sacri scriptores nec deceperunt nec decepti sunt; atqui nec deceperunt, quia certa est eorum veracitas; neque decepti sunt, quia de scientia eorum nulla potest esse prudens dubitatio. Ergo. Cum maior argumenti sit per se evidens, restat, ut minor probetur, secundum duplicem suam partem.

I. p. Evangelistae non deceperunt, quia certa est eorum veracitas.

7 Haec pars multipliciter demonstrari potest; potissima momenta, ex quibus vel singulis vel omnibus saltem simul consideratis manifeste patet, Evangelistas nec voluisse nec potuisse decipere, his continentur:

I. Noluerunt decipere; etenim

1. Mirabili sinceritate eminent. — Pristinam suam humilem conditionem sine omni tergiversatione exponunt, candide fatentur litteris atque scientiis se imbutos non esse, nullum sibi cum doctis atque eruditis viris commercium intercessisse neque usos se esse consuetudine virorum pri-

mariorum, in rebus politicis et religiosis versatorum. Memorabile exemplum Matthaeus exhibet. Praeterea errores suos patefaciunt, vitia quoque atque peccata, ambitionem adeo humilitati illi oppositam, cuius nunc sunt praecones, incredulitatem mentisque duritiam. Negationem Petri aperiunt, referunt ipsum aliquando a Domino satanam appellatum esse et scandalum. Iamvero talis sinceritas vix quidem aut potius omnino non componitur cum animo decipiendi (Cf. Matth. 17, 18; Marc. 8, 17; Luc. 22, 24). „Nisi sinceri et bona fide fuissent, inquit *Origenes*, de abnegatione Petri, de discipulorum scandalo nunquam fecissent mentionem. Nam etsi haec acciderint, quis ita accidisse probasset? Quin et huiusmodi facta praetermitti oportebat, si quidem evangelii lectores docere vellent, contemnendam esse mortem, cum agitur de christianismi professione. Sed cum scirent vi atque virtute sermonis homines devictum iri, haec memorare non dubitarunt" (C. Cels. 2, 15).

8. *2. Auctores historiae evangelicae in iis, quae ad rei substantiam spectant, mire consentiunt, dum in accidentalibus differant adeo, ut hinc inde sibi contradicere videantur.* — Hinc manifestum est, nullam inter eos conventionem vel conspirationem exstitisse. Haec enim si exstitisset, potius unum historiae corpus ita construxissent, ut singuli partem quandam historiae narrandae, non autem integram sibi explicandam assumpsissent. Deinde conspiratione supposita apparentes antilogiae, quae inter eos constant, explicari nullatenus possunt. Haec enim natura sua firmum argumentum sunt, auctores non voluisse sinceros videri, sed sinceros esse, non veritatis apparentiam sectatos esse, sed ipsi veritati omnem curam adhibuisse. Omnis itaque conspiratio penitus exclusa est.

9. *3. Modus scribendi ab omni partium studio, perverso consilio, passione plane alienus apparet nihilque nisi historicam veritatem spirat.* — Videlicet Evangelistae simplicem factorum narrationem proponunt atque tunc quoque ab omnibus observationibus abstinent, cum hae vel necessariae vel saltem opportunae esse videantur. Lege v. g. Matth. 27, 62

ss.; 28, 11: Ioan. 20, 1 ss.; Matt. 3, 13—17; Marc. 1. 9—11: Luc. 3, 21. 22; Matth. 4, 1—11; Marc. 1, 12. 13: Luc. 4. 1—13; Matth. 26, 36—46; Marc. 14, 32—42; Luc. 22. 39—46; Marc. 10, 17. 18; Luc. 18, 18. 19: Marc. 13, 32; Ioh. 2, 4.

10. Praeterea, cum iidem auctores Christum summo amore prosequerentur atque fidei in ipsum propagandae studio arderent nihilominus de miraculis ipsius innumeris et stupendis deque doctrina ipsius sapientissima sine omni commotione atque sine omni affectuum illorum expressione verba faciunt. Imo tanta simplicitate, brevitate, tranquillitate de Christo agunt, ut scriptores videantur esse historiae ipsis alienae atque ad ipsos nihil pertinentis. Cuius rei luculentum specimen in narratione passionis et mortis Christi continetur. In qua passionis et mortis descriptione insuper multo magis insistunt, quam in splendidis operibus miraculosis exhibendis immorentur. Neque igitur quae in dedecus Magistri vergere poterant, silentio premunt vel ullo modo extenuant. Iamvero talis scribendi modus quoque animum a passionibus et perversa voluntate prorsus vacuum manifesto arguit. Ad rem *Chrysostomus:* „Iidem ipsi, qui narrarunt crucifixum et colaphis caesum, illi etiam haec (miracula) dixerunt. Cur ergo fide dignos in illis putas, in istis vero reprehendis, quasi gesta non sint? Atqui si ad magistri gratiam haec scripserunt ac temere frustraque iactitarunt, ea tacuissent, quae tristia ignominiosaque apud multos habebantur. Iamvero illi horum veritatem declarantes in illis maxime immorati sunt, omniaque diligenter copioseque tractarunt, nec parvo nec magno quopiam praetermisso, sed in signis et miraculis plurima tacuerunt". (Quod Christus sit Deus n. 17).

11. *1. Omne motivum alios decipiendi evangelistis prorsus defuit.* — Revera nullum emolumentum evangelistae e mendaci relatione sibi sperare poterant. Imprimis cognito Iudaeorum adversus Christum odio nullum ipsis bonum temporale vel praesens instabat, imo persecutiones, aerumnas, afflictiones tales contra se excitari praevidebant atque dein reipsa

passi sunt, quales ad quemcunque hominem etiam strenuum et tenacem ab omni fraude deterrendum sufficiunt. Nec vanam gloriam apud posteros exspectabant; praeterquam enim quod talis cupidinis prorsus expertes appareant, felicem successum humiles illi piscatores sibi promittere nequaquam poterant, vel si dicatur, ipsos successum suum praevidisse, plus quam prophetica cognitio ipsis tribueretur. Neque denique aeternam felicitatem sibi promittere poterant, cum potius optime scirent, eiusmodi sacrilegis atque impiis conatibus aeterna supplicia reservari. Ergo nullo alio motivo, quam ipsa veritatis persuasione ad relationes suas moveri potuerunt.

12. *5. Doctrina ipsa proposita quoque voluntatem decipiendi prorsus excludit.* — Etenim doctrinam exhibent atque imponunt, quae nedum passionibus humanis aduletur, implacabile potius bellum passionibus perversis atque cupiditatibus indicit. Humilitatem, paupertatem, mortificationem sui commendant, avaritiam vero, superbiam, hypocrisin in iis quoque, quos suae doctrinae conciliare volebant, aperte vituperant atque condemnant. Atqui tali via sane non ingrediuntur impostores, ut sibi favorem hominum et gratiam concilient. Deinde si de veritate doctrinae suae evangelistis persuasum non erat, si animo decipiendi movebantur, cur itaque Messiam descripserunt Iudaeorum exspectationi plane contrarium? Iudaei enim regem temporalem, qui a Romanorum iugo eos liberaret atque magnum imperium temporale iudaeorum erigeret, exspectabant, dum Apostoli econtra Messiam pauperem et humilem, apud quem nulla Iudaei et Graeci distinctio est, praedicabant. Opposita sane via quivis deceptor incessisset.

13. *6. Denique evangelistarum vita animus decipiendi excluditur.* — Traditione sc. non solum christianorum, sed et incredulorum teste sacrorum auctorum vita adeo fuit post suam ad Christum conversionem integerrima, ut nullus eorum, ab adversariis infensissimis de ullo crimine accusari unquam potuerit; illius enim sanctissimae, quam praedicaverunt, doctrinae vivum exhibebat exemplar. Cum tali

autem virtute et sanctitate decipiendi animus prorsus pugnat; ergo.

II. Etsi voluissent, non potuissent tamen decipere.

14. *1. Probatur ex sublimitate doctrinae, quam proposuerunt.* — Etenim evangelia doctrinam continent tum theoreticam tum practicam tam sublimem, qualem nullus unquam homo, nec philosophus, nec Plato, nec Socrates, nec Cicero excogitavit; multo igitur minus homines rudes atque illitterati, quales evangelistae fuerunt, eam excogitare potuerunt. Deinde in Christo ipso imprimis tale sapientiae, benignitatis, fortitudinis, humilitatis atque in omni genere sanctitatis et sublimis dignitatis exemplar exhibuerunt, cuius aequale vel simile nunquam visum est. Neque sane tale sublimis virtutis et perfectionis et sanctitatis exemplar ab evangelistis exhiberi potuit, nisi reipsa coram oculis conspiciendum versatum est.

15. *2. Ex publica eorum, quae referunt, indole.* — Nimirum evangelistae publicos eventus narrant, in conspectu multorum ex legentibus completos; personas, tempus, locum accurate designant, varia adiuncta atque minutas circumstantias plerumque exhibent. Iamvero si eventus ita, ut referuntur, non contigissent, inimici religionis christianae continuo sane reclamassent et relationes Evangelistarum in maximum ipsorum opprobrium vertissent. Et hoc eo vel magis contingere debuit, quod de Christi vita atque operibus tamquam de re omnibus nota loquuntur atque ad ipsum adversariorum testimonium provocant. Ita v. g. S. Petrus Iudaeis die Pentecostes annuntiat *„Iesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri sicut et vos scitis“* (Act. 2, 22). Et cum S. Paulo coram Festo et Agrippa rege Christum praedicante Festus exclamaret: *Insanis Paule, multae te litterae ad insaniam vertunt“*, Apostolus respondet: *„Non insanio optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor: latere enim eum nihil horum*

arbitror. Neque enim in angelo quidquam horum gestum est" (Act. 26, 24—26). Atqui si falsa ea fuissent, quae discipuli Christi de ipso narrabant, ab inimicis Christi, a Iudaeis imprimis, qui religionem suam abolitum iri videbant, falsitatis certo vel mendacii convicti fuissent. Revera enim omni conatu nascenti et progredienti religioni christianae restiterunt: „*denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu*" (Act. 4, 18); calumniis, opprobriis, persecutionibus, cruciatibus, morte denique ipsa Christi discipulos affecerunt, nunquam autem, quae Apostoli praedicabant, negare aut refutare potuerunt. Itaque his omnis possibilitas decipiendi Apostolis et evangelistis prorsus manifesto exclusa fuit. Nulla enim ratione facilius et efficacius nascens et progrediens ecclesia extingui potuisset, quam discipulos Christi falsitatis et mendacii convincendo.

2. p. Evangelistae nec ipsi decepti sunt.

Haec quoque pars cuicunque personas et adiuncta consideranti manifesta esse debet. Etenim:

1. Evangelistae eorum, quae referunt, testes vel oculati 16.
vel auriti fuerunt. — Matthaeus enim et Ioannes, utpote discipuli Domini, plerisque factis, quae narrantur, praesentes fuerunt. „*Quod fuit,* inquit Ioannes ipse, *ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae . . . annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo*" (1. Ioan. 1, 1—3). Atque Petrus et Ioannes magistratibus Iudaeorum responderunt: „*Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui*" (Act. 4, 20). Lucas vero et Marcus, etsi testes oculati non fuerint, testes tamen auriti et quidem tales erant, ut oculatis aequivaleant. Etenim Lucas Pauli socius erat atque cum eo in secunda captivitate Romae versatus est, atque igitur a Paulo edoceri potuit. Paulus autem ab ipso Christo semetipsum immediate revelante necnon a duodecim Apostolis edoctus est, quibuscum Hierosolymam profectus in concilio Apostolorum evan-

gelium suum contulit, ne in vacuum curreret, quemadmodum ipse Apostolus testatur. Itaque merito Lucas in evangelii sui prooemio ad testes oculatos provocat: *„Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere optime Theophile."* (Lc. 1, 1—3). Marcus deinde Petri socius fuit atque, ut Papias refert, interpres; ceterum totum Marci evangelium in eo a Matthaeo conscripto exstat.

17. *2. Deinde deceptio Evangelistarum excluditur per naturam factorum relatorum, quippe quae pleraque erant publica et sensibilia.* — Videlicet quod Apostoli et Evangelistae, si S. Paulus et S. Lucas excipiantur, homines rudes fuerint. veram atque accuratam eorum de factis relatis cognitionem non impedit. Etenim ad talem cognitionem, si quidem de eventibus sensibilibus agitur, nonnisi sensus sani rectusque eorum usus requiruntur; quare in his testis rudis et simplex aequalis vel maioris auctoritatis est quam docti, quippe qui non raro, ut placitis suis atque theoriis eventus conforment, historicam veritatem potius mutilant. Iamvero facta, quae evangelistae referunt, ut miracula et prophetiae quoque, sensibilia sunt et proinde a quovis sensibus rite adhibitis infallibiliter cognosci poterunt. Insuper autem dubitari non potest, a scriptoribus sacris omnem attentionem et diligentiam esse adhibitam ne deciperentur; hoc enim persuadent tum gravitas rei, de qua agebatur, — relicta enim religione paterna novae adhaerebant — tum natura factorum extraordinariorum, quae omnium admirationem et stuporem provocabant; tum narrationis ipsius indoles, quia scilicet minimas etiam circumstantias accuratissime saepe describant; tum denique factorum publica indoles, quae si falso retulissent, erroris ignominiose convicti essent.

Neque difficultatem seriam hac in re sermones Christi, quos referunt Evangelistae, creare possunt. Etsi enim sermones isti veritates sublimissimas saepe tractent, stylo tamen simplici atque verbis perspicuis necnon generatim modo

vulgo plane accomodato a Christo habiti sunt ita, ut homines non plane rudes et insipidi eos sufficienter percipere et referre possent; iamvero evangelistas ad talem relationem sufficienti ingenio et prudentia praeditos fuisse ipse eventus probat. Ceterum ad Spiritus Si auxilium quoque et inspirationem contra eiusmodi dubitationem recte provocari potest.

18. *4. Praeterea Evangelistas deceptos non esse, inde etiam confirmatur, quod parum credulos vel ad fidem pronos se exhibuerunt.* — Revera nullum nimiae credulitatis vestigium apud ipsos apparet, imo ab ipso Christo propter tarditatem suam atque nimiam incredulitatem vituperati sunt. Ipsi resurrectioni, quam tamen ex Magistri promissionibus exspectare debuerunt, fidem adhibere dubitaverunt. Sic Thomas v. g. nec aliorum discipulorum verbis credidit, sed pertinaciter in sua incredulitate perseveravit, dum ipsemet Christum resuscitatum videret eiusque vulnera palparet. Ceterum cum plerique ex Apostolis et duo Evangelistae testes oculati essent, de nimia eorum credulitate sermo esse non potest.

19. *5. Denique absurde diceretur per Christum Apostolos et Evangelistas esse deceptos.* — Talis scilicet positio per sublimem sanctumque Christi characterem prorsus excluditur. Tanta enim eius vita sanctitate resplenduit ut vel infensissimi inimici eum alloquerentur: *„Magister, scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum“* (Matth. 22, 16). Et cum adversarios suos Christus provocaret: *‚Quis ex vobis arguet me de peccato“* (Ioan. 8, 46.) omnes plane obmutuerunt. Imo in publico iudicio *„principes sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.“* (Matth. 26, 59. 60).

Scholion.

20. *De evangeliorum differentiis atque antilogiis.* — Contra evangeliorum veritatem increduli inde a christianae religionis exordiis imprimis differentias urgent atque contradictiones

quasdam apparentes, quae in evangeliis cum invicem comparatis inveniuntur. Quare iam SS. Patres evangeliorum concordiam accurate examinaverunt et vel integris operibus validissime defenderunt. Cuius rei argumentum praebent *Tatiani* Diatesseron, *Ammonii Alexandrini* opus circa evangeliorum harmoniam, *S. Augustini* liber de consensu evangelistarum. Sanctorum autem Patrum vestigia secuti exegetae catholici hanc de concordia evangeliorum quaestionem tam sedulo semper examinarunt, ut integra inde disciplina vel integer saltem tractatus biblicus efformatus sit, in quo evangeliorum veritas invicte asseritur. Quare hoc loco sufficit, generalia quaedam adnotare, quibus Rationalistarum impugnatio fundamento carere sufficienter perspicitur

21. *1.* Differentiae, quae inter Evangelistas exstant, ad accidentalia restringuntur, substantiam eorum, quae narrantur, non attingunt; in substantialibus potius mira consensio elucet. Accidentalibus autem differentiis et contradictionibus apparentibus, imo veris quoque, quae substantiam rei non afficiunt, auctoritas evangelistarum non labefactatur. Etenim in genere, cum plures historiographi circa facti alicuius substantiam consentiunt, in accidentalibus autem differunt, nullus unquam sanae rationis criticus propter talem differentiam ipsam facti substantiam negandam esse dicet. Ergo etiam evangeliorum authentia non obstantibus talibus differentiis in substantialibus intacta manet. Imo novo inde argumento confirmatur. Etenim si singuli fabulas et fraudes sibi construxissent, non esset talis relationum diversarum consonantia; si vero in fraudem communem convenissent, illa in narrando differentia non haberetur. Itaque rationalistas nihil iuvat, si differentiae plures et contradictiones quaedam in accidentalibus inveniantur. Ceterum differentias, quae exstant, commode satis explicari et contradictiones apparentes tantum esse ex sequentibus adnotationibus consideranti patere potest.

22. *2.* Nulla sane est contradictio inter evangelistas idem factum referentes, cum alii alias minutas circumstantias vel exhibent vel omittunt. Neque tunc inter auctores sacros

vera oppositio habetur, cum alii aliis verbis materialibus idem verbum formale vel ipsius Christi vel aliorum referunt: etenim scopus eorum in eo potissimum versabatur, ut imprimis verbum formale (sensum sc. locutionis) fideliter referrent. Ceterum Christus sane etiam potuit aliis et aliis verbis materialibus idem verbum formale iterato enuntiare, quare etiam alius evangelista alia verba materialia referre potuit.

3. Si quando idem a diversis evangelistis videatur factum enarrari, adiuncta autem a singulis relata cum invicem plane componi non possint, nequaquam iam sequitur evangelistas sibi contradicere; sed, cum de authentia ipsorum ex demonstratione facta evidenter constet, concludendum potius est, alia quoad substantiam facta ab aliis enarrari.

4. Denique differentiae multae et apparentes contra- 23.
dictiones maxime ex diverso diversorum auctorum scopo satis commode explicantur. Sic *S. Matthaeus* v. g. Iudaeis potissimum evangelium suum destinavit, quare illud maxime demonstrare sibi propositum habebat, Christum reipsa Messiam esse, in quo prophetiae impletae sunt. Quare historicam de vita Christi atque morte relationem proprie non scribit neque ordinem chronologicum exacte observat, sed potius ita refert facta atque ordinat, prout ad demonstrationem propositam conferunt. *S. Marcus* vero ad fideles ex gentibus potius scripsit, quare Matthaei evangelio iam exstante multum utens breviter Domini gesta et miracula narravit. Hinc igitur neque ipse ordinem chronologicum multum curavit, atque pleraque, quae vel unice vel praecipue Iudaeos spectabant, simpliciter omittit; denique prout scopus ferebat, varias factorum circumstantias accurate atque fusius refert. *S. Lucas* autem res gestas ex ordine chronologico describit, atque varia adiuncta vel refert, si nondum relata erant, vel accuratius adnotat. *S. Ioannes* denique contra Gnosticos rationalistas evangelium scripsit, quare in eo maxime versatur, ut divinam Christi originem et dignitatem abunde explicet. Iam si haec considerentur et cum evangeliis ipsis conferantur, sufficienter apparet, quomodo mirabili cum concordia dif-

ferentiae quaedam inveniantur et apparentes antilogiae. quin veritatis ullum dispendium fiat. Imo hac ratione, ut iam dictum est, veritas evangeliorum potius confirmatur. Merito igitur *S. Augustinus* Faustum eiusmodi antilogias obiicientem fortiter retundit: „Sed contraria inter se scripta eorum reperiuntur. Maligni malo studio legitis, stulti non intelligitis, coeci non videtis: Quod enim magnum erat, ista diligenter inspicere et eorundem scriptorum magnam et salubrem invenire congruentiam, si vos contentio non perverteret, et si pietas adiuvaret. Quis enim unquam duos historicos legens de una re scribentes, utrumque vel utrumlibet eorum aut fallere aut falli arbitratus est, si unus eorum dixit, quod alius praetermisit; aut si aliter aliquid brevius complexus est, eandem tamen sententiam salvam integramque custodiens, alter autem tamquam membratim cuncta digessit, ut non solum quid factum sit, verum etiam quemadmodum factum sit, intimaret" (C. Faust. l. 33. c. 7). — Neque minus egregie *Chrysostomus:* „Certe illud ipsum magnum est pro veritate argumentum. Si enim omnia accurate consonassent et quantum ad tempus et quantum ad loca et quantum ad ipsa verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu haec scripta fuisse putassent, atque huiusmodi consonantiam non ex simplicitate sinceritateque procedere. Iamvero illa, quae in exiguis rebus deprehendi videtur diversitas, omnem ab ipsis suspicionem depellit scribentiumque fidem clare vindicat. Quod si quid circa tempora et loca varietatis protulerint, id nihil officit veritati narrationis" (Hom. 1. in Matth. n. 2).

Articulus secundus.

De testimonio Iudaeorum et Gentilium.

Thesis 35. Historia evangelica tum Iudaeorum tum Gentilium testimonio confirmatur.

Declaratio.

1. *Momentum huius thesis.* — Historiae evangelicae veritatem ideo nonnulli negare posse autumarunt, quod tota ex

fontibus christianis i. e. ex evangelis et traditione hauriatur. At vero absurda est haec obiectio quia si ideo historia alicuius societatis vel populi fide digna esse negatur, quia a viris eiusdem societatis vel populi conscripta est, pleraeque historiae a viris quoque maxime fide dignis conscriptae, nullam fidem iam mererentur. Ceterum veritas historiae evangelicae ab infensissimis quoque religionis christianae adversariis, a Iudaeis sc. et Gentilibus egregie confirmatur. Itaque in praesenti thesi ad abundantiam aliqua Iudaeorum et Gentilium testimonia adducere expedit, quamvis id ad perfectam demonstrationem necessarium non sit. „Licet talium, inquit *Eusebius,* hominum (i. e. Apostolorum) de Salvatore nostro testimonium nobis abunde satisfacere debeat, tamen nihil me praeter propositum facturum arbitror, si quasi ex abundantia quadam Hebraei quoque Iosephi testimonio utar“ (Dem. ev. l. 3. c. 5). Porro mirandum sane non est, quod Iudaei et Gentiles eadem facta non eadem ac Evangelistae ratione, sed pro suis erroneis opinionibus colorata quasi referant; sufficit, quod ita etiam agendo de veritate historica factorum evangelicorum satis manifesto testentur. Priusquam autem ipsa testimonia Iudaeorum et Gentilium adducantur, notandum est, populum Iudaeorum non uno modo veritatis religionis christianae testimonium praebere; etenim primo divinae iustitiae deicidio provocatae juge exemplum praebet; deinde mira sua conservatione et inter omnes populos dispersione Christi et prophetarum prophetias continuo implet; praeterea libros sacros V. T. conservando, in quibus vaticinia messiana continentur, a corruptionis suspicione fontes liberant, ex quibus veritas religionis christianae demonstratur. Praeclare *Augustinus:* „Dispersi sunt per omnes gentes nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illos christiani composuimus, et cum evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas; hinc eos con-

vincimus, quia omnes ipsae litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Iudaei. Proferimus codices ab ininicis, ut confundamus alios inimicos . . . Codicem portat Iudaeus, unde credat christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant . . . . Sic enim apparent Iudaei de Scriptura sancta, quam portant, quomodo apparet facies coeci de speculo: ab aliis videtur, ab ipso non videtur" (In ps. 56. n. 9). Denique quod hic proprie agitur, ex libris Iudaeorum post Christi mortem conscriptis plura testimonia exstant, quibus veritas historiae evangelicae egregie confirmatur.

Demonstratio.

I. p. Historia evangelica Iudaeorum testimoniis confirmatur.

2. Plura Iudaeorum de historia evangelica testimonia tum a SS. Patribus referuntur, ut v. g. ab *Origine* (C. Celsum I. 28. 38. 48) *Arnobio* (Advers. nat. I. 43), tum in libris talmudicis leguntur: quibus testimoniis de vita, miraculis, passione morte, resurrectione Christi manifesto constat, quamvis haec omnia a Iudaeis secundum scopum suum perverse explicentur, et miracula v. g. arti Christi magicae tribuantur. Verum praetermissis his, quae legi possunt apud diversos auctores, ut v. c. *Wilmers* (De religione revelat. n. 312), praeclarissimus et maximae auctoritatis testis audiendus est *Iosephus Flavius*. Celeberrimus hic gentis iudaicae historiographus e Machabaeorum stirpe natus est a. 37. p. Chr. n. Iudaeorum contra Romanos in bello Iudaico dux fuit, a Romanis vero captus Romae degit ibique circa ann. 95. p. Chr. n. mortuus est. De ipso ita *Eusebius:* Hic vir, inquit, omnium tunc temporis Iudaeorum praestantissimus fuit, non modo popularium suorum, sed etiam Romanorum iudicio: adeo, ut ipse quidem in urbe Roma statua donatus sit, libri vero ab eo conscripti in bibliotheca publica fuerint collocati" (Hist. eccl. l. 3. c. 9). Non uno testimonio Flavius Iosephus historiae evangelicae veritatem confirmat; et quidem:

1. Testimonio de Ioanne Baptista. — Scilicet Iosephus, 3.
postquam Herodi ab Arabiae rege cladem esse illatam narravit, ita pergit: „Erant autem quidam e Iudaeis, qui existimarent, Dei ira periisse exercitum Herodis, qui iustas ob interfectum Ioannem cognomento Baptistam poenas dabat. Hunc enim Herodes necari iussit, cum esset vir bonus Iudaeosque ad virtutis studium excitaret praecipiens, ut iuste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum (baptismum) accederent . . . Cumque multi ad eum undique confluerent, Herodes veritus, ne tanta hominis auctoritas subditos ad seditionem impelleret (videbantur enim omnia de consilio eius facturi esse) satius esse duxit, priusquam novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut mutatione rerum facta, ipse in discrimen adductus poenitentiam ageret. Atque ille quidem ob hanc Herodis suspicionem in vincula coniectus missusque ad castellum Machaeruntem, ibidem caesus est, Iudaei vero persuasum habebant, in ultionem necis eius deletum esse exercitum, Deo propterea Herodi infenso“ (Antiqu. iud. XVIII, 5, 2).

2. Testimonio de martyrio Iacobi minoris. — Etenim 4.
martyrium huius apostoli et primi Hierosolymorum episcopi narrans, Iesu Christi quoque tamquam Messiae mentionem facit. Agens scilicet de Anano summo Pontifice, homine Sadducaeo et moribus feroce, dicit: „Talis igitur cum esset Ananus, opportunum sibi tempus adesse ratus, eo quod Festus quidem vita cessisset. Albinus vero adhuc in itinere esset, concilium iudicum cogit, inductoque in iudicium fratre illius Iesu, qui dicebatur Christus (τοῦ λεγομένου Χριστοῦ), Iacobus ei nomen, ut cum eo quibusdam aliis, in eos ut legis violatae reos cum accusationem instituisset, statim lapidandos tradidit. Sed quicunque inter cives modestissimi legisque observandae studiosissimi habebantur, graviter hoc tulerunt“ (Antiq. XX. 9, 1). Ex hoc loco aperte constat, Iesum Nazarenum passim creditum et vocatum esse Christum vel Messiam, eumque novae legis vel religionis auctorem fuisse. Insuper animadvertendum est, huius loci sicuti praecedentis quoque authentiam in dubitationem nun-

quam esse adductam. Inter alios ad hunc locum Origenes (C. Cels. I, 47.; II, 13.) et Eusebius H. e. II, 23) provocant.

5. *3. Expresso de ipso Christo testimonio celeberrimo.* — Iosephus scilicet, postquam initio l. 18. Antiq. de Pilati in Iudaeos severis atque saevis repressionibus egit, ita pergit. „Eo etiam tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum appellare fas est. Fuit enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui verum voluptate recipiunt; multosque Iudaeos, multos etiam Gentiles ad se pellexit. Hic erat Christus (ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν.) Quem cum Pilatus, ab hominum nostrorum primis delatum, crucis supplicio addixisset, eum tamen amare non desierunt, qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, divinis vatibus et haec et mille alia de eo miranda effatis. Atque ab eo denominata Christianorum natio durat usque ad hunc diem" (Antiq. XVIII, 3, 3).

6. Verum huius testimonii alii genuinitatem, alii integritatem impugnant. Qui integritatem impugnant, tria incisa postea inserta dicunt: primum: *vir sapiens;* alterum: *si tamen virum eum appellare fas est;* tertium: *Hic erat Christus*, cuius loco ponendum dicunt: *Hic dicebatur Christus.* Quae corruptio si admittatur, nihilominus eo testimonio auctoritas evangeliorum confirmatur. Reipsa autem dicendum est, testimonium certo nequaquam esse totum spurium neque probabilissime corruptionem ullam aut incisorum interpolationem factam esse; etenim:

a) Primo id ostenditur rationibus externis, quas ita *Huetius* complectitur: „Cur ita sentiam, facit constans et perpetuus codicum omnium Iosephi sive exaratorum calamo sive typis impressorum in eo (testimonio) retinendo consensus. Facit et Eusebii auctoritas, qui illud in libris demonstrationis evangelicae (IV) et in ecclesiastica historia (l. c. 11.) tamquam legitimum et genuinum repraesentavit. Expressit id quoque latine Hieronymus in libro de script. eccl. Retulit id ipsum in epistolas Isidorus Pelusiota (l. 4. ep. 225); in historiis vero suis consecrarunt Hermias Sozomenus (l. c. 1.), Gregorius Credenus (hist. comp. omisso

tamen inciso: ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν) et Nicephorus Callisti (l. 1. c. 39.) et in Lexico suo Suidas (v. Ἰώσηπος) atque hinc porro continua serie ad nos usque propagatum est" (Dem. ev. Prop. 3. n. 11). — Addendum est, quod versio arabica quoque et versio hebraica hoc testimonium exhibent. Iamvero lectionis uniformitas apud diversos scriptores evincit profecto, locum a Christianis insertum nullo modo dici posse; repugnat enim, ut omnia omnino exemplaria codicum corrupta esse dicantur, praesertim quia Iosephi libri inter Iudaeorum quoque manus versabantur et studiose servabantur.

b) Confirmatur testimonii genuinitas et integritas argu- 7.
mentis quoque internis; quippe quibus evincitur. Iosephum non potuisse non loqui de Christo. Primo enim cum de sectis inter Iudaeos existentibus Pharisaeis, Sadducaeis, Essenis loquatur, novam religionem christianam silentio praeterire non poterat. Praeterea cum de Ioanne Baptista et de Iacobo, ‚fratre Iesu, qui Christus dicebatur', expresse ageret, ipsum Iesum longe notiorem praetermittere non potuit. Denique cum de pluribus, qui sibi Messiae dignitatem adscribebant, fuse tractaret (Cf. Antiq. Iud. XX, 8. 6.) de illo quoque Iosephus agere supponendus est, qui, ut ipse alibi testatur, Messias passim vocabatur.

c) Quae obiiciuntur, magnum pondus non habent, ut 8.
consideranti facile apparet.

Primo scilicet critici obiiciunt, Iosephum, cum incredulus Iudaeus esset et maneret, de Christo tam magnifice loqui non potuisse. — *R.* Multi de ecclesia catholica magnifice locuti sunt et loquuntur, quin se ei adiunxerint vel adiungant. Ceterum verba: ‚si tamen virum eum appellare fas est' non necessario de divinitate Christi admissa vel suspicata intelligenda sunt, sed significare possunt, Iesum non fuisse virum ordinarium, sed divina auctoritate vestitum, quemadmodum Iosephus in alio loco simili de Moyse dicit, ipsum auctoritate plus quam humana donatum fuisse. (cf. Antiq. III, 15, 3.) Deinde verba: ‚Hic erat Christus' ex aliena sententia dicta esse possunt, ita ut sensus sit: Hic credebatur esse

Christus, quemadmodum Pilatus Iesum, quin in eum crederet, regem Iudaeorum vocavit. Ceterum cur non magnifice de Iesu dicat, cum tamen de Ioanne B. et Iacobo magnifice loquatur. Insuper, quod notatu dignum est, Iosephus de Christianis nunquam sinistre loquitur. Praeterea neque mirum est, quod Iosephus vaticinia messiana in Christo mpleta esse dicat. Aut enim non ex sua sententia loquitur, sed publicam famam refert, aut vero dicendum est, qui adulationis causa vaticinia Messiana ad Vespasianum applicavit (De bello iud. III, 8, 9; VI, 5, 4) eundem etiam ad gentem suam glorificandam eadem in Christo impleta esse dicere potuisse. Ceterum cum semel Vespasiano et iterum Christo vaticinia illa applicet, finem politicum eundem prosequitur, scilicet explicare voluit, vaticiniis non praedici regem, qui Romanis timendus sit. Tandem quod Christo miracula patrata adscribat et de eius in vitam reditu loquatur, aut ea ex aliena sententia vel publica fama dicit, aut si ex sua mente ea profert; inde explicatur, quod Iudaei generatim et Pharisaei imprimis, cui sectae Iosephus aliquando addictus erat, utramque potentiam, sc. tum miracula patrandi tum ad vitam redeundi, iustis et imprimis prophetis attribuerent (Antiq. XVIII, 1. 2). Denique notandum est maxime, Iosephum nulli certo systemati religioso adhaesione, sed fuisse Iudaeum eclecticum et liberalem, quare non eo, quo Iudaei orthodoxi, odio in Christum et Christianos ardebat.

9. *Secundo* opponunt, e SS. Patribus neminem praeter Eusebium testimonio illo usum esse, quamvis contra Iudaeos disputarent, imo Originem animadvertere Iosephum Iesum pro Christo non agnovisse (I, 47). — *R.* SS Patres, cum contra Iudaeos disputant, toti in eo sunt, ut ex s. Scriptura Iesum esse promissum Messiam demonstrent; ad Iosephum autem contra Iudaeos provocare non poterant, quippe qui propter suam ab orthodoxa Iudaeorum fide defectionem his valde exosus erat. Quod non Origenes dicit, verum est, quia christianam fidem non suscepit; hinc vero non con-

sequitur ex mente Originis testimonium Iosephi esse vel spurium vel interpolatum.

Tertio denique obiiciunt, testimonium a contextu alienum apparere. — *R.* Cohaerentia contextus testimonio admisso non desideratur. Imprimis enim ordo temporis viget, quia Iosephus ea ibi narrat, quae sub Pilato evenerunt. Praeterea cum eodem capite 3. de turbationibus agat sub Pilato inter Iudaeos excitatis, conveniens erat, ut ibi de Iesu quoque vita, passione, morte ageret, quippe quae non parvae inter Iudaeos commotioni et turbationi occasionem praebuerunt.

Cf. Stimmen aus M.-Laach, 1897, II, p. 1 ss., ubi etiam alii fontes iudicantur.

2. p. Apud gentiles quoque auctores plura inveniuntur, quae ad confirmandam historiae evangelicae veritatem conferunt.

Pauca quidem de religione christiana in veteribus **10.** scriptoribus graecis et latinis, quorum opera supersunt, testimonia inveniuntur. Res enim iudaica, quacum initio res christiana confundebatur, hinc invisa et odiosa illis erat, inde nimis exigua et miseranda illis videbatur, quam ut in ea multum versari virum ingenuum deceret. Unde et distortae de religiosa Iudaeorum et Christianorum fide opiniones commode explicantur. Quamvis praeterea de iis, quae inter Iudaeos contigerant, nuntius ipsis fortasse perlatus esset, aut eum non multum curabant, aut ei fidem non adhibebant, aut quae nuntiabantur, in eorum referebant numerum, quae a magis eius aetatis agi vulgo censebantur. Quae cum ita sint, nonnulla tamen testimonia praesto sunt, quibus thesis confirmatur.

1. Testimonium Taciti ex annal. l. 15. c. 44. — Re- **11.** lato scilicet incendio urbis a Nerone excitato: „Ergo, inquit, abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Repressa in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat,

non modo per Iudaeam, originem huius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde, iudicio eorum, multitudo ingens haud perinde in crimine incendii quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur . . . Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur". Accurate hoc testimonio a Tacito, qui sub Traiano inde ab an. 98. regnante annales conscripsit, tempus notatur, quo Christus interfectus est, cum Pontius Pilatus sextus Iudaeae procurator esset (Cf. Iosephus Flav. antiq. XVIII, 3).

12. *2. Testimonium Suetonii.* — Hic auctor Tacito aequalis similia de Christianis atque ipso Christo refert. In vita Neronis enim, cum narrat, quae sub hoc imperatore „et animadversa severe et coërcita nec minus instituta" sint, dicit: „Afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae" (c. 16); et de alio imperatore, Claudio sc. refert: „Iudaeos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit" (Vita Claudii c. 25). Hic eventus locum habuit a. 52. Quod Christiani Iudaeis accenseantur, mirum non apparet, praesertim cum ex Actibus Apostolorum idem constet, quippe qui narrant, Aquilam eiusque uxorem Priscillam eodem edicto coactos ab Italia Corinthum venisse. Quia vero cum Iudaeis Christiani a Romanis primum confundebantur, cum illis quoque liberationem a iugo Romanorum et res novas moliri credebantur. Quod vero ‚Chrestus' legatur, non ‚Christus', inde explicatur, quod SS. Patribus testantibus vox ‚Christus' a gentilibus saepe conversa est in ‚Chrestus' (Cf. Tertullian. Apol. c. 3; Lactant. instit. l. 4. c. 7)

13. *3. Testimonium Plinii Caecilii iunioris.* — Celebre est documentum, quod Plinius ineunte saeculo II. Bithyniam et

Pontum proconsul administrans de Christianis ad Traianum misit. Cum enim illic magnam christianorum multitudinem invenisset atque eorum conventus lege prohibitos censeret, epistola ad Traianum consulendum missa, de christianis eorumque cultu refert: „Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de christianis interfui nunquam: ideo nescio, quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquid discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant; deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino christianus fuit, desiisse non prosit, nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent christiani; confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci iussi. Neque enim dubitavi, qualecunque esset, quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens. Qui negabant esse se christianos aut fuisse, cum praesente me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani, esse dimittendos putavi. Alii ab indice nominati esse se christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, nonnemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt et Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento

non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria comitterent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis. quae ministrare dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus" (Epist. 1. 10. p. 97).

14. Epistola haec insigne sane documentum est ea praesertim ratione, quia de fide primorum Christianorum in divinitatem Christi aperte testatur. Immerito vero de genuinitate totius libri X. collectionis epistolarum Plinii, in quo nostra continetur epistola, dubitaretur, quia hic liber in nonnullis editionibus deest. Etenim hic liber X. publicas Plinii continet epistolas, cum ceteri privatas continent. Separatim igitur hae et illae editae esse merito coniiciuntur. Insuper Tertullianus iam quinquaginta circiter annis post tum illam Plinii epistolam tum Traiani responsum refert in Apologetico. Conf. Hurter Opusc. SS. PP. 19. Additam. I. et II.

Scholion.

15. *De aliis gentilium documentis ad religionem christianam pertinentibus.* — Cum ortu religionis christianae quaedam

alia quoque Gentilium documenta cohaerent, quippe quibus patet, eo tempore, quo Christus apparuit, non solum a Iudaeis, sed a gentilibus quoque novum rerum ordinem exspectatum esse. Undecunque autem exspectatio illa orta sit, eadem tamen vaticinia messiana necnon mediate ipsam historiam evangelicam confirmare videtur. Spectant huc alterum Taciti testimonium (hist. l. 5. c. 13.) atque alterum Suetonii testimonium (Vespas. c. 4) necnon Vergilii Ecloga IV.. qua quoddam Sybillae Cumaenae vaticinium ad infantem mox oriturum applicatur. Verum accuratior horum inquisitio ad tractatum de vaticiniis Messianis potius pertinet, quare hic praetermittuntur; conferri possunt *Wilmers*, De relig. revelat. n. 318; *Döllinger*, Heidenthum und Judenthum: *Lüken*, Die Traditionen des Menschengeschlechtes.

Articulus tertius.

De testimonio ipsius christianitatis.

Thesis 36. Testimonio ipsius christianae societatis quoque historia evangelica validissime confirmatur.

Declaratio.

Scopus praesentis articuli. — Etsi nulla Iudaeorum nec 1
Gentilium testimonia de historia evangelica suppeterent, sique praeterea ipsa evangelica non exstarent, adhuc tamen de evangelicae historiae veritate manifestissime constaret, utpote de qua testatur etiam tota societas christiana inde ab undeviginti saeculis coram omnium oculis existens et continuo crescens et progrediens. Frustra igitur religionis christianae adversarii in expugnandis evangeliorum libris adeo laborant; ut enim illius historiae veritatem labefactarent, insuper praeter Iudaeorum et Gentilium effata, ipsum quoque christianae societatis testimonium eliminare deberent. Hoc autem testimonium tanta evidentia undique splendet, ut quaevis eiusdem impugnatio consideranti primo

adspectu plane absurda appareat. Quare ut veritas historiae evangelicae in toto suo splendore effulgeat. iam demonstratio ex testimonio ipsius societatis christianae in praesenti thesi instituenda est.

Demonstratio.

2. Christiana societas sub duplici respectu intelligi potest testimonium ferre de evangelicae historiae veritate: primo quatenus christiani inde ab origine religionis christianae formaliter de veritate illa testantur, sub quo respectu imprimis priorum temporum christiani considerandi sunt; secundo vero, quatenus totus christianismus cum omnibus suis attributis, institutis, effectibus, fructibus consideratus cum historia evangelica tamquam effectus cum causa intime cohaeret, vel ex ea tamquam arbor ex radice progerminatus est, sub quo respectu veritatis historiae evangelicae est testimonium virtuale vel reale. Itaque historiae evangelicae veritas

3. *1. Probatur ex formali omnium christianorum praesertim priorum temporum testimonio.* — Nimirum ad religionem christianam inde ab exordiis eius conversi sunt innumeri homines, ut iam ex solis his *S. Pauli* verbis satis constat: „Primum gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in universo mundo“ (Rom. 1, 8). Ergo innumeri homines evangelicam historiam, in qua religio christiana tamquam in fundamento innititur, infallibiliter veram habuerunt. Et quidem veram eam habuerunt homines cuiusque indolis, status, conditionis, nationis, scholae, religionis, sexus, aetatis, iuvenes et senes, non solum pauperes et rudes, sed divites quoque et docti critici. Atque adeo firmiter et constanter huic fidei adhaeserunt, ut eam omnibus bonis terrenis et temporalibus praeponerent neque ullo malo, nec diffamationibus, nec ludibriis, nec angustiis, nec carceribus, nec tormentis nec ipsa morte ab ea dimoveri possent. Atqui persuasionis tam firmae, tam tenacis, tam constantis, tam impavidae nulla ratio est, nisi ipsa rei veritas. Nulla enim terrena

vel temporalia bona, neque divitiae, neque honoris, neque voluptates ad religionem christianam alliciebant, imo haec omnia ab ea suscipienda potius deterrebant. Neque fanatismo illa persuasio explicari potest; etenim homines sapientissimi quoque, indole quieti, virtutis studiosi religioni christianae se addixerunt atque in ea ad mortem usque perseverarunt. Neque decepti esse censeri illi omnes possunt. Etenim cum historiam evangelicam apud testes oculatos et auritos verificare possent, maxime eorum intererat veritatem eiusdem historiae investigare: agebatur enim de re maximi momenti, avita religio deserenda erat, nova amplectenda; atque in nova hac religione dogmata proponebantur creditu ardua, praecepta servanda severa atque dura, concupiscentiae et passionibus bellum implacabile indicebatur; tum Iudaeis, tum Gentilibus inveterata praeiudicia deponenda erant: gentiles enim exuere se debebant a persuasione, quam habebant, a Deorum cultu reipublicae stabilitatem et felicitatem pendere, a consuetudinibus a maioribus acceptis, a superbia atque factantia, quam de suis nationibus fovebant: Iudaeis autem relinquenda erat falsa persuasio de Messia rege terreno, gentium debellatore, regni iudaici restauratore; denique, ut iam dictum est, susceptio religionis christianae maximorum bonorum temporalium et ipsius imprimis cum propria familia coniunctionis et familiaris consuetudinis iacturam secum ferebat, Ianivero his omnibus consideratis evidens est, primorum christianorum maxime interfuisse, ut evangelicae historiae veritatem, quam accuratissime fieri poterat, investigarent. Itaque si iam nostro tempore, cum non tantae, ac primis temporibus, difficultates a suscipienda religione christiana deterrent, haeretici vel infideles nonnisi post longas reflexiones accuratamque inquisitionem ecclesiae se addicere solent, multo magis primorum temporum christiani nonnisi accuratissima inquisitione, quae deceptionem omnem excludat, facta, historiae evangelicae veritatem admisisse credendi sunt. Quae cum ita sint, primorum christianorum persuasio firma atque

constans certissimum argumentum praebet veritatis historiae evangelicae.

4. 2. *Probatur ex christianismo, quatenus ad historiam evangelicam tamquam effectus ad causam vel arbor ad suam radicem refertur.* — Hoc argumentum, si accurate consideretur, efficacissimum breviter efformari potest: Christianismus sive regnum Christi ante undeviginti saecula ortum, continuo crescens atque mundum universum magis magisque sibi subiiciens, effectus est tam mirabilis atque insignis, cum quo nullus alius in tota humani generis historia possit comparari; atqui cum omnis effectus postulet causam adaequatam, illius effectus nulla causa est, nisi historiae evangelicae veritas, vel ipse Christus existens talis, qualis eum evangelia sistunt; ergo nonnisi absurde de historiae evangelicae veritate dubitari potest.

Probatur maior: Consideretur itaque stupenda mutatio, quam regnum Christi sub triplici respectu effecit; doctrinae, vitae moralis, et vitae socialis.

5. a) *Doctrinam* si spectamus, christianismus genus humanum a crassa ignorantia et foeda superstitione liberavit. Etenim historia teste ante Christum universus terrarum orbis foeda infectus erat idololatria atque superstitione, ex qua nullus exitus patebat neque per philosophorum doctrinas, neque per principum leges, utpote qui ipsi quoque communi labe infecti erant. Iamvero fundata a Christo Domino religione christiana atque in dies invalescente magis magisque crassa in magna humanitatis parte vigens superstitio et ignorantiae tenebrae disparuerunt ac nova omnino conditio introducta est. Veritates religionis naturalis nova atque eo usque non visa luce resplendebat et veritates religiosae aliae mentem naturalem excedentes coelesti sua pulchritudine homines attrahebant. Atque haec doctrina non mansit tantum penes nonnullos electos discipulos, vel apud unum populum electum, sed omnem conditionem humanam pervasit, mentem pauperum et divitum, doctorum atque rudium occupavit, et ita quidem, ut christianus etiam rudis de rebus ad religionem pertinentibus clare atque

secure loquatur, dum de ipsis, ut supra ostensum est, olim etiam praestantissimi philosophi ancipites haerebant (cf. thes. 16).

6. b) Multo autem magis stupenda est mutatio, quae per christianam religionem *in moribus* contigit. Evangelii promulgatio ea aetate facta est, quae vitiis atque flagitiis erat plane absorpta. Iamvero inde homines innumeri, antea in omne scelus et vitium proclives, non tantum a vitiis sibi temperarunt, sed eximia virtutis exhibuerunt exempla et quidem virtutum, quae antea neque cognitae erant, nedum exercitae v. g. humilitatis, castitatis perfectae, virginitatis, caritatis fraternae versus omnes homines, mirae abnegationis aliarumque plurium. Gentiles ipsi non raro stupebant hanc novam philosophiam, quae quidem non abundabat sententiis, sed bona opera, vitam moralem promovebat, quae ex toto genere humano unam quasi familiam efficiebat, quae quidquid humanam naturam decet, perficiebat.

7. c) Plane commutatus i. e. renovatus est *ordo socialis*: *Et primo* quidem societas domestica: sublata est polygamia et vagus concubitus, restituta indissolubilitas et unitas matrimonii, iura uxorum et filiorum amice composita sunt cum officio subiectionis et potestate patrisfamilias. *Deinde* restaurata est societas civilis: ex una enim parte fractus est absolutismus et despotismus principium; ex altera parte imposita est subditis obedientia *„propter conscientiam“* (Rom. 13, 5) *Praeterea* renovata est societas nationalis: in religione enim christiana *„non est gentilis et iudaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus“* (Coloss. 3, 11; cf. Eph. 2, 13 ss.). Cum christiana religione initium sumpsit amica diversorum populorum adunatio, quae vero iterum eo magis disparet, quo magis religio christiana in animis hominum labefactatur. Renovata *denique* est societas humana integra: servitus paulatim est abolita; pauperibus, miseris, captivis aperta sunt varia instituta et refugia; etenim omnes homines reputantur fratres in Christo, qui eundem Patrem habent in coelo, ipsum Deum, eandemque

matrem in terris, ecclesiam. — Huc etiam pertinent alia bona physica tam spiritualia, quam materialia, quae christianismus in mundum invexit vel promovit: ut sunt scientiae artes, cultura et instructio publica atque alia innumera bona, quae ad vitam honeste et iucunde agendam conducunt. Conferri de his omnibus possunt encyclicae *Leonis XIII.:* „Inscrutabili Dei consilio", 21. Ap. 1878; „Immortale Dei", 1. Nov. 1885; „Rerum novarum", 15 Mai 1891 aliaeque; *Döllinger,* Heidenthum und Judenthum; *Weis,* Apologie des Christenthums, aliique auctores plures.

8. *Probatur minor.* Scilicet effectus huius tam universalis, tam stupendi, tam excellentis mutationis, quae ad novae creationis instar est, causa absurde diceretur fraus, mendacium, ignorantia. Ipsum enim causalitatis principium vanum reputandum esset, divina providentia periclitaretur, atque victas manus dare perfecto scepticismo deberemus. Ergo reipsa Christus existit atque historia evangelica quoad substantiam saltem vera est. Quare non immerito dicitur Christum mysticum seu ecclesiam esse validissimam probationem Christi historici. Quod egregie his *s. Augustini* verbis illustratur: „Me attendite, vobis dicit ecclesia, me attendite, quam videlis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in iudaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta eius et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec, quae cernitis, cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenuntiantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum" (De fide rerum, quae non videntur, c. 4. n. 7).

Corollarium.

9 *Falsae circa historiam evangelicam hypotheses reiiciuntur.* — Adversarii religionis christianae nullum non lapidem mo-

verunt, ut historiae evangelicae veritatem labefactarent, quare in hunc finem innumeras fere hypotheses finxerunt, quarum quaenam sit magis absona, difficulter discernitur. Paucas igitur et principaliores referre sufficit.

1. Falsa est hypothesis naturalismi a G. Paulus et Rénan aliisque propugnata. — Videlicet rationalistae isti concedunt quidem historicam factorum evangeliorum veritatem, contendunt autem omnia naturaliter explicari posse atque explicanda esse. Distinguunt v. g. inter factum relatum et iudicium, quod de eo evangelista fert, et cum illud concedant, hoc, sc. facti indolem miraculosam vel supernaturalitatem, plane reiiciunt. Scientiae criticae dicunt esse, orientalium phantasticas exaggerationes vel phantasias a factis ipsis distinguere. Vel etiam dicunt, miraculorum apparentiam inde oriri, quia circumstantiae quaedam omissae sunt. Atque hac ratione v. g. Iesus non multiplicavit panes, sed quos habebat panes, distribuit atque ita alios, qui etiam escas habebant, facile excitavit, ut et ipsi distribuerent; ambulatio super mare explicanda est tamquam ambulatio ad ripam maris, resurrectio Domini tamquam suscitatio hominis apparenter mortui; inventio statere in ore piscis eo explicatur, quod Petrus piscem vendiderit et acceptum pretium staterae Domino attulerit. — Iamvero primo haec hypothesis historiam evangelicam vel textum evangeliorum non explicat, sed contorquet et violat. Secundo in falso supposito innititur, verum miraculum fieri non posse.

2. Hypothesis mythorum quoque a Strauss aliisque statuta plane falsa est. — Horum scilicet rationalistarum opinio est, evangelicas narrationes nihil esse nisi mythos vel fabulas, quibus in Iudaeis illius temporis ideae messianicae quasi incarnatae sint. Facta itaque relata, ut referuntur, supernaturalia apparent, at praeter intentionem decipiendi a discipulis Christi conficta sunt. Ipse Iesus quidem reipsa vixit, attamen illa imago eius idealis, quam evangelia exhibent, Evangelistarum fictionibus originem suam debet. — Haec quoque hypothesis aperte falsa est. Etenim evan- 10.

gelia, evangelica historia ad tempus historicum, ad terram historicam pertinent. Conscripta sunt evangelia apud populos non rudes nec incultos, sed apud populum litteratum et excultum. Absurdum autem est, apud talem gentem mythos, qui ad tempus historicum referuntur, tam brevi invalescere atque sibi constantem atque invictam fidem conciliare. Insuper absurdum apparet, imaginem illam idealem Christi, quam evangelia continent, ab Evangelistis potuisse mere confingi necnon doctrinam sublimem, quam proponunt, evangelistarum, hominum simplicium et illitteratorum, inventioni deberi.

11. *3. Hypothesis fraudis quoque proposita ab antiquis, ut Celso, Iuliano Apostata aliisque, necnon hypothesis tendentiarum a Baur statuta, quae ad illam quadantenus accedit, falsae sunt.* — Baur, utpote qui Hegeliana philosophia imbutus erat, duo elementa contradictoria in christianismi quoque origine invenienda esse putavit; atque huius rei signum in dissensione inter Petrum et Paulum orta conpexit. Inde igitur concludit, Petri doctrinam oppositam fuisse doctrinae Pauli, cum prior Iudaismo affinis esset, alter autem universalem christianismum statueret. Hinc priorum evangeliorum Matthaei et Lucae illud Petrinismo favet, hoc Paulinismi expositio est; posteriora vero evangelia Marci et Ioannis ad hoc dissidium componendum destinata sunt atque duorum extremorum synthesin constituunt. — Verum primo, quod fraudulentiae evangeliorum compositionis assertionem attinet, ea absurda apparet ex omnibus, quae supra de evangelistarum veracitate declarata sunt; stultum fuisset velle decipere; et si evangelistae ausi essent decipere, certo certius fraudis convicti essent. Deinde quod hypothesin a Baur statutam attinet, ea mera fictio est. Dissidium inter Petrum et Paulum non erat doctrinale, sed disciplinare; deinde Marci imprimis evangelium, ut traditio testatur, Petri doctrinam refert; denique veritas historiae evangelicae quoad substantiam per istam hypothesin non labefactatur, nec miracula nec alia veritatis religionis christianae documenta removentur.

4. Hypothesis a Harnack statuta non minus falsa est. **12.** — Huius rationalistae sententia his continetur: Evangelia saeculo primo conscripta sunt atque quoad substantiam historicam veritatem referunt. Verum additamentis pluribus non historicis exornata sunt, quae quidem non malae fidei vel fraudis, sed enthusiasmi potius religiosi discipulorum effectus sunt. Christi enim vita ac mors maxime discipulos commoverunt et excitarunt ita, ut in summo suo erga Christum amore multa de eo sincere crederent, quae fundamento historico carent. Atque hac ratione miracula Christi et vel ipsa eius resurrectio explicanda sunt. Quidquid igitur supernaturale est vel miraculosum, quidquid dogmatis speciem habet, quidquid hominum ad Deum ut Patrem relationem excedit, ex evangeliis prorsus eliminandum est. — Circa hanc hypothesin haec adnotasse sufficiat: Primo eadem in fundamento plane falso constructa est; etenim Harnack, sicuti ceteri Rationalistae omnes gratuito, et falso supponit, nunquam miraculum nullum factum esse, imo nec ullum fieri posse. Praeterea immerito ad fanatismum vel enthusiasmum religiosum discipulorum Christi et evangelistarum provocat; etenim tamquam fanatici vel enthusiasmo religioso elati discipuli et evangelistae nequaquam apparent, sed tranquillae potius, sobriae et cautae animi indolis eos fuisse, omnes eorum sermones et actiones manifeste ostendunt. Quare in ea, quae referunt, serio atque accurate inquisivisse dicendi sunt; quod insuper vel ipse narrationis modus ostendit et Lucas in prooemio expressis verbis testatur. Denique tam firma et constanti persuasione tum miracula Christi tum imprimis eius resurrectionem crediderunt, ut ab hac persuasione nullis persecutionibus, nullis tormentis neque ipsa morte dimoveri potuerint; ad talem autem multorum invictam constantiam explicandam enthusiasmus vel fanatismus religiosus nequaquam sufficit. Cf. *Laacher Stimmen*, Jhrg. 1898, I., p. 117 ss.

Quaestio septima.

De divina Christi missione.

Articulus primus.

De testimonio ipsius Christi prae admirabili eius sapientia et sanctitate considerato.

Thesis 37. Divina Christi legatio consideratis eiusdem Christi admirabili sapientia et sanctitate ex proprio ipsius testimonio luculenter demonstratur.

Declaratio.

1. *Argumentum et divisio praesentis quaestionis.* — Argumenta quibus iam in reliqua huius tractatus parte divina religionis christianae origo et indoles demonstranda est, ad duplicem seriem commode revocari possunt; ad primam ea pertinent, quibus directe divina Christi legatio, indirecte religionis christianae veritas demonstratur; alterius seriei argumentis directe potius divina operis Christi vel religionis indoles et origo, divina vero Christi legatio indirecte comprobatur. In praesenti quaestione argumenta primae seriei exponenda veniunt, quare tota fere circa ipsam Christi personam versatur; dum alterius seriei argumenta subsequentis quaestionis materiam constituunt, quare tota fere imprimis circa Christi opus vel religionem christianam directe versatur. Cum vero multa praesto sint argumenta, quibus divina Christi legatio comprobatur, potissima tamen ad quinque principalia revocari possunt; quorum duo priora, sc. primum ex ipsius Christi testimonio de seipso et alterum ex doctrina eiusdem rationem criterii interni induunt, dum reliqua tria, sc. primum ex miraculis Christi, alterum ex resurrectione Christi, tertium ex prophetiis Christi potius rationem criterii externi habent. Argumentum autem externum ex vaticiniis messianicis V. F. petitum, quod desiderari possit, ideo hic merito praetermitti potest, quia in

speciali collegio pro dignitate sua fusius explicari solet. Quae cum ita sint, tota quaestio in quinque articulos dividitur:

Articulus primus:	De testimonio ipsius Christi prae admirabili eius sapientia et sanctitate considerato.
Articulus secundus:	De insigni Christi doctrina.
Articulus tertius:	De miraculis Christi.
Articulus quartus:	De resurrectione Christi.
Articulus quintus:	De prophetiis Christi.

Demonstratio.

Summa demonstrationis his continetur: Christus non 2.
semel et iterum tantum, sed saepenumero imo continuo ab initio vitae publicae usque ad mortem in cruce, privatim et publice, coram amicis et discipulis atque inimicis, coram populo et magistratibus, coram pharisaeis et sacerdotibus, Iudaeis et Romanis, sollemniter declaravit, se esse legatum divinum atque religionem a se fundandam vel fundatam esse divinitus revelatam. Atqui spectata Christi sanctitate et sapientia nec decipere voluit nec deceptus est; ergo reipsa Christus est legatus divinus. Quod argumentum sane prorsus evidens est et invictum; ut vero in tota sua luce fulgeat, singulae assertiones assumptae secundum ordinem probandae sunt.

Assertio prima: Christus se legatum divinum esse saepenumero declaravit.

1. Et primo quidem declaravit se esse promissum Mes- 3.
siam vel Christum. — Iudaeos propter V. F. vaticinia messianica Messiam sive Christum sive legatum Dei insignem exspectasse manifestum est. Id enim ostendit Iudaeorum legatio ad Ioannem B. facta: *„Tu quis est . . . et confessus est, quia non sum ego Christus“* (Io. 1, 20); idem apparet ex verbis Andreae: *„Invenimus Messiam“* (Ioan. 1, 41.) et Philippi: *„Quem scripsit Moyses in lege et Prophetae, invenimus“* (Ioan. 1, 45.); idem denique ostendit Iudaeorum

exclamatio: „*Christus, cum venerit, num plura signa faciet, quam quae hic facit?*“ (Ioan. 7, 31.) Iamvero se hunc legatum vel Messiam vel Christum esse Iesus saepe professus est: Interroganti Ioanni respondit: „*Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis: coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes evangelizantur*“ (Matth. 11, 5). Haec sc. signa Isaïas Messiae attribuit (35, 5; 61, 1) atque a Iudaeis quoque illa verba de Messia intelligebantur. — Deinde beatum Iesus praedicat Petrum, quod se Christum esse agnoverit: „*Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est*“ (Matth. 16, 17). — Tum mulieri Samaritanae: „*Scio, quia Messias venit*“ protestatur: „*Ego sum, qui loquor tecum*“ (Ioan. 4, 26). Denique duobus discipulis, qui qua die resurrexit, in castellum Emaus euntes mortem eius lamentabantur, ita locutus est: „*O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*“ (Luc. 24, 13—27).

4 2. *Declarat, se esse doctorem divinae et absolutae auctoritatis, quem omnes audire debeant.* — „*Mea doctrina*, inquit, *non est mea, sed eius, qui misit me (Dei Patris)*“ (Ioan. 7, 16). Et iterum: „*Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (Ioan. 18, 37). Item: „*Ego sum via, veritas et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me*“ (Ioan. 14, 6). Qui igitur doctrinam eius non audit, iudicio divino in novissimo die iudicatur: „*Qui spernit me et non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. Quia ergo ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Et scio, quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor*“ (Ioan. 12, 48—50). Idem iterum inculcat fidem in suam divinam missionem postulans tamquam conditionem vitae

aeternae: „*Amen, amen, dico vobis, quia, qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam*“ (Ioan. 5, 24). Denique tamquam doctor divinitus missus potestatem dicendi redivivus Apostolis suis communicat: „*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare, omnia, quaecunque mandavi vobis*“ (Matth. 28, 18).

3. Imo declarat se esse maiorem prophetis et Moyse et David, sc. se esse ipsum Filium Dei in hunc mundum a Patre missum. — A Iudaeis enim interrogatus: „*Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam*“ respondit: „*Loquor vobis et non creditis; opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me . . . Ego et Pater unum sumus . . . Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas; quia dixi: Filius Dei sum*“ (Ioan. 10. 24 ss). Denique quando Christus coram Synedrio apparuit nullumque contra eum testimonium inveniri potuit, Princeps sacerdotum surgens ei dixit: „*Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.*“ Iesus vero respondet: „*Tu dixisti* (i. e. ego sum); *verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli*“ (Matth. 26. 63. 64). Solemniter igitur coram publico tribunali divinam suam missionem iureiurando affirmat.

Assertio secunda: Admirabilis vitae sanctitas omnem ex parte Christi decipiendi animum prorsus exoludit.

6. Nihil in tota humana generis historia magis miraculosum occurrit, quam sanctitas Christi insignis et idealis, cuius imaginem fidelem et ad vivum expressam Evangelistae depinxerunt. Quae Christi summa sanctitas in omni virtutum genere tamquam sol collucet, prae cuius radiis quidquid sanctitatis et virtutis in quibuscunque hominibus invenitur, tamquam umbra imperfecta vel vestigium quoddam ab exemplari infinito fere gradu deficiens apparet. Ut vero,

quantum fieri potest tota huius sanctitatis vis atque splendor perspiciatur, ad singulares quasdam considerationes descendendum est. Itaque

7. *1. Primo consideratur, qua ratione Christus ad Deum se habuerit.* — Cum in terris Christus degeret, eius tamen conversatio in coelis erat. — „*Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt oportet me esse?*“ (Luc. 2, 49). Cum Deo continuo unitus Deum solum ob oculos habebat. Plenus summa erga Patrem reverentia, tenerrimo amore, absoluta cum ipsius voluntate consensione religionis perfectissimum exemplar imo ipsa velut religio erat. Ne momentum quidem temporis praeterire patiebatur, quod gloriae Patris non esset consecratum. „*Ego, quae placita sunt ei, facio semper*“ (Ioan. 8, 29; 49, 50). Non venit facere voluntatem suam sed voluntatem eius, qui ipsum misit. Ipsius cibus erat, facere voluntatem Patris mittentis et perficere opus ab eo ipsi datum (Ioan. 4. 34). Hinc per diem laborabat et desudabat in instruendis hominibus iisque ad Dei cognitionem et amorem pertrahendis, per noctem vero in Dei contemplatione ac oratione immorabatur. Itaque quod verbis docuit, exemplo ostendit: Viva enim et pulcherrima expressio erat sublimis atque pulcherrimae orationis dominicae quam discipulos suos edocuit. Haec enim oratio perfectissimum exemplar omnis rectae orationis est, cui igitur omnis alia conformari debet. Scilicet cum omnia contineat, quae homo rationabiliter Deum rogare potest, verum orationis spiritum ad vivum exprimit atque nos docet: unionem cum Deo, reverentiam ipsi ut Patri et creatori debitam, fiduciam in Dei misericordiam, desiderium regni Dei i. e. gloriae divinae et salutis hominum, conformitatem cum voluntate divina, denique humilitatem atque confidentiam bona temporalia atque aeterna a Deo nobis donari.

8. Ab opere, quod ad gloriam Patris promovendam susceperat, nihil ipsum deterrere valebat: nec defectus omnium mediorum naturalium, nec impedimenta cuiusvis generis, quae ipsi obiiciebantur in dies plura et maiora, nec

calumniae, odia persecutiones, nec ipsa tandem dirissima mors quidquam in eum valebant. Mediis in tribulationibus imperturbata persistebat animi eius quies et tranquillitas et serenitas; imo cum passioni et cruci obviam ibat, ex abundantia pacis suae discipulis suis impertire voluit: „*Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet*“ (Ioan. 14, 27). Cum semper idem ac sibi constans esset, fiducia mentisque securitas successu non crescebat nec minuebatur quocunque eventu, qui sinister videri poterat. Uno verbo ita cum Deo unitus erat, ut nihil apud ipsum valeret, nisi sanctissima Patris voluntas.

9. 2. *Consideretur modus, quo ad homines Christus se habebat.* — Imprimis hic se menti sistit incomprehensibilis plane amor, quo eos complectebatur. Amabat homines amore universali, tenerrimo humanitatisque pleno, efficaci, a quovis proprii commodi studio remotissimo, ac invincibili. Atque hanc suam ineffabilem caritatem omni modo exercebat: sanabat languores corporales, praedicabat, ut evangelium refert, quotidie in templo regnum Dei, lacrimabat propter calamitates populo Iudaico et urbi instantes, pro hominibus incommoda, labores, passiones toleravit, cum ipsis etiam mortuus perpetuo manere voluit; denique acerbissimam mortem tolerando, vitam ipsam pro hominibus dedit atque sanguinem suum fudit. De eius igitur caritate, si quidem unquam, verba valent: „*Fortis ut mors est dilectio*“ (Cantic. 8, 6). Non solum autem modo, sed termino etiam universalis eius caritas fuit, quatenus omnes homines ea complectebatur: amicos et inimicos, iustos et peccatores, Iudaeos et Gentiles, parvulos et adultos. Si quam vero praedilectionem habebat, haec spectabat parvulos: „*Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire*“ (Matth. 19, 14; cf. Marc. 10, 14); pauperes: „*evangelizare pauperibus misit me*“ (Luc. 4, 18); peccatores: „*non veni vocare iustos, sed peccatores*“ (Matth. 9, 13); afflictos denique et aegrotos: „*Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*“ (Matth. 11, 28). Neque Samaritanum, neque

Publicani, neque Pharisaei, neque inimici occisores eius a caritate Christi exclusi erant; imo in ipsa cruce suspensus pro persecutoribus suis et occisoribus orat atque iis veniam a Patre postulat: „*Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*“ (Luc. 23, 34). Profecto igitur vere Scriptura dicit: „*Pertransiit benefaciendo*“ (Act. 10, 38).

10. Cum caritate cohaerent atque ex ea consequuntur virtutes sociales; atque his quoque Christus summo gradu ornatus fuit. Quanta v. g. elucet benignitas et mansuetudo in ipsius conservatione! Quanta in ferendis discipulis et opprobriis tolerandis patientia! Quanta demissio in condonandis offensionibus, iis etiam, quibus afficiebatur ab hominibus, quos praecipui amoris testificationibus cumulaverat! Quanta animi tranquillitas et aequabilitas tum quoque, cum verbis factisque quosdam pro merito castigat! Quanta teneritudo et dulcedo et patientia erga eos, qui amicos et discipulos ipsi se adiungebant! Quam vere itaque et quam apte de seipso potuit dicere: „*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*“ (Matth. 11, 29).

11. 3. *Expendatur modus, quo ad semetipsum Christus se habuit.* — Imprimis nullo peccato Christus maculatus unquam est. Quin timeret obloquentem aliquem, declarare potuit: „*Quis ex vobis arguet me de peccato?*“ (Ioan. 8, 46). Vel ipsi infensissimi ipsius adversarii nihil in ipso deprehendebant, in quo vel levissima peccati aut imperfectionis umbra fuerit. Pilatus, quem iudicem habebat, sincere fassus est, nullam in eo se invenire causam, imo iustum eum declaravit. Quam declarationem repetit Iudas, qui eum prodidit et persecutoribus tradidit.

Non solum autem ab omni culpa et imperfectione solutus erat Christus, sed etiam secundum totam latitudinem et amplitudinem perfectionis absolutus erat, adeo ut nulla excogitari perfectionis ratio possit, quam non invenias in Christo ad vivum expressam. In omnibus enim virtutibus aeque sublimem conspicimus Christum, quia in omnibus non relative, sed absolute et simpliciter perfectus erat. Et quidem, quod maxime considerandum est et quod argu-

mentum summae pleneque consummatae perfectionis merito habetur: in Christo omnes virtutes habentur, licet specie tenus saepe sibi adversantes, mira harmonia coniunctae: In simplicitate sublimitas, in humilitate maiestas et dignitas, in mansuetudine fortitudo, in fervore tranquillitas, in iustitia misericordia et benignitas, in columbae simplicitate et sinceritate summa sapientia et prudentia. Quia quaevis harum aliarumque virtutum perfecta in ipso est, idcirco una non est quasi correctio alterius, sed omnes velut radii sunt ex uno lucis fonte promanantes.

Christi igitur perfectio non limitabatur tempore, quo vivebat, non gente, cuius erat; ipse est homo quasi-universalis, quippe in quo omnis elucet perfectio, quae in homine aliquo concipi potest. Ideo exemplar est omnium, quicunque ad perfectionem nituntur, quod tamen nullus assequi potest. Christum imitati sunt omnes Sancti: iuvenes et senes, viri et mulieres, homines omnis aetatis et conditionis: apostoli, martyres, doctores, confessores, virgines; atque ardenter quidem eius imitationi instabant, nullus tamen perfecte exemplar assecutus est, imo omnes a Christo insuperabilis distantia segregat.

4. Deinde consideranda est mors quoque Christi, quia, 12 *ut vulgo dicitur et merito quidem, morte vita hominis probatur.* — Morti se subtrahere Christus potuit, sed noluit. *„Ego pono animam meam. Nemo tollit eam a me sed ego pono eam a meipso“* (Ioan. 10, 19). Afficitur itaque morte acerbissima et ignominiosissima, eam sustinet, ut Patri gloriam, hominibus salutem supernaturalem conciliet, ut erroris atque mendacii regno destructo sola veritas regnet. Moritur ab iis ipsis condemnatus, quibus omnes vires omnesque curas impenderat; sed animum ab eis non avertit, verum de eorum salute sollicitus Patrem supplex orat, ut misericordiam eis exhibere velit. Moritur ab amicis suis et discipulis derelictus, verum amore in eos commoveri non desinit, sed, quam in deliciis habebat, matrem suam ipsorum matrem esse vult. Et extremo spiritu instante, quando ab omnibus, atque ab ipso Deo derelictus videbatur, de-

sertusque cruci affixus pendebat, quando triumphantibus ipsius adversariis omnia desperata videbantur, ipse non fractus, sed eadem securitate, qua opus suum coeperat et persecutus erat, sustentatus, non victi sed victoris voce exclamat: *„Consummatum est"* (Ioan. 19, 30); atque spiritum supremum emittit, Patri se commendans: *„Pater in manus tuas commendo spiritum meum"* (Luc. 23, 46). Numquid historia mortem cuiuspiam memorat, quae comparari cum Christi morte possit? Profecto non immerito quidam dixit: „Si Socratis vita atque mors eum sapientem ostendunt, Iesu vita atque mors eum Deum declarant."

13. *5. Tandem considerandum est, quod Christus spectabat et ad quod summo totius vitae studio contendebat.* — Propositum scilicet ipsi erat novam instituere religiosam societatem quae tota fide in ipsum nixa esset, quae omnes homines a servitute peccati redemptos et in libertatem filiorum Dei restitutos complecteretur; quae esset vere regnum Dei, in hac vita quidem inchoatum, consummatum vero in alia (cf. Matth. 28, 19 ss.; Marc. 16, 14 ss.; Ioan. 3, 3 ss.; Luc. 19, 10; 24, 46 ss.; et alia plurima testimonia). Quod vero sibi proposuerat opus, mira firmitate et securitate aggreditur, invicta constantia persequitur, ab eo nunquam desistit, sed ei tunc quoque insistit, cum omnis spes humana fracta atque incisa videbatur. Media, quae adhibet, non ea sunt, quae fini assequendo unice apta vulgo censentur, sed ea, quae humana aestimatione fini obtinendo potius impedimento sunt. Non enim v. g. doctos nec potentes primum sibi discipulos eligit, sed humiles potius, simplices et rudes piscatores. Nihilominus autem opus, quod voluit perficere, egregie perfecit.

14. *6. Denique, ut imago Christi absolvatur, ratio quoque consideranda est atque modus, quibus Doctorem hominum se exhibebat.* — Docebat Christus sublissima atque augustissima eaque sine omni labore et studio. Docebat universa, quae ad vitam religiosam, moralem vereque humanam pertinent, nulla praevertente meditatione, sine omni haesitatione et fluctuatione. Docebat auctoritate, quae audien-

tium admirationem rapiebat, mentis subiectionem postulabat omnemque formidinem erroris excludebat. Tamquam potestatem habens declarabat: „*Ego autem dico vobis*“ (Matth. 5, 39 ss.). Docebat, ut ipsius auditores stupentes fatercntur, nunquam sic locutum esse hominem; adversarios refutat atque simul punit vel reprehendit incomparabili maiestate; doctrinam suam non corrigit unquam, non confirmat argumentis multis, sed iteratis verbis ad suam auctoritatem atque scientiam suam provocat: „*Quod vidi apud Patrem meum loquor*“ (Ioan. 8, 38). Nimirum docebat, non ut homo mortalis docet, sed ut is, cui nihil absconditum est, verum omnia patent; non ut homo, qui magna virium contentione aliquam veritatis particulam arripit, sed ut is, qui in ipsam puram veritatis lucem oculos figit. Docebat, sicut ipsa veritas subsistens doceret, si carne assumpta, hominum magistra esse dignaretur.

Postremo, quod propter scopum assertionis imprimis 15.
ponderandum est, tota doctrina eius atque omnis ratio agendi perfectam atque luce candidiorem sinceritatem spirant. Discipulis suis hanc virtutem enixe commendat: „*Sit autem sermo vester: est, est; non, non*“ (Matth. 5, 37). Et quam rationem agendi commendat, eius se perfectissimum exemplar exhibet: ita v. g. ss. eucharistiae institutionem praedicens sincero animo rem declarat atque instanter inculcat, neque cum recte intelligebatur, quidquam retractat vel ulla ratione sinceritatem suam deponit vel minuit, quamvis ea de re multi discipuli eum relinquerent (Ioan. 6, 67). Sincerum animum erga discipulos semper gerit, non adulatur ipsis sed vitia eorum reprehendit: cum Petrus v. g. propter praedictionem passionis et mortis scandalizaretur, aperte eum Christus reprehendit: „*Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis, quae Dei sunt, sed quae sunt hominum*“ (Marc. 8, 33). Et cum discipuli animo deiecti resurrectionis nuntium credere nondum vellent, severe eos reprehendit: „*Novissime recumbentibus illis undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam*

cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt" (Marc. 16, 14). Sincere dein agit cum multitudine, secreta eorum motiva detegens manifestat, amorem crucis aperte docet atque sui abnegationem fundamentum suae religionis esse absque circuitu declarat: „*Si quis venit ad me et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus*" (Luc. 14, 26. 27; cf. Matth. 10, 38 et doctrinam de octo beatitudinibus). Denique sincere etiam cum inimicis et persecutoribus agit; eorum pravitatem aperte denunciat et castigat: Sic Pharisaeos aperte hypocritas vocat (Luc. 13, 15) et iterum severe eos reprehendens ait: „*Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum*" (Luc. 16, 14). Quare quae verba iam eadem die moriturus coram Pilato pronuntiavit, sinceram eius rationem agendi perfecte declarant: „*Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati*" (Ioan. 18, 37).

16. Atque haec cum sit extremis lineis depicta et adumbrata summae Christi perfectionis imago, non solum impium et blasphemum, sed plane absurdum quoque apparet vel solum suspicare, Christum discipulos suos atque per eos homines universos decepisse. Etenim quis non videat, cum tanta in Deum pietate tam impium sacrilegium, cum tanta in homines caritate tam atrox in totum genus humanum crimen, cum tanta sinceritate tam turpe mendacium, cum tanta humilitate tantum superbiae portentum ita absolute repugnare, ut scepticismo atque desperationi succumbendum nobis sit, si a Christo omnis animus decipiendi non sit penitus exclusus. Quare vel ipsi religionis christianae adversarii decipiendi animum a Christo prorsus excludunt.

Assertio tertia: Christum ipsum non esse deceptum tum ex admiranda eius sapienta tum ex plena causarum erroris absentia manifesto constat.

1. Ex admiranda eius sapientia. — Ad recte aestiman- 17.
dam mirabilem Christi sapientiam plura iam in praecedente assertione animadversa conducunt, et imprimis ea, quae de Christo doctore notata sunt. Plura vero alia restant, quae eidem fini inserviunt.

a) Puer vixdum duodennis in templo miranda cum sapientia docebat atque sacram Scripturam interpretabatur; quare *„stupebant omnes, qui eum audierunt super prudentia et responsis eius“* (Luc. 2, 47).

b) Deinde vitam publicam vix exorsus mirabilem illum sermonem montanum habuit (Matth. 5), qui omnem antiquorum sapientum philosophiam longe superat, quippe quo sublissima doctrina ascetica et moralis eo usque inaudita mira claritate et simplicitate proponitur. Et cum in civitate sua Nazareth prima vice die sabbathi Isaiam prophetam explicaret, omnes verba gratiae et sapientiae de eius ore procedentia mirantes exclamaverunt: *„Nonne hic est filius Ioseph?“* (Luc. 4, 22).

c) Non solum autem plebs rudis atque indocta sapientiam eius mirati sunt: sed scribae quoque et pharisaei eam experti pluries ipsam palam confiteri coacti sunt; etenim vel captiosissima eorum sophismata confudit eisque silentium imposuit, ita ut tandem nemo ex eis eum amplius interrogare auderet (Luc. 20, 40).

d) Praeterquam quod doctrinam religiosam et moralem proponeret sublimissimam, ut dictum est, eam sapientiam atque prudentiam in fundanda atque instituenda ecclesia, instituendis sacramentis, legibus ferendis atque tota N. F. oeconomia ordinanda exhibuit, ut tota mundi sapientia per duo millia annorum frustra contra hoc coeleste Christi opus moliatur atque exsurgat.

e) Denique animadvertendum est, Iesum fuisse fabri filium, qui scholas non visitaverit nec litteras didicerit: *„Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit“* (Ioan. 7, 15).

Non aliunde igitur eius sapientia potest esse, quam de coelo divinitus infusa, quemadmodum ipse testatur: *„Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me"* (v. 16); quod quidem luculentius in sequenti articulo demonstrabitur.

18. Iam evidens prorsus est, cum hac tam miranda atque superhumana sapientia errorem tantum in gravissimo religionis aeternaeque salutis negotio prorsus incompossibilem esse. Quis enim sibi iam blandiri posset de certa veritatis possessione, si Christus tam stupenda sapientia praeditus, tam remotus ab omni ambiguitate et titubatione, tam tranquilla mente et semper sui compote ornatus in tam turp errore circa gravissimum religionis negotium versatus esset? Profecto nemo; quare si in Christo tam turpis error admitteretur, de certitudine quavis in re religiosa actum esset.

19. *2. Ex plena causarum erroris absentia.* — Praecedens argumentum confirmatur atque invictum prorsus redditur, si consideretur magis negative, omnem causam, ex qua talis error oriri posset, in Christo plane defuisse. Nimirum in re tanta deceptio locum habere non potest nisi per superbiam aut imaginationis vim perversam et fanaticum enthusiasmum. Atqui haec a Christo plane aliena erant; etenim

a) *Primo*, ut iam supra dictum est, humilitatem insignem non tantum verbis docuit, sed vita exercebat. Ita non venit ministrari, sed ministrare (Matth. 20, 28); Apostolorum pedes lavit (Ioan. 13, 4, ss.); cum rudibus, pauperibus, infima plebe conversatus est; mirabilia opera sua non iactavit; honores subterfugit nec favores exoptavit; imo ut Apostolus ait, *„humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis"* (Phil. 2, 7). Iamvero tali et tanta humilitate error ex superbia ortus plane excluditur, praesertim quia ad talem errorem concipiendum non superbia qualiscunque sufficit, sed talis requiritur, quae ad blasphemiam usque et mentis delirium progrediatur.

b) *Deinde* autem non magis imaginationis vi et fanatico enthusiasmo Christus deceptus esse dici potest. Nulla enim in Christo superexcitatae imaginationis nec fanatici

enthusiasmi vestigia apparent. Imo mira animi et tranquillitate et moderatione summa excelluit. Etiam ab adversariis lacessitus, moderatae repulsae et castigationis fines non excessit, nihil exaggerat atque ita omnia sua verba, omnes actiones temperavit, ut vel adversarii nihil in eo reprehendere possent, sed tamquam aequum rerum aestimatorem et perfecte semper sui compotem agnoscere deberent. Atque perfectum hoc animi aequilibrium in ipsa passione et morte inconcussum servavit. — Cum enim acerbissima tormenta subire deberet, ea toleravit non fanatico furore elatus, nec vanam Stoicorum indolentiam affectans, sed placido animo atque patientia invicta. Incredibili animi moderatione et serenitate mediis in tormentis persequentibus et maledicentibus benedixit eorumque saluti procurandae intentus erat. Iamvero in tali agendi ratione neque vestigia fanatici enthusiasmi apparent; imo tanta animi tranquillitas, sinceritas, serenitas cum quavis fanatismi specie prorsus pugnat. Ergo evidens est, absurdissime dici Christum quacunque fanatici enthusiasmi specie ullo modo deceptum esse.

Itaque cum Christus tam divina et stupenda sapientia **20.** emineat, cum omnis causa erroris circa legationem suam sit penitus ab ipso exclusa, evidenter repugnat, quominus ipse errore deceptus sit. Non minus autem, ut in praecedente assertione demonstratum est, omnis decipiendi animus a Christo est exclusus. Unde evidens est argumentum: Aut Christus omnium, qui unquam exstiterunt vaferrimus fuit et sceleratissimus impostor aut miserrima et perpetua hallucinatione delusus est aut vero reipsa Dei legatus fuit in mundum missus ad docendam religionem divinitus revelatam. Atqui duo priora evidenter repugnant. Ergo tertium verum atque certum est, sc. Christus verus est Dei legatus.

Scholion.

1. Ex sanctitate Christi tamquam miraculo morali di- **21.** *vina Christi legatio confirmatur.* — Alia quoque ratione,

quam supra factum est, ex sanctitate Christi divina eius legatio confirmari potest. Scilicet sanctitas illa stupendum miraculum est in ordine morali. Profecto enim hominem non posse naturaliter vel ex propriis viribus omne peccatum vitare et ad summam illam perfectionem venire, quae in Christo resplendet, manifestissimum est. Hoc enim universum genus humanum clamat ideoque certa haec est vox naturae; quare ut intolerabilis atque vesana superbia consideraretur, si quis mortalis sibi impeccantiam tribueret. Idem conscientia unicuique sua testatur, sc. multipliciter se deficere in vitandis peccatis atque in perfectione sectanda. Ipsi Sancti quoque rei veritate coacti confessi sunt, in multis se deficere nec a longe stupendam Christi perfectionem se attigisse. Ratio huius rei manifesta est; etenim si homini difficile, imo moraliter impossibile est, ut suis viribus naturalibus religionem naturalem perfecte cognoscat, multo difficilius multoque magis moraliter impossibile erit, ut accurate perfecteque praecepta eius observet. Veritatem igitur sola ratione manifestam S. Ioannes enuntiavit, cum diceret: *„Si dixerimus, quonium peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est"* (1 Ioan. 1. 8). Iamvero Christus sine omni prorsus peccato fuit; hoc enim evangelistae docent, hoc ipse de se confitetur, quod imprimis rem extra omnem dubitationem ponit; quomodo enim ipse, qui tam mitis fuit et humilis corde, qui omnem arrogantiam superbiamque tanto odio persequebatur, id de se affirmasset, nisi clare rei veritatem perspexisset? Fuit dein omnibus virtutibus egregie ornatus; medius in illius aetatis corruptione et suae gentis perversitate mirabili sanctitate tamquam sol emicuit. Quare sine dubio mirabilis haec sanctitas tamquam stupendum miraculum morale considerandum est divinitus effectum. Ex alia autem parte iterum iterumque enixe declaravit, se esse legatum divinum. Atqui Deus hominem falso se iactantem legatum suum miraculo approbare non potest. Ergo reipsa Christus fuit legatus divinus.

2. Animus decipiendi a Christo non sola eius sanctitate 22.
sed aliunde quoque penitus excluditur. — Videlicet inde quoque haec veritas confirmatur, quod si Christus deceptorem egisset, ipso quoque sicuti ceteri deceptores vel pseudomessiae (cf. Jos. Flav. Bell. 2, 6; Antiqu. 30.) praeconceptis Iudaeorum de regno Messiae terreno ideis se accomodasset necnon huiusmodi pollicitationibus asseclas sibi acquirere atque Romanae dominationis iugum excutere studuisset. Nihil autem horum fecit, imo contrario semper modo processit; constanter subiectionem commendavit erga auctoritatem politicam: *„Reddite quae sunt Caesaris Caesari“* (Matth. 22, 21), — atque iteratis vicibus regnum suum terrenum non esse, sed coeleste sollemniter declaravit.

3. Obiectiones quaedam contra sanctitatem Christi re- 23.
pelluntur. — *a) Per aliquod tempus apud incredulos mos erat, Christo opponere Graecum sapientem Socratem, acsi is Iesu quoad perfectionem moralem comparari possit.* — At vero satis inepta est talis comparatio. Quamvis enim Socrates inter sapientissimos Graecos atque moratissimos nobilissimosque recenseri possit, attamen ipse quoque a vitiis suae aetatis suaeque gentis immunis non erat. Ita v. g. voluptatem sensualem non solum non fugit, sed potius vel amicis et discipulis confitentibus immoderate eam affectavit. Imo vitio turpissimo et innaturali, quod hinde nomine amoris platonici velatur, infectus fuisse videtur. Praeterea discipulos suos ad impudicum cum meretricibus commercium inducere solebat atque Theodotam malae famae mulierem, qua ratione viros alliceret, instruere non dubitavit Tandem Polytheismum, etsi theoretice negaverit, practice tamen paulo ante mortem suam adhuc professus est. Denique quaecunque erat Socratis sapientia et perfectio, aetatis et gentis suae mores doctrinamque moralem essentialiter non superavit. Quantum itaque Socrates a Christo distet, commode perspicitur. Absurdum igitur et impium apparet, si quis serio cum Graeco illo Iesum velit comparare. De Socratis moribus conferri possunt: *Plato,* Sympos.; *Xenophon,* Sympos. 2, 26 et 8, 2: id., Mem. I, 3, 8.

24. *b) Aeque absurde ac cum Socrate alii recentiores Christum cum Buddha sive Sakya-Mouni, Buddhismi fundatore compararunt.* — Imprimis enim pauca de huius vira vita historice certa sunt; quare qui idealem quandam Buddhae imaginem componunt eamque Christo opponunt, fabulas potius texunt, quam historiam scribunt. Deinde vero Buddha reipsa atheismum professus est, quia nec inquirendum esse nec sciri posse, an numen supremum existat, falso docuit; quare cultum quoque divinum proprie dictum prorsus neglexit. Praeterea absurdam animorum metempsychosin professus est. Virtutes morales quidem commendavit, ut abnegationem, beneficentiam aliasque, verum non aliud virtutis exercendae motivum assignavit, nisi amorem proprium; qua ratione omne sane virtutis exercitium intrinsecus vitiatur atque quaelibet virtus in se destruitur. Hinc facile de ipsa eiusdem vita perfectioneque morali iudicium ferri potest. Profecto tum iniuriosum, tum absurdum est, cum Christo fundatorem Buddhismi in comparationem ducere. Cf. *Hardy,* Der Buddhismus. 1890. *Sinthern,* Buddhismus und Buddhistische Strömungen in der Gegenwart, 1905, ubi etiam alii fontes afferuntur.

25 *c) Aliqui recentiores naevos quosdam in vita Christi sibi invenisse videntur; Strauss v. g. vituperat, quod Christus a rebus politicis abstinuerit; Hase vero et Schleiermacher absurde vitio vertunt, quod matrimonium non inierit.* — At vero, quod *primam obiectionem* attinet: Christus non venit, ut directe res politicas restauraret, sed restauratio religiosa et moralis generis humani ipsi tamquam finis sublimissimus propositas erat. *„Regnum meum,* ita ipse, *non est de hoc mundo“* (Ioann. 18, 36). Sub respectu autem morali et religioso hominis valor non adeo consistit in actionibus publicis speciosis, verum internis potius sensibus, intentionibus, ut humilitatis, mansuetudinis, obedientiae, caritatis constituitur; quare in his imprimis virtutibus Christus humano generi se exemplar exhibere debuit. Praeterea vero doctrina sua firmissimum fundamentum posuit, quo tota vita publica restauretur et recte ordinetur. Verbis enim:

„*Reddite . . , quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo*“ (Matth. 22, 21) primum principium vitae publicae recte institutae continetur. Similiter alia quoque doctrinae christianae capita ad publicam salutem et prosperitatem temporalem maxime conducunt. — Quod deinde *alterum* attinet, quod obiectum est, sc. quod Christus matrimonium non inierit, puerilis haec atque inepta est obiectio. Primo enim quamvis vita coniugalis bona sit, melior tamen atque sublimior est virginitas. Praeterea cum sublimi Christi vocatione status virginalis solus congruus fuit. An forte Christus, qui ideo in mundum venit, ut homines e peccati servitute liberaret, gloriam Patris promoveret, regnum Dei instauraret, vinculis coniugalibus illigatus et curis domesticis detentus rationabiliter concipi potest? Denique homines ad sensibilia et carnalia proni sive matrimonio sunt coniuncti sive soluti maxime indigent exemplo absolutae et perfectae puritatis, quo ad effrenatam sensualitatem vincendam potenter excitentur atque adiuventur. Tale autem exemplum, quo omnes homines et quidem matrimonio soluti quoque excitentur et iuventur, praebere non potuit nisi Redemptor virgo.

Articulus secundus.

De insigni Christi doctrina.

Thesis 38. Doctrina Christi ea praecellentia insignita est atque hominis naturae et conditionibus tam egregie accommodata apparet, ut inde ad divinam eius originem merito concludatur.

Declaratio.

Summa atque divisio demonstrationis. — Quod in praesenti thesi evolvendum est argumentum, non omnibus quidem accommodatum apparet, quia plures scilicet inepti sunt ad sublimissimam illam sapientiam penetrandam, quae in doctrina atque institutis religionis christianae mire resplendet. Verumtamen hoc argumentum, praesertim si non 1.

restringatur ad solam doctrinae christianae cum ratione conformitatem, firmissimum est necnon valde aptum, quo homines ingenii exculti et perspicacis valde delectentur atque alliciantur; quare SS. Patres quoque eodem frequenter utuntur. Summa vero argumenti his continetur: Religio christiana in sua doctrina suisque salutis institutis spectata mira praecellentia eminet atque hominum naturae indolique egregie et mirum in modum congrua est; atqui religio tam praecellens spectata humanae rationis supernaturalis sive divina merito dicitur; ergo reipsa religio Christi a Deo originem ducit. Quod argumentum ut pro rei dignitate tractetur, tria demonstranda vel explicanda sunt tribus thesis partibus: primo religionem christianam in suis doctrinis et institutis egregia praecellentia eminere; secundo eandem hominum indoli et necessitatibus mire congruam esse; tertio duobus his consideratis ad divinam eiusdem religionis originem merito concludi. Animadvertendum vero est, partes has ab invicem non ita differre ut nihil in una, quod ad alteram trahi possit, contineatur, sed secundum quod magis aptum et commodum apparet, aliquid in hac potius, quam in alia parte tractatur.

Demonstratio.

I. p. Religio christiana in doctrinis suis atque institutis mira excellentia eminet.

2. Ad hanc partem explicandam tria considerare expedit: doctrinam speculativam vel dogmaticam, doctrinam moralem vel practicam, instituta varia atque media salutis. Itaque

1. Doctrina dogmatica maxime Deo digna est et sua se excellentia commendat. — Etenim non solum naturalem theologiam ceterasque veritates ad religionem naturalem spectantes complete, perfecte, clare, secure tradit, sed veritates supernaturales quoque docet, quae quemlibet intellectum creatum naturalibus suis viribus relictum plane excedunt, novum quasi mundum et novum veritatum systema constituunt, cum veritatibus religionis naturalis pulchra

harmonia apte componuntur necnon divinam maiestatem et perfectionem stupendum in modum illustrant.

a) *Considerentur itaque primo veritates religionis naturalis* 3. — Religio christiana eas complete, clare determinate, certo tradit, cum philosophi naturali sua ratione earum tantum aliquas neque eas clare et indubitanter cognoverint, imo in turpissimos circa eas errores inciderint. Praesertim vero earum quaestionum solutionem clarissimam tradit, quae anxia cura atque sollicitudine totum genus humanum semper detinuerunt, non solum doctos sed etiam rudes. Scilicet *primo* clarissime explicat Dei primae causae existentiam et perfectionem, cum doceat, Deum esse unum, verum, vivum, creatorem coeli et terrae, omnipotentem, immensum, aeternum, incomprehensibilem, intellectu et voluntate omnique perfectione infinitum, a mundo essentialiter distinctum, in se et ex se beatissimum. *Deinde* de origine mundi quoque clarissime hominem edocet deque divina providentia, qua totus mundus gubernatur et ad finem suum ultimum, gloriam Dei, sapientissime dirigitur. Quam doctrinam *Concilium Vaticanum* his verbis expressit: „Hic solus verus Deus, bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Universa vero, quae condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter“ (sess. 3. c. 1 Denz. 1783, 4.; cf. Matth. 6, 25. 34). *Praeterea* origo hominis quoque eiusque natura a doctrina christiana clarissime describuntur: ut cetera omnia a Deo tamquam primo principio et secundum animam immediate procedit; atque cum spiritualis, liber, immortalis sit, insignem Dei vitaeque divinae imaginem exhibet. *Denique* doctrina christiana nos edocet clarissime ad Deum quoque tamquam ad supremum finem

omnia reducenda esse ita, ut Deus sit omnia in omnibus. Cum enim Deus sit summa et infinita bonitas, omnia alia eatenus bona sunt, quatenus ipsius participatio aliqua et cum ipso aliqua ratione coniuncta sunt. Quare omnia in Dei gloriam ordinantur et vergere debent. Quam quo magis aliqua creatura rationalis promovet, eo magis valet, quo minus, eo minor eius valor est. Haec est moralis creaturae rationalis bonitas, ut ad Deum tendat, eius voluntatem faciat, eius gloriam promovere studeat. Nihil naturaliter bonum cum hac unione cum Deo, cum hac morali bonitate in comparationem venire potest. Secundum eandem hanc moralem bonitatem vel defectum eius aut praemiis in altera vita remunerabitur homo aut poenas luet. Nisi enim libere Dei gloriam promoveat, invitus eam poenas luendo promovere debet. Atque his primum principium atque solidissimum fundamentum perfectionis moralis continetur.

4. Iamvero ad claram et certam harum veritatum fundamentalium cognitionem nemo philosophorum pervenit, cum tamen pretium humanae vitae omnisque eius recta ordinatio a cognitione earundem dependeat. In Christi autem doctrina clarissime et certissime proponuntur. Innumera fere huc pertinent Evangeliorum testimonia, quae cum sint notissima, referre non oportet.

5. b) *Deinde consideranda sunt mysteria sive illae religionis christianae veritates, quae vires naturales cuiuslibet intellectus finiti absolute excedunt.* — Quorum praecipua sunt: SS. Trinitas, Incarnatio, elevatio hominis ad ordinem supernaturalem et divinum. In consideratione horum mysteriorum animadvertendum est, prae oculis habita et comparata infinita Dei perfectione cum intelligentia nostra limitata, a priore existentiam mysteriorum in Deo esse probabilissimam; atque tunc christianam religionem maxime commendare merito dicuntur. Primo enim mirabili luce divinam perfectionem aspergunt, ut vitam, iustitiam, misericordiam, bonitatem, liberalitatem, potentiam divinam. Deinde inter se harmonice ita cohaerent atque ita se invicem illustrant

et postulant, ut uno dempto cetera quoque auferantur vel incompleta saltem sive truncata appareant. Denique eadem mysteria veritates naturales totumque ordinem naturalem tam congrue complent atque perficiunt, ut veritates naturales et mysteria simul considerata in mirabili harmonia appareant et nova luce totum universum refulgeat. Cum haec omnia iam supra (th. 17) sufficienter indigitata sint, hic solum Incarnationis mysterium paulo accuratius considerare expedit.

6. Itaque quemadmodum SS. Trinitas radix est ceterorum mysteriorum, ita Incarnatio eorum centrum merito haberi potest. Etenim supponit mysterium SS. Trinitatis atque ex eodem procedit; siquidem Deus ita mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, qui mundum sub dira tyrannide daemonis et mortis gementem sibi reconciliaret; redemptione autem peracta Spiritum S. misit, cuius virtute merita sua fidelibus applicarentur. Deinde Incarnatio refertur ad peccatum originale, quippe quod per redemptionem deletum est. Item refertur ad iustificationem, utpote quae est fructus redemptionis et qua participes reddimur divinae naturae, filii Dei et fratres Christi, ut si ipse primogenitus inter multos fratres. Itaque Filius Dei factus est homo, frater noster secundum humanam naturam, ut homo fieret filius Dei et frater Christi secundum participationem divinae naturae. „*Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae*" (2 Pet. 1, 4) „*Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*" (1. Ioann. 3, 1). Insuper ex Incarnatione et Redemptione cum ceteris sacramentis processit mirabile ss. Eucharistiae mysterium, in quo Deus-homo atque Redemptor ad finem usque saeculorum cum hominibus manet, sacrificatur, in cibum animae se donat. Denique ut fructus finalis Incarnationis et Redemptionis atque ut culmen et corona ceterorum mysteriorum apparet beatitudo supernaturalis sive visio beatifica, qua modo inexspectato et incomprehensibili inextinguibile beatitudinis desiderium expletur et creatura ipsi vitae et beatitudini

subsistenti, quantum fieri potest, intime coniungitur atque assimilatur. *„Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est“* (1. Ioan. 3, 2). *„Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum“* (1. Cor. 13, 12). Itaque non solum in Christo ima cum summis, humanitas cum divinitate mirabili unitate coniuncta sunt, quippe in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Col. 2, 9); verum per Christum omnia ad Deum reducuntur, imprimis vero homo rationalis per ipsum cum Deo intime coniungitur, ut Deo assimilatus ipsam vitam divinam mirabili modo participet. Atque ita Deus per Christum erit omnia in omnibus (1 Cor. 15, 28).

7. Quae cum ita sint, mysterium Incarnationis mirabili luce circumfundit infinitam Dei maiestatem et perfectionem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, liberalitatem divinam; gravitatem peccati atque incomparabilem animae immortalis valorem ostendit, necnon mundum universum, microcosmum et macrocosmum divino quasi splendore circumdat. Re igitur vera, uberior Dei manifestatio, luculentior doctrina et altior, quam ipsum Verbum caro factum concipi nequit. Una hac voce: *„Verbum caro factum est et habitavit in nobis“* (Ioan. 1. 14) luce perfunduntur res praeteritae et futurae, terrenae et coelestes, hominis et Dei mirabilis cognitio obtinetur. Quaestionum omnium, quae sollicitos homines merito habent, solutio profundissima est Verbum caro factum. Thesaurum igitur sublimissimarum veritatum verbum hoc abbreviatum praebet: Christus splendor gloriae et figura substantiae Dei (Heb. 1, 3) crucifixus.

8. Iamvero haec omnia, si considerentur, satis clare ostendunt, tale sublimissimarum veritatum mirabile systema, quae in se tam egregie cohaerent, divinam maiestatem tanto splendore circumdant, necnon harmonice cum veritatibus naturalibus connectuntur atque naturam humanam tam convenienter perficiunt, ab omni scientia humana es-

sentialiter differre, atque mentem humanam merito admiratione percellere. Nihil enim aeque sublime in ullis philosophorum etiam profundissimorum ac subtilissimorum scriptis invenitur; imo nihil est, quod a longe solum cum mysteriis christianis in comparationem venire possit. Et quidem, quod sedulo animadvertendum est, eo adhuc mirabilior est illa mysteriorum inter se et cum aliis veritatibus harmonia, quod nullum in se positive et perfecte ab humana mente intelligi potest. Merito igitur de hac mysteriorum scientia gloriatur Apostolus: „*Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio*“ (1. Cor. 2. 6 ss).

9. 2. *Doctrina Christi moralis maxime Deo digna est atque egregia sanctitate praecellit.* — Ut doctrina Christi theoretica ita et doctrina moralis ceteris omnibus doctrinis religiosis infinite fere antecellit, ut facile perspicitur, si ad summa quaedam capita consideratio revocatur. Itaque:

a) *Cum ipsum Deum, bonitatem subsistentem, tamquam principium primum, normam absolutam, atque finem ultimum moralitatis statuat, non solum in solidissimo fundamento vitam moralem ponit sed homines ad summam perfectionem sectandam manuducit.*

10. *Primo* maximum et praecipuum mandatum statuitur esse praeceptum caritatis atque adeo haec caritas urgetur, ut declaretur esse finis totius religionis, compendium legis ac omnium virtutum anima. „*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae*“ (Matth. 22, 37, 38). Iamvero hoc divini amoris praeceptum hominibus maxime congruum est, quippe quia animo humano, cuius vita, satisfactio, beatitudo in amore inveniuntur, nobilissimum obiectum, ipsam sc. infinitam bonitatem et amabilitatem amandam proponit. Insuper quia hic amor omnibus praeponendus est, quia eodem omnis alius

amor, omnis quoque virtus dirigenda est. amor Dei quasi anima hominis constituitur atque ipse homo ad summam perfectionem evehitur: etenim tali amore Deo assimilatur, quippe qui seipsum infinito amore complectitur atque omnia a se diversa nonnisi in seipso et propter semetipsum amat. Iamvero perfectio moralis eiusmodi, quae ex purissimo Dei amore efflorescit, in nulla alia religione, in nullo systemate ethico sive praescripta sive commendata invenitur. — Cum amore Dei connexus amor proximi proponitur, qui ad omnes cuiusvis conditiones homines extenditur neque ipsis inimicis exclusis, siquidem omnes imaginem Dei resplendent, sanguine Christi redempti sunt atque filii Dei sunt vel esse vocantur, et fratres Christi non solum propter eandem naturam humanam, sed etiam propter participationem divinae naturae, ad quam destinati omnes sunt: *„Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, . . ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est“* (Matth. 5, 44). Quare in nulla alia religione nec praescribitur nec invenitur dilectio proximi tam pura, tam operosa, tam efficax, qualis in religione christiana exercetur; imo talis dilectio ante exortam religionem christianam plane incognita erat. Imprimis autem ab inimicorum amore tum Iudaei, tum Gentiles et quidem non rudes solum et inculti, sed docti quoque philosophi abhorruerunt; imo sapientissimi antiquorum inimicum odio habendum atque ultione castigandum esse docuerunt. Quem errorem tum *Socrates* (Xenoph. mem. 2. 6. 35) tum *Aristoteles* (Eth. Nic 4, 8) tum *Cicero* (De provinc. 17.) professi sunt.

11 *Secundo:* doctrina christiana tamquam fundamentum vitae moralis et perfectionis ponit insignem virtutem humilitatis, quae in verissima suimetipsius et Dei cognitione nititur: *„Amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste hic est maior in regno coelorum“* (Matth. 18, 3). Iamvero haec quoque virtus, cum propter excellentiam suam et necessitatem adeo a

Christo inculcetur, cum maxime subiectum suum exornet atque amabile reddat, antiquis tamen, vel quod nomen vel conceptum eius attinet, ignota plane fuit; expressiones enim *humilitas* atque ταπείνωσις non virtutem, sed dedecus designabant. Quare iam *Augustinus* hanc virtutem ut singularem christianae religionis florem considerat: „Haec aqua (humiliationis cordis) in nullis alienigenarum libris est, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichaeis, non in Platonicis. Ubicunque etiam inveniuntur optima praecepta morum et disciplinae, humilitas tamen ista non invenitur. Vis humilitatis huius aliunde manat: a Christo venit" (in Matth. 18. 3).

Tertio: insigne decus doctrinae moralis christianae con- **12.**
silia evangelica constituunt: voluntaria paupertas, castitas, obedientia Dei amore susceptae. Haec quidem consilia, ut ipsum nomen indicat, praecepti rationem non habent neque igitur omnes obligant, sed iis observanda proponuntur, qui insignes esse volunt in Dei servitio atque ad summam perfectionem, ad summum Dei amorem anhelant. „*Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni sequere me*" (Matth. 19, 21). „*Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est . . . sunt eunuchi, qui se ipsos castravèrunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat*" (Matth. 19, 12). Iamvero his consiliis imprimis in christiana societate impense perfectionis studium promovetur, quin tamen singulis iugum nimis durum imponatur. Praeterea ad nobiliorem operandi modum homines inducuntur, cum generose sponte liberaliter praestent, ad quod Deus quidem allicere, non vero obligare voluit. Atque haec sane doctrinae christianae sapientiam multum commendant. Denique consilia evangelica eos, qui ea sequuntur atque fideliter exsequuntur, ad summam perfectionem manuducunt. Disruptis enim vinculis, quibus homo ad terrena et temporalia alligatur, sanctus Dei et proximi amor potenter efflorescere solent adeo, ut homo studio gloriae Dei atque salutis animarum tamquam holocaustum consumetur. Cuius rei luculenta exempla hi-

storia christiana exhibet. Nihil autem aeque magnum et sublime in quacunque alia religione apparet, vel ad summum huius tantae perfectionis deformia simulacra inveniuntur. Virginitatis et voluntariae paupertatis suasione lex evangelica etiam prae mosaica egregie eminet. Ad rem *Chrysostomus:* „Magna de virginitate dixerat (Christus). . . . Res est natura sua ardua, ut inde palam est, quod in veteri lege ne sancti quidem magnique viri illam exercuerint, et in nova nulla legis necessitate iubeatur. Neque enim hoc praecipit, sed audientium arbitrio illud relinquit. Ideo ait Paulus: *‚De virginibus autem praeceptum Domini non habeo.‘* Laudo quidam illud servantem, sed nolentem non cogo, neque praeceptum id facio“ (In Matth. hom. 78. al. 79. n. 1).

13. *Quarto:* illud quoque insigne doctrinae moralis Christi est, quod homines ad continuam sui abnegationem, ad tolerantiam passionum, contemptus, humiliationis, verbo ad amorem crucis enixe hortatur: *„Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me“* (Matth. 16, 24) *„Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus“* (Luc. 14, 26). *„Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis“* (Matth. 5, 11. 12). Atque haec est regula moralis perfectissima et sapientissima; in quo enim nullus est amor crucis, is nec praecepta implere atque multo minus consilia evangelica observare potest, utpote quae amoris proprii abnegationem multiplicem postulant. Per amorem autem crucis proprius amor, radix ista peccatorum, vincitur atque eradicatur; atque tunc iam sine impedimento sanctus Dei amor in corde hominis efflorescere hominemque ad summam sanctitatem perducere potest. — Iamvero haec quoque moralis perfectionis regula a quavis alia religione et a quavis sapientia humana atque mundana aliena apparet. Amore igitur

illo crucis vel amore illo Dei usque ad contemptum sui christiana religio tamquam sigillo divinitus impresso insignitur. Huc accommodari possunt pulchra *Augustini* verba: „Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, coelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui; . . . illa in seipsa, haec in Domino gloriatur“ (De civit. Dei l. 14. c. 28).

Quinto: denique doctrina moralis Christi non solum 14.
speciales quasdam excellentissimas virtutes docet, sed ideo quoque ad summam perfectionem hominem manuducit, quia est regula universalis, qua omnia in homine recte ordinantur. Etenim quaelibet vitae studia, quemlibet statum, quoslibet casus, quascunque conditiones attingit; nullum est vitium, quod non prohibeatur, nulla virtus, quae non praescribatur aut commendetur, nullum bonum opus, quod non iniungatur aut suadeatur. Neque tantum actiones externae, sed verba quoque, desideria, affectus, cogitationes ceteraque omnia, quae ad hominem pertinent, hac moralitatis regula ordinantur. *„Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum“* (Tit. 2. 11. ss.). *„Quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate“* (Phil. 4, 8). Itaque perfectam plane et absolutam perfectionis moralis regulam christiana religio proponit; quam qui accurate observant, ad summam sanctitatem necessario evehuntur.

b) Non solum autem doctrina moralis Christi summam 15.
perfectionem moralem sectandam proponit, sed etiam ad eandem prosequendam efficacissime impellit. — Etenim *primo motiva* proponit, quae maxime hominem urgere valent. Sic ad virtutem exercendam multum sane movet timor

Dei: *„Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam“* (Matth. 10, 28). Non minus vero impellit spes praemii promissi, quod omnem sensum humanum superat, atque fiducia in Dei auxilium: *„Nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quae Deus praeparavit iis, qui diligunt illum“* (1. Cor. 2, 9). *„Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis“* (Matth. 5, 12). *„Omnia possum in eo, qui me confortat“* (Phil. 4, 13). Maxime autem ad amorem Dei omnisque virtutis exercitium impellere valet, quod non solum nostro amori Dei amor rependatur, sed quod Deus ipse prior tam infinita caritate nos dilexit, qualis elucet in creatione, elevatione, passione, redemptione, in ss. eucharistiae institutione aliisque stupendis beneficiis exhibitis: *„Si quis diliget me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus“* (Joh. 14, 23). *„Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos“* (1. Joan. 4, 19). *„Sic Deus dilexit mundum, ut proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum“* (Joan. 3, 16). *„Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos“* (Ioan. 13, 1). — *Deinde* perfectissimo sanctitatis et perfectionis *exemplo* proposito simul tutam virtutis atque perfectionis viam ob oculos ponit, simulque ad sanctitatem suaviter et fortiter impellit. Exemplar enim sanctitatis ipse Deus atque imprimis Deus-homo, Redemptor noster, proponitur. Nulla enim est virtus, nullus gradus sanctitatis, in quo Christi Redemptoris exemplum non praeluceat, ad quem non alliciat. *„Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est“* (Matth. 5, 48). *„Diligite inimicos vestros . . . ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos“* (Matth. 5, 44. 45). *„Ut sint unum, sicut et nos unum sumus“* (Ioan. 17, 22). *„Discite a me, quia mitis sum et humilis corde“* (Matth. 11, 29). *„Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis“* (Ioan. 13, 15). Atque hoc Christi insigne

exemplum continuo prae oculis habendum est, quare Apostolus dicit: „*Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*“ (1 Cor. 4, 16). Quod consilium vel praeceptum Apostoli secuti sancti Dei servi nihil magis studuerunt, quam Christum imitari, atque ea ratione ad sublimem perfectionem et sanctitatem pervenerunt.

Iam vero si cum hac sublimi doctrina morali Christi comparentur systemata ethica sive antiquorum sive recentiorum philosophorum christianam religionem aversantium, ut Hedonismi, Utilitarismi, convenientiae cum legibus status, convenientiae cum ratione humana, continuo intelligitur, haec systemata tum in se multipliciter deficere atque absurda esse, tum quoque a doctrinae christianae veritate, congruitate, sublimitate toto coelo distare.

3. Instituta quoque supernaturalia, quibus religio chri- 16
stiana ad edocendos et sanctificandos homines instructa est, insigne eius decus constituunt. — Haec scilicet instituta tum supernaturali hominis fini tum eius naturae egregie accommodata sunt necnon mirabili modo Dei bonitatem, iustitiam, sapientiam patefaciunt atque illustrant.

a) *Consideretur imprimis ipsa ecclesia, quae Christi opus in terris continuat homines docendo, in via salutis dirigendo, sanctificando* (cf. Matth. 16, 18). — Hominis naturae apprime accommodata est: cum homo natura sua sit ens sociale, ecclesia primo societatem perfectam constituit atque omnibus talis societatis praerogativis atque attributis instructa est. Deinde cum visibilis sit hominis natura, visibili modo munus suum exercet, homines sc. docet, dirigit, sanctificat. Divina auctoritate instructa est, ita ut quemadmodum in ordine naturali et in mundo naturali Deus potentiam suam creaturis communicavit, ita in ordine supernaturali quoque et mundo novo coelesti suae potentiae homines participes redderet. Denique fidelem sui auctoris et sponsi Christi imaginem continuo refert in sua compositione ex elemento humano et divino, in sua unitate, sanctitate, beneficentia, in persecutionibus et passionibus, quas sustinere debet, in triumphis, quibus aliquando insignitur

pluribusque aliis, ut merito dicatur Christus mysticus in terris degens.

b) *Considerentur deinde sacramenta, quae Christus instituit, ut ipsis hominibus salus, quam Christus meruit, applicaretur.* — Haec quoque institutio tum potentiae et sapientiae divinae tum hominis naturae atque indoli egregie congruit. Quod bene explicat *S. Thomas*: „Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem triplici ratione: quarum prima sumenda est ex conditione humanae naturae, cuius proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur; pertinet autem ad divinam providentiam ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis: et ideo convenienter divina sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus et sensibilibus signis, quae sacramenta dicuntur. Secunda ratio sumenda est ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset, corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quae consistunt in cultu daemonum, vel qualitercumque noxia, quae consistunt in actibus peccatorum. Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur: praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum" (S. th. 3. p. q. 61. a. 1). Idem dicendum est, de septenario sacramentorum numero, ut ex hac *Concilii Florentini* expositione patet: „Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in

fide; renati autem roborati, nutrimur divinae Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter prout animae expedit, per extremam unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur" (Decret. pro Armenis Denz. 695).

Ex quibus duo imprimis specialem attentionem meren- 18
tur, utpote ex quibus speciali modo infinita Dei caritas, misericordia, sapientia elucent, sacramentum poenitentiae scilicet et ss. Eucharistiae sacramentum. Primo enim homini anxie quaerenti, an a Deo per peccata offenso venia sperari possit, plena quietatio atque certitudo praebetur simulque ipsa venia impertitur; altera Deus-homo ipse in cibum coelestem atque in iuge sacrificium divinum offertur. Atque hoc imprimis ss. Eucharistiae sacramentum tantum caritatis, sapientiae, potentiae divinae documentum est, ut nihil simile a creata intelligentia excogitari posse videatur. Conferatur *Lessius* De divin. perfectionibus l. 12. c. 16.

Iam si cum his divinis christianae religionis institutis sacrificia aliaque ceterarum religionum instituta conferantur, continuo apparet, haec ab illis ut terrena a coelestibus, ut humana a divinis distare. Ceterarum enim instituta saepissime aut futilia sunt, aut absurda, aut tam turpia vel foeda vel crudelia, vel alia ratione intrinsecus vitiata, ut ipsa lege naturali prorsus sint prohibita.

2. p. Religio christiana apprime hominum naturae, indoli, conditionibus accommodata est.

Cum veritas isthaec ex argumentis primae partis iam 19.
sit multum comprobata, restat tamen, ut in hac parte ceterae religionis christianae praerogativae paucis explicentur, ex quarum plerisque eius cum natura humana consonantia speciali modo elucet.

1. *Doctrina christiana mentem humanam quietat, quae errori repugnat atque sola veritate satiatur.* — Nimirum cum doctrina christiana quasi coelum et terram, Deum et

hominem et totum universum complectatur, nihil in ea unquam inventum est a ratione alienum, nihil inhonestum, nihil, quod Deum dedeceat aut hominis naturae repugnet. Atque his spectaculum continetur, quod merito considerantem perceliit. Etenim nulla religio praeter christianam vel unquam exstitit, quae non primo fere aspectu vel examine aliquatenus serio instituto evidenter falsa appareat. Vel quaenam est, quae apologetice vel critice examinari possit, quemadmodum reipsa religionem christianam examinamus? Quaenam serio examinata in gremio suo retinet non solum rudes et incultos, sed etiam doctos et maxime excultos? Sola religio christiana ad examen sui ipsius adversarios invitat et provocat, ipsa sola asseclas suos confidenter exhortatur, *„ut parati semper sint,* quemadmodum *S. Petrus* dicit, *ad satisfactionem reddendam omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est spe“* (1. Petr. 3, 15), atque ut *rationabile fidei obsequium* exhibeant, ut hortatur *S. Paulus* (Rom 12, 1). Item sola religio christiana ab adversariis suis argumentis et rationibus scientificis impugnatur, qua re ab omnibus aliis religionibus plane discernitur. Vel quis sanae rationis argumentis impetere velit et expugnare sive Iovem Romanorum, sive Wuotan Germanorum, sive Mahometem sive Buddham? Tales scilicet religiones argumentis non impetuntur, sed merito potius spernuntur et deridentur. Contra religionem christianam vero ex viginti fere saeculis quotidie novi libri eduntur, quin unquam expugnetur, quinimo unquam vel unus eius doctrinae articulus expugnari potuerit; etenim vel uno solo expugnato tota esset diruta et falsitatis convicta. Omnes scientiae, historia, geographia, philosophia aliaeque plures continuo explorantur, an forte una earum vel unus fidei articulus falsitatis convinci possit. Nunquam vero adversariis res e voto successit; neque ipsi in uno aliquo articulo, qui certo falsitatis convictus sit, assignando hucusque consentiunt. Etenim si quando iam triumphum agere putabant, misere iterum delusi atque v. g. per novas inventiones coacti sunt confiteri errorem, quem invenisse putabant, nullatenus subsistere. Huius rei mul-

tiplex exemplum historia suppedidat. Neque ulla ratione dubitandum est, quin brevi exacto tempore superba quoque illa criticae rationalisticae turris contra sacram Scripturam erecta penitus iterum collabatur. Doctrina christiana progrediente tempore, progredientibus quibuscumque scientis nunquam vel in minima re falsitatis convicta est, sed potius iugiter confirmata. Quare praeclaram veritatis speciem, ne dicam sigillum in fronte sua impressum gerit religio christiana, atque ab omni alia religione, ab omni systemate religioso vel ethico essentialiter discernitur.

2. *Doctrina christiana omnium ingenio accommodata est.* — Videlicet profunditate sua atque sublimitate ingeniis philosophorum et doctorum, simplicitate sua et claritate atque imprimis spectato modo, quo proponitur, rudibus et simplicibus egregie convenit.

Revera *primo* doctrina christiana tam profunda est 20.
atque sublimis, praesertim in veritatibus superrationalibus, tam inexhaustam doctae inquisitionis atque speculationis materiam suppeditat, ut nunc quoque post tot et tam insignes SS. Patrum atque theologorum inquisitiones continuus scientiae theologicae progressus fieri possit. Continuo enim ex comparatione dogmatum inter se et cum veritatibus rationalibus novae veritates inveniri possunt neque unquam doctrinae christianae thesaurus ab hominibus exhauriri poterit. Simul autem ad talem inquisitionem doctrinae ipsae christianae, imprimis superrationales, coelesti sua pulchritudine et sublimitate vehementer alliciunt, cum mens humana scientiae avida sit atque eiusmodi sublimium veritatum contemplatione suaviter pascatur. Quare *S. Augustinus* de SS. Trinitatis mysterio agens merito dicit: „Nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur“ (De Trinit. 1. c. 3). Insuper secure quoque homo fidelis in tali supernaturalium veritatum inquisitione progredi potest, quia si magisterio authentico divinitus instituto, ut debet, fideliter obsequitur, per idem ab omni perversa aberratione praeservatur.

21. *Deinde* doctrina christiana tam perspicua quoque est atque imprimis ea simplicitate proponitur, ut etiam rudibus plene accommodetur. Etenim cum christiana doctrina non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis innitatur, fide imprimis suscipienda est; quare Christus non scholam, quae rationibus docet, sed ecclesiam, quae auctoritate instruit, ad propagandam suam doctrinam instituit; neque doctum systema, sed fidei symbolum christianis proponitur, quo verbis simplicibus et perspicuis de religione summisque eius veritatibus edocentur. Unde fit, ut pueri et rudes catechismo instituti in doctrina religiosa melius sint versati, quam superbi philosophi doctrinam christianam ignorantes vel deserentes: „Nullus philosophorum, inquit *S. Thomas,* ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo et de necessariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem, et ideo dicitur Isaiae 11, 9: „*Repleta est terra scientia Domini*" (opusc. de expos. symb. art. I.)

22. *3. Doctrina christiana eatenus quoque hominibus maxime consentanea est, quatenus natura eorum socialis spectatur.* — Praetermissis enim aliis, ut v. g. quod caritatem inter homines, reverentiam legitimae auctoritatis, humanam activitatem laboris legem urgendo aliasque virtutes sociales maxime promoveat, hoc loco consideretur solum matrimonium, quod fons est atque fundamentum humanae societatis. Videlicet doctrina christiana imprimis matrimonium ad pristinam suam unitatem ita revocavit, ut polygamia diu permissa penitus abrogaretur. „*Et erunt duo, in carne una.*" Deinde repudium abrogavit atque matrimonii indissolubilitatem statuit: „*Quod Deus coniunxit, homo non separet*" (Marc. 10, 8. 9). Denique matrimonium ex ordine naturali ad ordinem supernaturalem evectum est; imago enim illius coniunctionis effecta est, quam Christus cum ecclesia iniit; quare iam „*sacramentum magnum est, in Christo et in ecclesia*" (Eph. 5, 32). Quantum vero emolumentum humanae societati ex hac institutione provenerit, ipsa historia lucu-

lenter testatur. Destructa scilicet matrimonii sanctitate, unitate, indissolubilitate frena libidinis undequaque solvuntur atque genus humanum in imam corruptionem atque degenerationem delabitur.

23. *4. Doctrina christiana multiplex inter vitae aerumnas et dolores solatium praebet atque suavissimos in animo fructus producit.* — Etenim imprimis cum sola ratio sibi relicta non intelligat, qua ratione Deus, bonitas infinita, tot malis hominem premi permittat, doctrina christiana docet, aerumnas huius vitae peccati poenam simul et remedium esse, virtutis atque amoris Dei probationem, configurationem cum Christo passo et mortuo, tutissimam ad aeternam beatitudinem viam, atque praemii aeterni incrementum. Quare veri christiani cum Apostolo gloriantur in tribulationibus suis confidentes, quod si cum Christo patiantur, cum eo etiam glorificabuntur. Hinc vero in animo gratia Dei adiuvante exoritur pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, vera animi libertas: *Veritas liberavit vos* (Io 8, 32), — fortitudo et constantia: „*Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmor, tunc potens sum*“ (2. Cor. 12, 9). Fiducia tandem efflorescit immarcescibilis, quae in ipso mortis adspectu non trepidat: „*Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*“ (2. Tim. 4, 7, 8).

24. *5. Denique nulla est conditio humanae vitae, nullus status, nulla necessitas vel indigentia, quibus doctrina christiana non egregie congruat vel salutifero suo influxu apte subveniat.* — Quod pulchre *S. Augustinus* exponit praeclara illa, quam in opere de moribus ecclesiae catholicae ad hanc piam matrem dirigit, apostrophe; qua haec pars aptissime concluditur et uno velut obtutu comprehenditur. Postquam scilicet duplex caritatis praeceptum exposuit, in quo tota pendet christiana doctrina, hac ratione Augustinus pergit: „Merito, Ecclesia catholica, mater christianorum

verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas; nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire iubeamur; et ab illa incorrupta et inviolabili aeternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohaerendo non misera est, excludens omne, quod factum est, quod obnoxium commutationi, quod subditum tempori; neque confundens, quod aeternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit, nec rursum separans, quod maiestas una coniungit: sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum quam ad coërcendum propensiores facis. Tu cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis; mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus adhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debea-

tur iniuria. Iam vero cum haec humana dilectio inhaerentem uberibus tuis nutriverit, et roboraverit animum, sequendo Deo factum idoneum; ubi eius maiestas ex tanta parte, quanta homini, dum terrae huius inhabitator est, sufficit, aperire se coeperit; tantus caritatis ardor innascitur, et tantum divini amoris consurgit incendium, ut, exustis omnibus vitiis, et homine purgato atque sanctificato, satis appareat, quam divine dictum sit: ‚*Ego sum ignis consumens*', Deut. 4, 24.; et: ‚*Ignem veni mittere in mundum*', Luc. 12, 49. Quae duae voces unius Dei in duobus Testamentis signatae, sanctificationem animae concordi attestatione declarant, ut fiat aliquando illud, quod item in Novam Scripturam de Veteri assumptum est: ‚*Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua?*' 1. Cor. 15, 54, 55. Quod unum isti haeretici intelligere si valerent, nusquam profecto Deum nisi apud te, atque in gremio tuo, minime superbi et bene pacati venerarentur. Merito apud te divina praecepta late diffuseque servantur. Merito apud te bene intelligitur, quam sit gravius cognita quam incognita lege peccare: ‚*Aculeus enim mortis peccatum, virtus autem peccati lex*', ibid. 56., quod gravius feriat et interimat contempti praecepti conscientia. Merito apud te visum est, quam sit sub lege operatio vana, cum libido animum vastat, et cohibetur poenae metu, non amore virtutis obruitur. Merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi usque adeo Dei amore flagrantes, ut eos in summa continentia atque mundi huius incredibili contemptu etiam solitudo delectet" (l. 1. c. 30).

3. p. Ex insigni doctrinae christianae excellentia eiusque cum natura hominis congruitate merito divina eiusdem origo deducitur.

Rationalistae plerumque insignem doctrinae Christi ex- 25.
cellentiam eiusque cum natura humana congruitatem ultro concedunt; verum ne divinam eius originem concedere cogantur, aliam rei explicationem obtrudere conantur. Contendunt scilicet, insignem Christi doctrinam vel a proprio

ipsius ingenio, utpote excellentissimo, naturaliter inventam esse, vel naturali sive Iudaismi sive philosophiae religiosae evolutioni suam debere originem. Quare ut ex eminentia doctrinae christianae merito ad divinam eius originem concludamus, in praesenti parte istae rationalistarum hypotheses excludendae restant. Itaque:

26. *1. Christus doctrinam suam non proprii sui ingenii vi naturali invenit.* — Quod quidem moraliter certo patet, si tum doctrina ipsa, tum persona Christi spectetur.

a) Etenim doctrina Christi, ut dictum est, non solum veritates religionis naturalis distincte et complete proponit, verum veritates naturales et supernaturales in pulchra harmonia complectitur; atque mirabili hoc veritatum systemate non solum Deum atque mundum splendida luce aspergit, verum etiam humanae naturae singulariter congrua apparet. Iamvero, ut supra ostensum est, hominibus moraliter impossibile est, ut naturali sua ratione ad perfectam religionis naturalis cognitionem perveniant. Imo praestantissimi quoque philosophi naturalibus suis viribus relicti neque quoad prima religionis naturalis principia a turpibus erroribus sibi cavere potuerunt. Multo igitur magis impossibile apparet, ut Christus sola humanae suae rationis vi naturali eximiam suam doctrinam invenerit, quippe quae cuiuscumque philosophi doctrinam religiosam toto coelo atque infinite fere superet. Merito igitur ex hac sola consideratione ad divinam doctrinae christianae originem concluditur.

27. b) Confirmatur autem multum argumentum, si persona Christi consideretur. Etenim *primo* Christus ipsa Scriptura referente altioribus saltem litteris non vacavit; sed ad trigesimum usque annum parentibus suis subditus erat necnon patrem suum in opera fabrili adiuvit. Quare concives eius eo magis, cum publice docebat, eius sapientiam admirati sunt (Matth. 13, 54; Ioan. 7, 15). Hinc autem adhuc magis impossibile apparet, ut Christus humana sua ratione doctrinam suam invenerit. *Deinde* eo quoque possibilitas naturalis inventionis excluditur, quod a Christo omnis naturalis rationis evolutio prorsus exclusa apparet.

Etenim, ut supra dictum est (th. 37. n. 17) ut puer duodennis iam s. Scripturam ad omnium stuporem mira sapientia interpretabatur, atque vitam publicam vix exorsus mirabilem illum sermonem montanum habuit, cui nihil scientia vel experientia humana inventum a longe comparari potest. *Denique* naturaliter inventam esse doctrinam Christi modo etiam excluditur, quo Christus suam doctrinam proponit. Etenim magnum doctrinae corpus ab homine naturaliter non sine magna meditatione et multiplici fluctuatione quoque ac haesitatione componitur; argumentis paulatim proceditur atque veritas per particulas magna contentione quasi arripitur. Iam nihil horum in Christo animadvertitur; sed sine ambagibus, sine ulla fluctuatione, sine ulla erroris formidine doctrinam suam proponit; verbo: docuit ut is, cuius oculis omnia nuda sunt atque aperta (cf. th. 37. n. 14).

2. Doctrina Christi non est naturalis Iudaismi evolutio. — Cum haec assertio plerisque argumentis prioris (sub 1.) confirmetur, propriis tamen insuper extra omnem dubitationem ponitur; scilicet:

a) Id patet primo quoad doctrinam religiosam V. F. 28. in se consideratam sive prout spectatur a falsis et perversis Iesu coaevorum et Pharisaeorum explicationibus et additamentis abstracta. Etenim praeterquam quod libris V. F. Christus non utebatur tamquam ex eis discens, sed tamquam eos explicans et novam iis lucem addens, inter doctrinam Christi eamque V. F. tot et tanta discrimina intercedunt, ut, quamvis nova oeconomia complementum sit et quasi corona veteris oeconomiae, impossibile tamen appareat, quod illa ex hac naturaliter evoluta sit. Etenim in doctrina christiana *primo* multa apparent addita, quae in veteri oeconomia erant prorsus incomperta. Huc pertinet imprimis magnum praeceptum caritatis, quae nec cognationis nec amicitae nec nationis limitibus coarctatur, imo inimicorum quoque amorem complectitur. Praeterea huc pertinent consilia evangelica necnon matrimonium ad pristinam suam unitatem et indissolubilitatem revocatum et ad sacramenti dignitatem elevatum. Insuper huc spectat universalis

doctrinae christianae character, cum religio Mosaica uni tantum populo destinata esset; quo charactere universalitatis Dei misericordia, quae omnium miseretur atque omnibus eandem salutis viam aperit, nova luce collustratur. Denique huc spectat septem sacramentorum institutio, cum sacramenta N. F. a sacramentis V. F. essentialiter prorsus differant. — *Secundo* plura quae in doctrina V. F. indigitata tantum vel obscurius proposita apparent, accurate et clare in doctrina Christi exhibentur, ut sunt doctrina de immortalitate animae et de praemiis poenisque aeternis alterius vitae, praeterea dogmata SS. Trinitatis, Incarnationis, ecclesiae institutio, denique doctrinae de peccato originali, de remissione peccatorum necnon tota eschatologia. — *Tertio* tandem per doctrinam Christi praecepta et instituta caeremonialia necnon iudicialia V. F. penitus abrogata sunt. Itaque doctrina Christi in essentialibus a doctrina veteris legis differt; quare nequaquam tamquam naturalis huius evolutio considerari potest.

29. b) Multo vero minus doctrina Christi ex doctrina iudaica naturaliter evoluta dici potest, prout haec a doctoribus iudaeis Iesu coaevis proposita est. Tanta enim est inter utramque diversitas, imo et oppositio, ut continua esset Iesu cum Pharisaeis pugna. *Primo* enim Pharisaei ceterique Iudaei plerique Messiam regem temporalem exspectabant, qui regnum Israel terrenum restitueret eique gentiles subiiceret. Christus vero se tamquam regem spiritualem, mansuetum, humilem exhibebat, omnium servum se fecit, regnum spirituale, ecclesiam, fundavit, in qua nulla est distinctio diversarum nationum nec Iudaei nec gentilis (Matth. 21, 5; Ioan. 18, 36). *Deinde* Iudaei doctores, imprimis Pharisaei, doctrinam V. F. humanis traditionibus, vanis superstitionibus, falsis interpretationibus, erroribus absurdis corruperunt. Exempli causa: praescriptiones rituales a se ipsis iusto magis extensas praecepto caritatis praetulerunt (cf. Matth. 12, 9—14; Marc. 3, 1—6; Luc. 6, 6—11.); munditiem exteriorem magis, quam interiorem curarunt (cf. Matth. 15, 1—20; 23, 25—28; Marc.

7, 1—23; Luc. 11, 37—44.); denique de rebus futilibus longas disputationes absurde instituerunt, ut v. g. num sabbato ovum comedere liceat, quod gallina sabbato peperit, de qua re Talmud integrum tractatum exhibet (cf. Kirchenlexikon, ed. 2., V, 2106). Quare virtutes quoque Pharisaeorum magis externae erant, atque eorundum regulae morum ad hypocrisin potius ducebant, quam ad internam animi mundition et sanctitatem, quam adeo urget Christi doctrina. Hinc intelligitur, cur tanta severitate Christus doctores Iudaeos imprimis Pharisaeos castigaret: „*Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*“ (Matth. 15, 3). „*Dico enim vobis: quia, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum*“ (Matth. 5, 20). „*Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis . . . Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus . . . Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus . . . Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito*“ (Matth. 6, 1—6). Conferatur totus sermo montanus (Matth. 5). Ingens itaque diversitas, imo oppositio apparet inter Christi doctrinam atque eam Pharisaeorum; quare absurde agunt, qui illam tamquam huius naturalem evolutionem declarant. Hinc autem, quod prius assertum est, confirmatur. Si enim Christus suam doctrinam ex Antiquo Foedere solum collegisset atque evolvisset, vix se Pharisaeorum influxui penitus subtraxisset atque ab omni eorum errore cavere potuisset.

c) Magis vero absurda est eorum sententia, qui con- 30.
tendunt, ex Essenismo doctrinam Christi naturaliter esse evolutam. Inter Essenismum enim et doctrinam christianam maxima viget differentia et oppositio. Scilicet Esseni tempore Christi ad ripas maris mortui habitantes, sectam religiosam valde absonam et singularem constituebant. *Doctrina*

eorum dogmatica a doctrina Christi diversissima apparet, atque in multis e diametro opposita. Non solum enim doctrinae supernaturalis christianae nullum vestigium apud ipsos conspicitur; sed vel ipsius religionis naturalis doctrinam turpibus erroribus defoedabant. Quamquam v. g. Iudaeorum doctrinae de uno Deo vero et personali adhaerebant, solem tamen tamquam symbolum Dei, quod eius personam sustineat, cultu religioso colebant, somnia observabant, duas animas humanas asserebant. Deinde libertatem hominis negabant, animae cum corpore unionem contra naturam vel violentam esse tenebant, quare post mortem ullam resurrectionem fore negabant aliasque doctrinas eschatologicas falsas et absurdas statuebant. Praeterea Messiam nullum exspectabant vel talem, qui a doctrina christiana prorsus alienus est. Denique varias doctrinas esotericas habebant, quarum occultationem iureiurando promittebant. — Magis etiam absurda et a Christianismo diversa apparet *eorum doctrina moralis et ascetica*. Etenim munditiem leviticam, observationem sabbati aliaque caeremonialia magis etiam, quam ipsi Pharisaei urgebant; v. g. sabbato vel illicitum erat, vas de loco movere, necessitatibus naturae subvenire, aliaque similia. Diversos hominum ordines inter se statuebant ita severe distinctos, ut si quis ex ordine superiore a quopiam inferioris ordinis contactus esset, iam immundus censeretur. Deinde propter absurdam suam de corpore humano eiusque cum anima unione opinionem immoderatam ascesim docebant; exaggeratam et falsam mundi fugam et odium sectabantur, commercia hominum ex immunditiei timore vitabant, corpus suum non tantum temperantia moderati sunt rationique subiecerunt, sed tamquam malum opprimere studuerunt. Quare coelibatum quoque nimis urgebant, matrimonium ad certas hominum classes irrationabiliter restrinxerunt atque nimis difficile reddebant; secum bona temporalia, ad maxime necessaria restricta, communia omnia habebant.

Quae cum ita sint, nemo non videt, quantum Essenismus a Christi doctrina alienus sit, quantumque eius spiritui

repugnet; quae enim in ascesi possit utriusque apparere analogia, non est vera similitudo; sed sub hoc respectu Essenismus ad summum exhibet simulacrum deforme religionis christianae. Absurde igitur religio christiana tamquam evolutio Essenismi exhibetur. (Cfr. *Hergenröther,* Kirchengesch. ed. 3. I. 67; *Fischer-Colbrie,* De criterio interno; ubi cetera de Essenismo opera litteraria recensentur).

3. Neque ulla ratione doctrina Christi ex doctrina philosophica vel religiosa Gentilium evoluta esse dici potest. — Haec assertio iam abunde constat ex partibus prima et secunda huius thesis, necnon ex thes. 16, ubi indicata est necessitas revelationis religionis naturalis. Quare pauca hic adnotare sufficit; scilicet: 31.

a) Praeter differentias inter philosophiam antiquam et doctrinam christianam locis citatis iam relatas haec insuper de discrimine essentiali inter utramque consideranda sunt. *Primo* ipsi Gentiles religionem christianam nequaquam tamquam evolutionem ex sua philosophia vel religione considerabant, sed eam tamquam novam superstitionem habebant et hoc quoque titulo persequebantur. Celsus enim primus erat, qui christianam doctrinam ex male intellecta philosophia classica ortam esse affirmaret. — *Secundo* doctrina christiana maxime futuram in coelis patriam ob oculos ponit atque continuo urget, ut terrena bona et temporalia mala spernamus atque aeterna et coelestia super omnia aestimemus, cum non sint condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam promerendam. Econtra philosophia et doctrina religiosa gentilium futuram vitam fere penitus neglexit: de immortalitate plerique philosophi dubie et anxie locuti sunt atque de sorte animae post mortem deque mediis certis futuram sortem felicem reddendi nihil tradiderunt. *Tertio* philosophiae graeco-romanae ignota erant dogmata superrationalia sive mysteria religionis christianae. *Quarto* denique doctrina christiana absolutam atque divinam suis dogmatibus certitudinem vindicat, dum e contra Gentilium doctrina philosophica multa vel pleraque opinando proponit.

32. Provocant quidem aliqui ex adversariis ad philosophiam platonicam, quasi ea propositum sit mysterium SS. Trinitatis. At vero falso id asseritur; etenim ut *S. Thomas* iam ostendit, tertiam personam, Spiritum Sanctum, Plato plane ignoravit; neque reipsa secundam cognovit: per *verbum* enim non personam divinam intellexit, sed rationem idealem rerum, quae in Deo est et qua praelucente Deus omnia condidit; haec sc. ratio idealis rerum non est ipsum verbum divinum personale, sed ei tantum appropriatur (S. Th. 1. p. q. 32. a. 1. ad 1 ; cf. *Willmann*, Geschichte des Idealismus II. p. 180 ss.).

33. b) Quaevis doctrinae christianae evolutio ex antiqua philosophia inde quoque manifeste prorsus excluditur, quod neque Christus neque Evangelistae naturalem vel scientificam philosophiae eiusdem notitiam habebant, ut satis constat ex ipsa sacra Scriptura (cf. th. 36 et 37.). Si itaque quaedam doctrinae capita similia vel eadem quoque in doctrina christiana et in philosophia occurrant, ea vel a philosophis naturaliter cognita sunt vel, si veritatis magis reconditas aut plane supernaturales respiciunt, philosophi ea ex s. Scriptura sive Veteris sive Novi Testamenti hausisse dicendi sunt. Quod iam antiqui apologetae animadverterunt atque ea ratione Celsum aliosque doctrinae christianae adversarios represserunt. *Minutius Felix* v. g. haec habet: „Animadvertis, philosophos eadem disputare, quae dicimus, non quod nos simus eorum vestigia secuti, sed quod illi de divinis praedictionibus prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sint." (Octav.) Et *Origenes* contra Celsum animadvertit: „Apud Moysen et Prophetas, non Platone solum et Homero, sed etiam Graecarum litterarum inventione antiquiores, multa reperire est digna Dei, qua inspirabantur, gratia, et cogitationum elatione admiranda. Nec ea dicendum est ab illis accepta fuisse ex Platone male intellecto, ut putat Celsus, qui enim audire potuissent nondum natum? Ut autem ad Iesu Apostolos, Platone recentiores, referat quis Celsi verba, vide an non improbabile sit, Paulum tabernaculorum artificem, Petrum

piscatorem, et Ioannem, qui Patris reliquit retia, e Platonis epistolis male intellectis talia de Deo ad posteros transmisisse" (VI n. 7).

Neve obiiciatur, a *S. Paulo,* utpote litteris et eruditione 34.
eximie exculto, ope philosophiae classicae doctrinam Christi evolutam et ad perfectionem suam adductam esse. Etenim primo systema doctrinae christianae supra propositum totum ex Christi verbis vel ex evangeliis saltem exhibitum est. Praeterea S. Paulus, quamvis in lege patria aliisque eximie eruditus, philosophiae classicae ignarus fuisse videtur, cum nunquam ad philosophos, pluries vero ad poëtas aliosque scriptores alludat, ut Tit. 1, 12; Act 17, 28; 1. Cor. 15, 33. Denique S. Paulus ipse non semel asserit, se totam suam doctrinam a Christo accepisse neque quidquam a semetipso additum esse (cf. Gal. 1, 8; 2. Thes. 2, 14; 1. Tim. 1, 3. 4. 16; 6, 20, 21; 2. Tim. 1, 13, 14).

c) Denique usus cuiusvis doctrinae, ab ea Iudaeorum 35.
alienae, ad componendam suam doctrinam ideo irrationabiliter apud Christum supponeretur, quia talis agendi ratio cum indole et consuetudine Iudaeorum prorsus pugnat. — Scilicet si humano modo de Christo iudicetur, supponendum est, eum suae gentis consuetudinem secutum esse. Atqui Iudaei, cum certissimam de veritate suae religionis persuasionem haberent, omnes alias doctrinas atque imprimis eas philosophorum adeo spreverunt, ut ne considerationem quidem eas dignas haberent. Ergo omnes eiusmodi hypotheses a priori improbabiles et absurdae apparent.

Conclusio: Adversariorum hypothesibus exclusis tertia pars hoc brevi argumento comprehendi potest: Insignis Christi doctrina aut proprio eius ingenio inventa aut ex Iudaismo vel Gentilismo naturaliter evoluta est, aut vero divinam originem habet; atqui nec proprio Christi ingenio naturaliter inventa nec ex Iudaismo vel Gentilismo naturaliter evoluta est. Ergo divina eius origo asserenda est.

Articulus tertius.

De miraculis Christi.

Thesis 39. **Divina Christi legatio innumeris quoque miraculis, quae Christus patravit, evidenter comprobatur.**

Cf. Hettinger, p. 239 ss. — Esser-Mausbach, l. II., pars 2, 128 ss. — Ottiger, l., p. 757 ss. — Fonck, Die Wunder des Herrn im Evangelium[2] 1906.

Declaratio.

1. *1. Duplex miraculorum series, quae in mortali Christi vita occurrunt.* — Miracula, quae ab evangelistis referuntur, partim immediate ab ipso Deo Patre in gratiam Christi circa eius personam patrata sunt, partim ea immediate ipse Christus in confirmationem divinae suae legationis operatus est. Priora miracula a divina sapientia speciali modo diversis temporibus necnon fini suo accomodata esse apparent, quippe quae ea stadia vitae Iesu tamquam sigillo divino insigniunt, in quibus praeprimis approbatio divina missionis Christi necessaria vel opportuna videbatur; qualia stadia sunt ingressus in mundum, initium vitae publicae, passio atque egressus e mundo. Eadem quoque miracula tam egregie inter se cohaerent, ut integrum divinorum operum systema constituant, ex quo divini consilii sapientia manifeste elucet. Huc pertinent v. g. nuntius nativitatis Christi pastoribus ab angelis allatus, apparitio stellae magis facta, testimonium Christo redditum occasione baptismi et transfigurationis necnon prodigia, quae passionem eius et mortem insignierunt aliaque, quae referuntur Luc. 1, 7—22; 26—37; 39—45; 57—79; Matth. 1, 20 ss.; Luc. 2, 8—14; 25—28; Matth. 2, 1—12; 2, 12—21; praeterea Matth. 3, 13—17; Marc. 1, 9—11; Luc. 3, 21 ss.; Ioan. 1, 30—32; Matth. 17, 1 ss.; Marc. 9, 1 ss.; Luc. 9, 28; denique Ioan. 12, 27—30; Matth. 27, 45 ss.; Luc. 23, 47. 48; Matth.

28, 1—8; Marc. 16. 19; Luc. 24. 51. De quibus cum fusius hic agere non vacet, exegetae conferri possunt.

2. De eminentia Christi in miraculis patrandis — 2. Christus non tantum transitorie, quemadmodum alii Sancti vel Dei legati miracula patrare potuit, sed eam potestatem ad modum habitus permanentis habuit; miracula patrare ipsi velut natura erat, adeo ut nec ipsa ratione tamquam verus Dei Filius et mundi creator cognoscatur. Videlicet *primo* innumera miracula patravit, cum supra quadraginta speciatim in evangeliis referantur, multo autem plura modo generali recenseantur; *S. Ioannes* v. g. impossibile esse declarat, ut omnia describantur, atque *Petrus*, alter testis ocularis refert, quod Christus *„pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo“* (Act. 10, 38). *Deinde* miracula patravit non tantum huius vel illius generis, sed cuiuscumque, miracula secundum substantiam et secundum modum, miracula supra, contra et praeter naturam. Tota natura ipsius dominio subiecta, ipsius voluntati obediebat: imperabat ventis et quiescebant; imperabat undis et pedibus calcandas se praebebant: imperabat aquae et in vinum convertebatur, imperabat daemonibus et e corporibus humanis exibant. Millia hominum paucis panibus et piscibus saturabat; sanabat omnem languorem, caecis visum, surdis auditum, mortuis vitam reddebat (cf. Matth. 4, 23. 24; 11, 2. ss.; Ioan. 5, 36. ss.; 10, 37. ss.; 11, 1 ss.; 14, 12; 15, 24). *Praeterea* stupenda haec miracula patrabat sine omni praeparatione, absque virium contentione, perfecta cum securitate, sine omni timore et admiratione; operabatur ea non vi orationis, sed propria auctoritate et unico verbo, simplici voluntatis nutu, non solum praesens, sed etiam absens. Imperio voluntatis quidem saepe externas actiones vel externa signa addit, verum non ut media necessario requisita, sed potius tamquam symbola ad aliquid significandum (cf. Matth. 8, 13; 8, 3. 16; Luc. 7, 14; Ioan. 4, 52), Apostolis suis potestatem miracula patrandi communicavit (Luc. 10. 9. 17; Matth. 10, 8; Marc. 16, 17; Act. 2, 43). *Denique* modus,

quo miracula patrabat, summam dignitatem spirat. Non enim miracula patrabat nec proprii honoris causa nec ad satiandam hominum curiositatem neque ullius proprii ipsius vel discipulorum commodi gratia neque ad inimicos suos castigandos; imo superfluam hominum admirationem vitat, honores fugit, famem patitur, mortem cruentam subit, cum tamen unico miraculo sibi subvenire atque se liberare posset. Imprimis vero miracula operatur, ut humanae miseriae succurrat, ut hominum necessitatibus subveniat. „*Pertransiit benefaciendo*" (Act. 10, 38; cf. Matth. 16, 1: Luc. 23, 8; Matth. 4, 3; Luc. 9, 54; Matth 9, 30; Ioan. 6, 15; Luc. 23, 8). In miraculis igitur Christi non solum infinita eius potentia, sed santitas quoque eius, humilitas atque infinita misericordia et caritas elucent.

3 3. *Divisio miraculorum Christi.* — Ut miracula Christi facilius conspectu comprehendi eorumque vis accuratius considerari possit, in diversas classes a theologis divisa sunt; quarum unam vel alteram referre expedit. Itaque secundum *S. Thomae* divisionem (S. th. 3. p. q. 44.) Christus miracula patravit *primo* circa substantias spirituales daemones expellendo (cf. Marc. 1, 23—27; Matth. 12, 22—45; 8, 28—35; 9, 32. 33; 15, 21—28; 17, 14—20; Luc. 13, 11—13; Matth. 8, 16; Luc 6, 17 18; Matth. 4, 11; Luc. 22, 43); *secundo* circa coelestia corpora (cf. Matth. 2, 2; Luc. 23, 44); *tertio* circa homines, eos sanando vel recuscitando (Matth. 9, 18—26; Luc. 7, 11—17; Ioan. 11, 1—45; Matth. 8, 1—4; 14—15; Ioan. 5, 1—15; 12, 9—13; Ioan. 5, 1—15; Matth. 9, 20—22; Matth. 9, 1—7; 8, 5—13; 27—31; Marc. 7, 32—37; 8, 22—26; Luc. 14, 2—6; 17, 12—19; Matth. 20, 29—34; Ioan. 9, 1. ss.; Luc. 6, 17. 18; Matth. 4, 23; 8, 16; *quarto* circa creaturas irrationales, eas mutando vel convertendo (cf. Ioan. 2, 1 ss.; Matth. 8, 23—27; 14, 26—31; Ioan. 6, 19—21; Matth. 14, 15 ss. 15, 32). *Alii auctores* miracula Christi in tres classes dividunt, quarum prima complectitur sanationes morborum, altera excitationes mortuorum, tertia denique opera illa, quibus Christus simpliciter suum in naturam dominium

monstrabánt. Ex quibus divisionibus ea praeferatur, quam praeferre lubet.

4. Divisio thesis. — Suppositis iis, quae supra de mi- 4.
raculi natura eiusque vi probandi disputata sunt, praesens thesis facili et brevi ratione absolvitur; scilicet in prima parte miraculorum Christi veritas historica, in altera veritas philosophica, in tertia parte veritas theologica vindicatur. In scholio autem addito exceptiones quaedam adversariorum accuratius considerandae et ponderandae veniunt.

Demonstratio.

I. p. Certa est veritas historica miraculorum Christi.

De hac parte iam constat quidem iisdem argumentis, 5.
quibus supra (th. 36.) ostensa est veritas historiae evangelicae in genere, imprimis auctoritate ipsorum evangeliorum. Cum autem plures Rationalistae hac admissa historicam miraculorum Christi veritatem nihilominus negent, haec praesenti loco specialibus quibusdam argumentis vindicanda est. Itaque

1. Probatur ex contextu evangelico. — Nimirum miracula, quae in evangeliis referuntur, cum reliquis narrationis partibus ita arcte connectuntur atque contexta apparent, ut negari non possint, nisi simul tota historia evangelica reiiciatur: ita v. g. strenua Apostolorum fides miraculis Christi innixa apparet iisque directe adscribitur (Ioan. 2, 11.); multorum Iudaeorum et imprimis Nicodemi conversio item miraculis Christi explicatur (Ioan. 2, 23; 3, 2.); iterum sermo eucharisticus cum panum multiplicatione cohaeret (Ioan. 6, 16 ss); denique Lazari resuscitatio inimicos Christi excitat, ut mortem eius moliantur (Ioan. 11, 47). Verbo: omnis evangeliorum cohaerentia perit, atque vita Christi eiusque passio et mors remotis miraculis inexplicabile aenigma constituunt.

2. Ex tacita atque expressa quoque Iudaeorum coaevo- 6.
rum confessione. Etenim Iudaei miracula Christi, quippe quae publice pleraque patrabat, nunquam negare ausi sunt.

Cum scilicet diligenter atque accurate ea examinarent, veritatem eorum rei evidentia coacti confessi sunt exclamantes: *„Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit!“* (Ioan. 11, 47). Itaque nulla alia via eis relicta, qua fidem Christo denegarent, signa ab ipso patrata Beelzebub adscripserunt (Matth. 9, 34). — Exemplum accuratae inquisitionis, quam Pharisaei de miraculis Christi instituebant, historia sanationis coeci nati exhibet (Io. 9, 1 ss.). Triplicem scilicet de hoc miraculo investigationem instituerunt. Primo enim ipsum coecum natum examinaverunt atque eum variis modis ad miraculum negandum inducere conati sunt. Deinde parentes interrogaverunt, num reipsa filius eorum a nativitate coecus fuerit. Denique iterum coecum natum examinaverunt eumque variis atque captiosis locutionibus capere atque urgere tentarunt, ut veritate manifestata et miraculoso effectu negato Deo gloriam daret. Iamvero accuratius vix ipsi Rationalistae rem investigare possent.

7. *3. Ex testimonio posteriorum Iudaeorum.* — Huc spectat imprimis egregium *Iosephi Flavii* testimonium supra iam relatum: *„Erat enim mirabilium operum effector“* Praeterea *Tertullianus* adv. Iudaeos ita scribit: Miracula „operatum Christum nec vos diffitemini, utpote qui dicebatis, quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam ista sabbatis faciebat. Ioan. 5, 16“ (c. 9). Denique in Talmudicis libris miracula Christi magicis artibus adscribunt, quas in Aegypto didicerit.

8. *4. Ex confessione gentilium.* — Horum testimonia urget *Origenes*: „Assensum quodammodo praebet miraculis, quae Iesus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tamquam Christum sequerentur. At miracula illa non virtute divina, sed magicis artibus facta esse calumniantur“ (C. Cels. I n. 38). Gentiles scilicet miraculis Christi opponebant mira Aristaei, Simonis Magi, Appollonii Thyanaei; historicam autem operum Christi veritatem concedebant, quemadmodum prater Origenem Irenaeus, Lactantius, Eusebius aliique testantur.

5. Ex traditione christiana. — Quod Apostoli eorum- 9.
que successores necnon SS. Patres ad miracula Christi tamquam facta historica certissima provocaverint, vix speciali mentione indiget; verum refferre iuvat unum testimonium, quod affirmationis confidentia ostendit, quam certissima sit hac in re christianorum traditio et fides. Videlicet *Quadratus*, episcopus Atheniensis in apologia ad Hadrianum imperatorem (117—138) haec habet: „Servatoris nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent; ii scilicet, qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum, dum sanabantur, aut dum ad vitam revocantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint" (Apud Euseb., Hist. eccl. l. 4. c. 3).

2. p. Philosophica quoque veritas miraculorum Christi plane certa est.

Cum supra (quaest. 5.) miraculi natura atque indoles 10.
fuse explicatae sint, demonstratio huius quoque partis brevi et commoda ratione institui potest. Itaque:

1. Probatur ex ipsa naturâ et indole operum Christi. — Etenim a) Christus opera patravit, quae in se ipsis spectata sive considerato effectu et subiecto receptivo, operationem independentem a subiecta materia involvunt, adeoque legibus naturae derogant atque omnes vires creatas plane excedunt. Qua ratione v. g. solo voluntatis imperio aquam in vinum convertit (Joan. 2, 7 ss.), panes multiplicavit (Matth. 14 et 15.), tres saltem mortuos suscitavit: Filiam Jâiri (Matth. 9, 18. ss.; Marc. 5, 22; Luc. 8, 49. ss.); adolescentem in Naïm (Luc. 7, 11 ss.); Lazarum (Ioan. 11).

b) Alia opera innumera patravit, quae spectato modo 11.
saltem, quo effecta sunt, manifesto indolem miraculorum proprie dictorum induunt. Verbi gratia: aegrotos absentes curavit, ut filium centurionis paralyticum (Matth. 8, 5 ss.), filiam mulieris Chananaeae a daemone vexatam (Matth. 15, 22:

Luc. 7, 1), filium reguli febri laborantem (Ioan. 4, 46 ss.). Praeterea solo verbo vel tactu vel nutu voluntatis sanavit surdos et mutos (Matth. 15, 30 ss.; 9, 27 ss.), coecos (Matth. 9. 27; Ioan. 9, 1 ss.), paralyticos (Matth. 4, 24; 9, 2), leprosos (Matth. 8, 2 ss.), diuturno morbo confectos (Matth. 9, 20 ss.; Ioan. 5, 5 ss.), uno verbo maris tempestatem sedavit. (Matth. 14, 25 ss.).

c) In daemones potestatem miram exercebat, eos ex obsessorum corporibus solo imperio suo expellendo, variisque modis iis dominando (cf. Matth. 12, 22 ss.; Marc. 1, 23 ss.; Luc. 4, 33 ss.).

d) Varia ratione denique Christus ostendit, semetipsum legibus naturae physicae non esse subiectum, imo se perfecte eis dominari; verbi causa super aquam ambulabat, quin mergeretur (Matth. 14, 25 ss.), per ianuas clausas ingressus est (Ioan. 20, 19); in aërem se elevavit (Luc. 24, 51).

12. 2. *Ex adiunctis moralibus.* — Videlicet opera Christi iis adiunctis circumvestita sunt, quae, considerata providentia divina omnem fraudem humanam vel diabolicam penitus excludunt. Etenim si consideratur operans, tum admirabili sanctitate splendet tum diserte declarat, opera sua divinae omnipotentiae esse effectus, v. g. se in digito Dei daemones expellere (Luc. 11. 20), se testimonium maius habere Ioanne Baptista, cum opera sua de missione a Patre accepta testentur (Luc. 5, 36); propter opera sua fidem postulat atque declarat, habitatoribus Tyri et Sidonis remissius fore in die iudicii, quam Iudaeis, qui despectis miraculis suis non crediderunt (Ioan. 10, 38; 14, 10; Matth. 11, 21). Deinde si considerentur ipsa opera, nihil in iis unquam apparet, quod Deo dignum non sit, nihil, quod legatum divinum, imo Dei Filium non maxime deceat. Denique si finis spectetur, Christus nunquam inani ostentatione ad miracula patranda movetur, nunquam vanam curiositatem fovet, nunquam ad ultionem de inimicis sumendam miraculum ullum operatur. Imo e contrario etiam in miraculis patrandis caritate erga Patrem coelestem et misericordia erga homines motus semper apparet. Atqui

nisi his divina operum Christi origo cognoscatur, humanitus talis origo cognosci atque de ipsa providentia divina bene sperari non posset.

3. Multiplici hominum testimonio. — Innumeri scilicet homines de veritate miraculorum Christi philosophica testimonium tulerunt. Et quidem: 13.

a) Testati sunt discipuli Christi; quorum testimonium nulla ratione sperni potest. Etenim testes oculares vel auriti fuerunt (1 Ioan. 1, 1: Luc. 1, 1), ad credulitatem vel superstitionem propensi non erant (Luc. 24, 25), imo diutius, quam par est, saepe fidem detrectarunt (Matth. 28, 17; Ioan. 20, 25). Immerito itaque decepti esse supponuntur. Neque etiam deceptores fuerunt, quod item iam probatum est: nam de miraculis Christi tamquam divinae omnipotentiae signis coram universo mundo, amicis et inimicis, Iudaeis et gentilibus, ea securitate, firmitate, constantia testati sunt, quae nonnisi ex plenissima certitudine oriri possunt; imo mediis in tormentis sanguine suo testimonium suum sigillarunt.

b) Testatus est universus populus Iesu coaequalis. Scilicet non solum rudes et indocti, sed etiam viri intelligentia et eruditione insignes, ut Nicodemus (Ioan. 3, 1), non solum Iudaei, sed etiam Graeci et Romani de veritate miraculorum Christi philosophica certam se persuasionem habere professi sunt (Luc. 6, 17; Matth. 8, 5; 15, 22; 4, 23, 24). Quae testimonia ideo insignis auctoritatis sunt, quia opera Christi publice in urbibus, in templo, in multitudinis conspectu, plena diei luce fiebant (Matth. 9, 8; Ioan. 6, 14; 7, 31; Luc. 6, 17; Marc. 1, 32 ss.; 2, 2; Luc. 23, 8).

c) Denique ipsi infensissimi adversarii et inimici Christi de philosophica miraculorum eius veritate quamvis inviti testantur. Nullum enim non lapidem moverunt, ut populum a Christo averterent eiusque influxui subtraherent. Numquam autem ausi sunt, opera Christi naturaliter explicare: evidentia rei coacti supernaturalitatem eorum agnoverunt, atque deliberandi causa consilium collegerunt: „*Quid facie-*

mus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum" (Ioan. 11, 47. 48). Certe autem tales viri, si vel minima spes successus affulsisset, opera Christi naturaliter explicare conati essent.

14. *4. Ex factis historicis subsequentibus.* — Nimirum: a) imprimis Christus potestatem miracula patrandi discipulis suis communicavit. Revera Apostoli aliique discipuli innumera miracula patrarunt, ut sanationes aegrotorum, mortuorum suscitationes, eiectiones daemonum aliaque plura (cf. Matth. 10, 8; Marc. 6, 13; 16, 20; Act. 2, 43; 3, 6; 5, 5. 10. 12; 6, 8; 8, 6—8; 9, 34. 40; 13, 11; 14, 9; 16, 18; 19, 11; 20, 10; 28, 5. 8; Gal. 3, 5; 1. Cor. 12, 10; 2. Cor. 12, 12 ss.). Omnia autem patrarunt in nomine Iesu; quare ut continuatio atque efficax miraculorum Christi confirmatio apparent, praesertim quia Christus discipulos miracula patraturos esse clare praedixit.

b) Praeterea ipsa perduratione, progressione, conservatione religionis christianae validissime confirmatur, opera Christi vera miracula fuisse. Nimirum si opera Christi non fuissent vera miracula, existentia christianae religionis explicari nullatenus posset. Ad rem *S. Thomas:* „Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus" (C. g. l. 1, c. 6).

c) Denique veritas miraculorum Christi sicuti historica ita etiam philosophica inde quoque confirmatur, quod miraculorum charisma in ecclesia semper mansit atque etiam nunc perseverat, ut infra certis documentis demonstrabitur Ecclesia enim est corpus Christi atque vicaria eius ideoque munera eius atque opera quoque miraculosa iugiter continuat, quemadmodum ipse Christus instituit atque praedixit. Quare charisma miraculorum in ecclesia perseverans perpetuum est atque evidens signum, opera Christi, quae in evangeliis referuntur, vera fuisse atque proprie dicta miracula.

3. p. Veritas theologica quoque miraculorum Christi omnino certa est.

Haec pars iam luculenter constat ex testimoniis s. Scrip- 15.
turae supra (thes. 30. n. 9—14) adductis: quare hic nihil iam addendum est.

Conclusio itaque thesis manifesta est. Miraculis Christi divina eius legatio validissime confirmatur; et cum Christus miracula cuiusvis generis patraverit, coelum et terra in hac veritate approbanda conspirasse cum SS. Patribus dici possunt. Audiatur v. g. *Cyrillus Hierosolymitanus:* „Inter flumina testis est Iordanus, inter maria Tiberiadis mare. Testantur coeci, testantur claudi, testantur mortui ad vitam revocati. Testimonium ferunt daemones aientes: *Quid nobis et tibi Iesu? Novimus te, quis sis, Sanctus Dei* (Marc. 1, 24). Testificantur venti eius imperio pressi et refraenati; testantur quinque panes in quinque virorum milia multiplicati etc." (Cat. 10. n. 19). Atque similiter *antiquus quoque auctor* serm. de symb. contra Iudaeos, Paganos et Arianos, c. 17: „Credo iam vos, o inimici Iudaei, tantis testibus ita obrutos confutatosque, ut nihil ultra quaerere debeatis, qui ipsi Veritati nimia insipientia vel potius amentia, cum omnia nossetis, quae de Christo essent dicta et conscripta, inverecunda fronte dicebatis: *Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum* (Ioan. 8, 13). Verum ut divinae maiestatis veritas lucescat, supra tot testium (prophetarum) praeclaras voces suo Creatori universa creatura testimonium se dixisse proclamet. Nonne coelum testimonium dixit, quando novum sidus in nova hominis progenie velut lingua et digito, quo potuit, natum Deumhominem gentibus demonstravit? Nonne mare testimonium dixit, quando oblitus quodammodo naturae suae liquidus humor soliditate suscepta sui Domini portavit impressa vestigia, ut impleretur illud quod dictum est: *In mari est via tua et semitae tuae in aquis multis* (Ps. 76, 20)? Quod elementum servum Christi supra se ambulare cupientem, ut demonstraret, quantum interesset inter creaturam et Creatorem, labili unda Petrum absorbuisset, nisi Dominus rerum mergenti Petro manum porrexisset. Nonne terra testimo-

nium dixit. quando eius conspersa saliva ex ea coeci nati oculos inungens, lumen non videnti restituit, et fabrica, quod minus habuit, ex limo terrae artifex reparavit, qui totum hominem de terra ante formavit? Nonne inferna Christo testimonium perhibuerunt, quando iure suo perdito Lazarum, quem dissolvendum acceperant, integrum per quatriduum reservarunt, ut incolumem redderent, cum vocem Domini sui iubentis audirent? Quid in ipsa eius passione? Nonne contra vestram impudentiam ferocemque amentiam ipsam quodammodo publicam lucem testem citabo? Sicut putabatis, homo tum interficiebatur Christus: quod etsi tantum esset, vobis parcere debuistis, ut manus vestras alienas redderetis a sanguine innocentis. Quae coecitas infusa est cordibus vestris, ut nec illa vos tanta deterreret medio die solis obscuritas, et inter eius radios claros amputata lux? Nox recondita in diem, imo nox usurpavit diem, nec cursum sui ordinis natura servavit; sed obtenebratur coelum, luget terra, velum templi conscinditur, petrae scinduntur, inferna reserantur, omnis paene creatura expavescit mortem Christi. Nec tamen in his tantis aperti sunt oculi cordis vestri? O iudaei, daemones, qui corda vestra possederunt, dixerunt: *Scimus, qui sis, quia venisti ante tempus perdere nos.* (Marc. 1, 24), et vos: *Tu de teipso testimonium dicis, testimonium tuum non est verum.*" (Inter op. Aug. tom. 8. append.; Conf. *Petri Damiani* serm. 1. de Epiph.)

Corollarium.

16. *Miracula non tantum divinae Christi missionis argumentum sunt, verum etiam, ut SS. Patres docent, symbola sunt redemptionis spiritualis.* — Quod pulchre declarat *Lactantius:* „Habuerunt figuram et significantiam magnam divina ille opera, quae fecit, quorum vis et potentia valebat quidem in praesens, sed declarabat aliquid in futurum. Aperuit coecorum lumina . . . sed significabat fore, ut insipientium pectora illuminaret luce sapientiae; . . patefecit aures surdorum . . . sed declarabat, brevi fore . . .

ut audirent et intelligerent divinas Dei voces. Mutorum linguas in eloquium solvit . . . significatio, quo ostenderet, mox futurum, ut rerum coelestium ignari . . . de Deo et veritate dissererent. Pedes quoque claudorum ad officium gradiendi reformavit, sed figura id continebat, quod . . . iter veritatis aperiretur, per quod graderentur homines ad Dei gratiam consequendam. Labes et maculas inquinatorum corporum repurgavit . . . id portendebat, quod peccatorum labibus et vitiorum maculis inquinatos doctrina eius purificatura esse eruditione iustitiae. Jacentia mortuorum corpora erexit; imago virtutis maioris fuit, quae demonstrabat, tantam vim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in orbe toto . . . ad immortalitatis praemia pervenirent" (Instit. l. 4. c. 26). Et *Augustinus:* „Dominus, inquit, noster Iesus Christus ea, quae faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi . . . ut, quae faciebat, mira essent videntibus, vera intelligentibus." (Serm. 98. n. 3). Et iterum alibi: „Noverimus omnia miracula, quae corporaliter fecit, valere ad monitionem nostram . . . per ista temporalia, quae videbantur, aedificabat fidem ad illa, quae non videbantur . . . Nunc maiores sanitates operantur, propter quas non est dedignatus exhibere illas minores. Modo caro coeca non aperit oculos miraculo Domini; et cor coecum aperit oculos sermoni Domini. Modo non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quae mortua iacebat." (Serm. 88 n. 1—3; Cf. Eusebius, Dem. ev. l. 9.)

Scholion.

17. *Obiectiones solvuntur.* — Ad absolvendum argumentum praesentis thesis restat, ut praecipuae difficultates solvantur, quas religionis christianae adversarii contra miracula Christi opposuerunt. Ad triplicem vero seriem eaedem revocari possunt. Primo eae expediendae sunt, quae contra veritatem philosophicam miraculorum Christi opponuntur; secundo eae removendae sunt, quas contra veritatem theologicam obiiciunt; tertio speciminis causa argumenta

illa paucis examinare expedit, quibus insigne miraculum resuscitationis Lazari impetiverunt. Iam itaque

18. *1. Repelluntur obiectiones contra veritatem philosophicam directae.* — a) Iudaei, quos deinde hac in re gentiles atque Celsus imprimis secuti sunt, daemoni mira Christi opera adscripserunt. — *R.* Absurde plane egerunt. Etenim primo satis est, ea recolere, quae supra (thes. 37, ass. 2) de Christi persona et sanctitate explicata sunt, ut continuo appareat, hanc obiectionem ineptam esse. Praeterea miracula Christi pleraque primi ordinis vel absoluta sunt, quare daemonis viribus patrari absolute non potuerunt. Denique Christus ipse blasphemam istam obiectionem his verbis repulit: *„Omne regnum divisum contra se desolabitur: et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. Et si Satanas Satanam eiicit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eiicio, daemones, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si ego autem in Spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei“* (Matth. 12, 25—28). De quibus Christi verbis, ut accurate intelligantur, haec notanda sunt. *Primo* ut efficacia primae rationis, quam Christus Iudaeis opponit, recte perspiciatur, non tantum una singularis daemonis eiectio, sed tota hac in re Christi agendi et sanandi ratio consideranda est, quippe quae ad malum destruendum et bonum promovendum tota semper tendebat. Haec enim malus daemon certe intendere non poterat. *Secundo* quod Christus filiis Pharisaeorum potestatem daemones eiiciendi concedat, inde intelligitur, quod reipsa apud Iudaeos fuerunt, qui nomine Dei daemonia eiicerent, ut patet v. g. ex testimonio *Iosephi Flavii* Antiq. 8, 25. Filii autem vocabantur discipuli quoque, quare *filii vestri* ii omnes erant, qui velut discipuli Pharisaeorum et scribarum eorum instituta et traditiones sequebantur. *Tertio* itaque Iudaeorum obiectione repulsa Christus eam merito ut blasphemam calumniam denotat: *„omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiae non remittetur“* (v. 13.)

b) Fuerunt, qui miracula Christi explicari posse cen- 19.
serent vi quidam psychica personae Christi in phantasiam exserta et per ipsam in nervos et organismum aegrotorum. — *R.* Obiectio inepta est. Etenim num omnia miracula Christi sanationes morborum sunt? Num sanavit solos praesentes? Num illa ratione agendi in phantasiam omnes prorsus morbi sanari possunt, quos Christum sanasse constat?

Frustra autem hanc obiectionem inde confirmare nituntur, quod Christus fidem ab iis postulaverit, quos sanaturus erat. Imprimis enim haec fides non est fiducia illa, qualem medici ab aegrotis exigere solent, sed fides proprie dicta. Praeterea non semper Christus fidem exigebat ab eis, qui ad eum confugiebant. Deinde si fidem exegit, non semper ab eis, qui sanandi erant, sed ab aliis exegit. Denique fidem non ut causam miraculi, sed ut conditionem exegit. Quae egregie illustrantur per sanationem filii centurionis (Matth. 8, 5 ss.), per eiectionem daemonii ex filia mulieris Chananaeae (15, 21 ss.) et imprimis per resuscitationem Lazari. Fidem sc. Christus exigit non a Lazaro, quippe qui mortuus erat, sed a Martha sorore eius, fidem non tantum fiducialem, sed fidem proprie dictam: „*Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio et vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine; ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*“ (Ioann. 11, 23—27.)

c) Recentiores plures affirmarunt, miracula Christi 20.
eiusdem ordinis esse, ad quem pertinent phaenomena magnetica et spiritistica. — *R.* Si recolantur ea, quae iam supra (thes. 29. n. 18.) de phaenomenis istis notata sunt, haec obiectio stolida esse continuo intelligitur. Etenim inter phaenomena et miracula Christi existit discrimen primo ex rei natura. Nam miracula Christi complectuntur tum ea, quae quoad substantiam, tum ea, quae quoad sub-

iectum, tum ea, quae quoad modum talia sunt: Iamvero nulla ex phaenomenis obiectis cum miraculis duorum priorum ordinum comparari possunt; pauca autem illa, quae cum miraculis tertii ordinis comparari posse prima specie videri possent, apparentem solum cum iis similitudinem habent, cum non imperio in leges naturae, sed applicatione earum occulta fiant vel meris fraudibus contineantur. Deinde discrimen est ex subiecto operante. Qui enim auctores illorum phaenomenorum aestimantur, saepe vel plerumque viri aut feminae sunt dubiae famae, imo saepe etiam malae; certe autem a Christi sanctitate infinite distant. Accedit discrimen ex modo operandi. Cum enim Christus solo nutu voluntatis, in instanti et absens miracula patraverit; cum praeterea tota ipsius ratio agendi summam dignitatem, sinceritatem, sanctitatem spiret, econtra modus agendi illorum, qui dicta phaenomena excitant, multiplicem causarum naturalium influxum arguit necnon saepe futilis, superstitiosus, absurdus apparet. Praeterea est discrimen ex fine quoque Finis enim miraculorum Christi unice Dei gloria est et hominum utilitas: finis vero phaenomenorum illorum vanae curiositatis expletio est atque proprii commodi promotio. Denique discrimen intercedit ex effectibus. Sicut effectus miraculorum Christi constantes erant, ita mira efficacia quoque ad morum emendationem pollebant. Phaenomena autem magnetica et spiritistica nunquam meliores vitae desiderium excitant, imo haud raro causa sunt morum depravationis, morbos quoque tum corporis tum mentis aliquando causarunt.

21. d) Denique contra philosophicam miraculorum Christi veritatem obiecerunt, Christum per vires naturales occultas ceteris, ipsi autem cognitas opera sua mira patrasse. — Multipliciter absurde id obiicitur. Etenim primo nullis viribus physicis adhibitis, solo verbo, solo voluntatis nutu in instanti, imo absens opera mira Christus patravit. Praeterea unde Christus talem virium occultarum miram cognitionem hauserit, et quomodo vires istae etiamnum adversariis occultae sint, cum adeo in scientiis naturalibus

excellant? Cur itaque ipsi nunc saltem talia opera non patrent, qualia Christus patravit? Deinde cum Christus adeo caritate plenus esset erga homines, certo certius, si naturaliter v. g. morbos sanasset, hanc artem vel scientiam hominibus communicasset. Ulterius ipse Christus saepe sollemniter declarat opera sua ex divina omnipotentia procedere; testimonium autem eius, ut demonstratum est supra, fide maxime dignum est. Denique mira Christi opera pleraque talia erant, quae nulla vi creata produci possunt.

22. *2. Contra veritatem miraculorum Christi theologicam quoque nonnulla obiiciuntur.* — a) Primo hunc in modum arguunt: Christus pluries prohibuit, ne miracula, quae patravit, apud homines divulgarentur; iamvero hoc vix fecisset, si ipse ea tamquam signa divinae suae missionis habuisset: ergo. Maior certa est; etenim leproso, quem initio praedicationis publicae sanavit, praecipit: „*Vide nemini dixeris*“ (Marc. 1, 44); surdo et muto quoque sanato „*praecipit illis, ne cui dicerent*“ (Marc. 7, 36); tandem cum a morte revocaverat puellam, parentibus eius „*praecepit, ne alicui dicerent, quod factum erat*“ (Luc. 8, 56). — *R.* Christus, ut supra ostensum est, iterum iterumque ad miracula sua tamquam manifestum divinae suae missionis argumentum aperte provocat; si itaque aliis occasionibus prohibet, ne miracula, quae patraverat, divulgentur, non propter rationem obiectam ita egit, verum aliae huius rei causae speciales exstant. Et *primo* quidem ex doctrina SS. Patrum ea agendi ratione modestiam et humilitatem commendare voluit, ut explicat v. g. *s. Chrysostomus:* „His enim nos instituit (Christus), ut ne praedicemus nos ipsos, imo coërceamus eos, qui nos celebrare vellent; si vero ad Deum gloria referatur, non modo non impediamus, imo id agere alios praecipiamus“ (In Matth. hom. 32. n. 1.) *Secundo* vero illa ratio agendi ex adiunctis proximis, in quibus versabatur, commode explicatur. Etenim interdum tali prohibitione intendit, ne praesentia eius divulgaretur vel ne invidia et odium Pharisaeorum excitaretur. *Tertio* autem et imprimis illa ratio agendi his explicatur: Initio

vitae publicae praesertim necessarium fuit, ut Christus omnem suspicionem vitaret, quod secundum spem populi Iudaici regnum temporale Israël restituturus esset. Quare omnem populi commotionem vel vitavit vel repressit atque, ne illam spem aleret, sedulo cavit. Atque haec est ratio propria, cur etiam miraculorum divulgationem initio vitae publicae prohibuerit. Quanta v. g. populi commotio orta sit, cum leprosus ex grati animi impetu suam sanationem divulgaret, ex Marc. 1, 45. patet: „*At ille egressus coepit praedicare et diffamare sermonem, ita ut iam non posset manifesto introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset.* Postea vero, cum errorem illum vulgi correxisset et de fine suae missionis suaque doctrina Iudaeos satis edocuisset, iam aperte et graviter ad sua opera provocavit atque iis luculentissimum divinae suae missionis argumentum contineri aperte declaravit. Itaque ex prudenti oeconomia Christus egit, ut pro statuto rerum cursu missionem suam triennio perficere posset.

23. b) Obiiciuntur, quae habentur Matth. 12, 38 ss.: „*Tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisaeis dicentes: Magister, volumus a te signum videre. Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ioane prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.*“ His enim verbis ipse Christus declarare videtur, resurrectionem suam solam tamquam argumentum divinae suae legationis considerandam esse. — *R.* Immerito ita concluditur. Iudaei enim signis, quae eousque Iesus operatus erat, non contenti signum ad suum arbitrium et beneplacitum postulant, velut manna; quod saltem SS. Patres concludunt ex Luc. 11, 16: „*Et alii tentantes signum de coelo quaerebant ab eo*“, necnon ex Ioan. 6, 30, 31: „*Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de coelo dedit eis manducare.*“ Iamvero tale signum, quod illi obstinate postulant, verbis

relatis Christus denegat. Cum enim signis, quae Christus patrabat, fidem non haberent, merito Christus denegat, se aliud signum iis daturum esse, quam signum Ionae prophetae, quamvis multa praeterea alia signa adhuc editurus esset. Negat itaque ad eorum arbitrium et in eorum gratiam se signa facturum esse. Unum solum signum ab eis, quae eousque patraverat, sanationibus scilicet plerisque alienum illis promittit, resurrectionem suam. Iam si haec pensentur, evidens est. Christum nullatenus ceteris miraculis ab ipso patratis voluisse denegare rationem criterii, quo divina sua missio infallibiliter cognosceretur.

c) Obiiciunt Tertullianum: „At ego negabo, solum hanc 24.
illi speciem (per documenta virtutum seu miraculorum) ad testimonium competisse, quam et ipse postmodum exauctoravit. Siquidem dicens (Matth. 24, 24) multos venturos et signa facturos et virtutes magnas edituros, eversionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendam temerariam signorum et virtutum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudo-Christos facillimarum. Aut quale est, si inde se voluit probari et intelligi et recipi (ex virtutibus dico), unde ceteris noluit, aeque et ipse tam subito venturos, quam a nullo auctore praedicatos? (Adv. Marc. l. 3. c. 3). — *R.* Tertullianus putat, miraculis sine prophetiis divinam Christi legationem non probari; in quo manifeste exaggerat, ut in aliis quibusdam; quare auctoritas eius non urget. Quod addit per falsa prodigia vera miracula exauctorari, falsum est; etenim falsa prodigia ut talia cognosci possunt et quidem eo vel magis et facilius, quia a Christo praedicta sunt.

3. Obiectiones contra miraculum resuscitationis Lazari 25.
(Ioan. c. 11) *repelluntur.* — Speciminis causa aliquo exemplo ostendere iuvat, qua ratione Rationalistae singula ab Evangelistis relata miracula explodere conentur. Itaque: a) Aliqui facti historiam negant eamque interpolatam esse contendunt: ratio eorum est, quia solus Ioannes hoc miraculum refert, cum ceteri Evangelistae totam rem silentio praetereant. — *R.* Immerito ita procedunt et ratio allata nulla est; commode enim explicatur, cur solus Ioannes

historiam huius miraculi referat. Scilicet *primo* Ioannes plura refert, quae a ceteris Evangelistis omittuntur, quia post ceteros Evangelium suum conscripsit, atque finem quoque sibi proposuisse videtur, ut ceteros suppleret. Non ideo igitur aliqua historia iam suspecta apparet, quod a solo Ioanne refertur. *Praeterea* non deest ratio explicandi, cur ceteri Evangelistae relationem huius miraculi praetermiserint; videlicet vivo Lazaro inopportunum ipsis videri poterat, eiusdem mortem et resuscitationem a morte referre *Deinde* aptissime cohaeret apud Ioannem relatio de resuscitatione Lazari cum narratione passionis Christi; etenim hanc fusius narrat Ioannes, miraculum autem resuscitationis Lazari cum passione arcte cohaeret, quia odium Pharisaeorum demo inflammavit eisque occasionem praebuit, ut consilium inirent et iam vehementius contra Iesum procederent. *Denique* cum alio loco quoque eiusdem evangelii haec historia egregie cohaeret. Etenim verborum Christi: *„venit hora, in qua omnes, qui in mônumentis sunt, audient vocem filii Dei“* (Ioan. 5, 28) praeclara confirmatio est.

26 b) Alii Rationalistae ad miraculum vitandum contendunt, Lazarum reipsa mortuum non fuisse, sed tantum sopore oppressum, quod vel Iesus ipse expresse dicat: *„Lazarus, amicus noster, dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.“* (11, 11.) — *R.* Obiectio prorsus absona et futilis est. Etenim *primo* Iesus ipse statim postea mortem Lazari disertis verbis affirmat, ut discipulos male sua verba intelligentes dedoceret: *„Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.“* (v. 14, 15.) Itaque priora illa verba, quibus Lazarum dormire Iesus dixit, manifeste metaphorice accipienda sunt de somno mortis; vel cum *S. Augustino* interpretanda sunt: „Mortuus est vobis, dormit mihi“ (in h. l.). *Secundo* hypothesis adversariorum cum ratione, qua Christus se gessit, prorsus pugnat. Scilicet morte Lazari exclusa et remota a Iesu omni virtute supernaturali quaeritur, quomodo Iesus solus, quamvis absens, sciverit, Lazarum non esse mortuum, sed tan-

tum dormire. Vel si non novit, temere locutus esset et derisioni se exposuisset, quod ipsi Rationalistae dicere non audent; quare incohaerenter procedunt. *Tertio* Lazarum reipsa mortuum exhiberi manifesto constat ex v. 39: „*Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam foetet, quatriduanus est enim.*“ *Quarto* idem testantur Iudaei, ex quibus multi cognati ad Martham et Mariam venerant, ut eas consolarentur (v. 19.) eumque una cum eis plorabant (v. 33.); aliqui etiam de Christo dicebant: „*Non poterat hic, qui aperuit oculos coeci nati, facere, ut hic non moreretur?*“ (v. 37). *Denique* testantur de morte Lazari simul et resuscitatione Pontifices Iudaeorum exclamantes: „*Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit*“ (v. 47.)

c. *Strauss* contendit, historiam resuscitationis Lazari figmentum esse phantasticum primorum christianorum ad dogma futurae corporum resurrectionis illustrandum studiose a Ioanne compositum. Historicam enim narrationis indolem his excludi opinatur. Primo scilicet asserit Iesum apparere inhumanum et crudelem, quod nuntio de Lazaro aegrotante accepto non statim ad ipsum visitandum festinaverit. Iterum autem Iesus ad sepulchrum Lazari orans, plorans et fremens histrionis potius quam sapientis hominum magistri vices agere videtur. Denique cum aliis Rationalistis inde arguit, quod Ioannes solus Lazari resuscitationem referat. — *R.* Hypothesis a Strauss proposita non minus absurda apparet, quam ceterae Rationalistarum explicationes, quas ipse deridet. Etenim *primo* de historia resuscitationis Lazari non solum vetustissima traditio testatur, quae in imaginibus et picturis catacumbarum expressa apparet, verum etiam relatio evangelica ipsa historicae narrationis indolem manifeste ostendit. Etenim nulla in ea relatione apparet exaggeratio, nullus affectus exprimitur, omnia spirant historicam simplicitatem et sinceritatem. Insuper cum minutissimae circumstantiae referantur, nihil tamen abundare vel superfluum esse invenitur; omnia enim ad perspicuitatem conferunt et apte cohaerent. 27.

Denique consideratis iis, quae ab Evangelista de Iudaeis generatim, de Pharisaeis in specie et de Martha, Maria, discipulis Christi referuntur, historia Lazari resuscitati perfecte consonare invenitur cum aliis sive Ioannis sive ceterorum Evangelistarum narrationibus. *Secundo* quae Strauss opponit, nullius sunt efficaciae. Etenim quod Iesus nuntio de Lazaro aegrotante accepto non statim ad eum festinaverit, ad summum tunc inhumanum videri potest, si falso tamquam merus homo consideratur. Videlicet tamquam verus Dei Filius et legatus divinus imprimis non humanos affectus, sed Patris beneplacitum spectare debuit. Sed secundum providentiae divinae consilium resuscitatio Lazari (naturaliter) mortui destinata erat, ut sollemnis esset divinae Christi missionis confirmatio, quae in illis adiunctis maxime opportuna fuisse perspicitur. Iamvero his consideratis manifesto absurdum est, quidquam inhumanum in ratione agendi Christi videre vel postulare, ut Christus amicitiam suam erga Lazarum eiusque sorores divinae suae missioni necnon divinae gloriae praetulerit. Quod vero deinde Strauss Iesum orantem, flentem et frementem histrionis vices sustinere dicat, perabsurdum est; haec enim omnia, consideratis adiunctis, potius tum legati divini dignitatem tum veram humanitatem spirant. Speciatim autem quod Iesus fremuerit, inde explicatur, quod optime norat, illo miraculo se quasi propria manu mortis suae sententiam subscripsisse. Quod denique tertiam obiectionem a Strauss factam attinet, nihil dicendum restat, cum iam prius soluta sit.

Articulus quartus.

De resurrectione Christi.

Thesis 40. Inter miracula Christi necnon inter criteria divinae eius missionis eminet primumque locum obtinet gloriosa a mortuis resurrectio.

Cf. Disteldorf, Die Auferstehung Christi 1906; Jacquier et Bourchany, La resurrection de Jésus Christ. 1911.

Declaratio.

1. Momentum huius demonstrationis. — Gloriosa a mor- 1.
tuis resurrectio non solum inter miracula Christi eminet, verum generatim inter argumenta divinae Christi missionis primum locum obtinet. Primus huius eminentiae titulus in ipsa huius miraculi ratione in se spectata continetur; nam in resurrectione a mortuis nota miraculi adeo splendet, ut eam maximum miraculum esse nemo vel infensissimorum adversariorum negaverit. Secundus in eo positus est, quod in stupendo hoc eventu ratio miraculi et ratio prophetiae impletae coniunctae apparent; Christus enim non semel ipse suam mortem resurrectionemque suam apertissimis verbis praedixit, ut infra ostenditur. Accedit tertius, quod Christus ipse ad resurrectionem suam tamquam ad argumentum potissimum suae missionis et tamquam ad signum κατ ἐξοχήν provocavit (cf. Matth. 12, 38 ss.; Ioan. 2, 19). Denique quartus est, quod Christus resurrectione sua opus suum victor gloriosus complevit et manifestissime eadem se declaravit nostrum Redemptorem, novum Adamum, caput viventium. Quare Apostoli eam considerarunt ut miraculum Messianicum per eminentiam (Act. 2, 27), obiectum praedicationis apostolicae praecipuum et fundamentale (Act. 1, 22), et basim et fundamentum fidei atque spei christianorum (1. Cor. 15, 14; Rom. 4, 25; Col. 3, 1). *„Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis et fides vestra; invenimur autem et falsi testes Dei etc.“* (1. Cor. 15, 14. 15); Matthias, ut sit testis resurrectionis, eligitur (Act. 1, 22), Petrus eam annuntiat in primo sermone ad populum habito (Act. 2, 24—32), Paulus eam praedicat coram Atheniensibus (Act. 17, 18. 31); ad eam confirmandam Apostoli miracula patrant (Act. 3, 15; 4, 10. 33). Haec semper etiam fuit communis christianorum fides; resurrectio enim a mortuis vel articulum symboli Apostolici constituit necnon obiectum quoque sollemnissimae festivitatis Paschalis. Denique in hac re adversarii quoque nobiscum conveniunt, quippe qui ex duobus fere annorum millibus contra resurrectionem Christi tam-

quam fundamentum christianae fidei nova semper contentione indesinenter irruunt.

2. *2. Eventuum ad resurrectionem spectantium series exponitur.* — Resurrectionem Christi quatuor Evangelistae referunt, sc. Matthaeus (c. 28), Marcus (c. 16), Lucas (c. 24), Ioannes (c. 20). Praeterea ad eandem spectant, quae habentur Act. 1., et in 1. ad Cor. c. 15. Cum non omnia nec eadem a singulis adiuncta referantur, eventuum series recta ac determinata vix statui potest; probabilior autem haec esse videtur: Primo post sabbatum die, valde mane, quando mulieres cum aromatibus ad corpus Christi ungendum domo proficiscebantur, angelus Domini lapidem monumenti revolvit et custodes terrore correpti fugerunt (Matthaeus). Maria vero Magdalene et Maria Iacobi cum Salome ad monumentum pervenerunt exspectaturae, ut videtur, Ioannam cum ceteris mulieribus aromata portantibus; orto iam sole Maria Magdalene videns lapidem revolutum atque suspicans, corpus esse sublatum, festinavit nuntiatura Petro et Ioanni, quod viderat; vel saltem ante omnes tenebris adhuc perseverantibus advenerat et monumentum ingresa est.

3 Postquam Magdalena discessit, Maria et Salome monumentum ingredientes iuvenem sedentem ad dextram et stola candida coopertum conspexerunt. Qui ad illas conversus dixit: Nolite expavescere; Iesum quaeritis Nazarenum, crucifixum? surrexit, non est hic; ecce locus, ubi posuerunt eum; sed ite, dicite discipulis eius et Petro, quia praecedit in Galilaeam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illae tremore et pavore occupatae e monumento fugerunt ac prae timore nemini quidquam dicere ausae sunt (Marcus, Matthaeus).

Paulo post Petrus et Ioannes ad monumentum accedunt, quos Magdalena lentius procedens sequebatur. Iam illis, postquam singula accurate inspexerunt, redeuntibus (Ioannes), haec manebat stans ad monumentum foris et plorans. Cum vero inclinans se in monumentum introspiceret, duos angelos vidit in albis sedentes, unum ad caput, ad pedes alterum, ubi corpus Domini positum fuerat. Tum

Dominus ipsi apparuit (Ioannes). Eodem fere tempore vel statim post alia facta est apparitio; scilicet Mariae Iacobi et Salome fugientibus urbemque nondum ingressis Christus obviam venit dicens: Avete. „Hae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius et adoraverunt eum“ (Matthaeus).

Interim vero Ioanna cum mulieribus, quae de Galilaea 4.
venerunt, aromata afferentes ad monumentum accesserunt. Cum corpus Christi minime invenirent, consternatae duos viros veste fulgida indutos conspexerunt, qui dicebant: Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus sit vobis, cum adhuc in Galilaea esset; oportet, inquiebat, filium hominis tradi in manus peccatorum et configi et tertio die resurgere. Et recordatae sunt verborum ipsius, ac revertentes ista undecim Apostolis, ceteris discipulis, inter quos duo quoque isti erant, qui profecturi erant Emaus, nuntiaverunt (Lucas). Quo nuntio accepto et audita forte etiam relatione Mariae Magdalenae et Mariae Iacobi, Petrus ad monumentum secundo abiit et procumbens linteamina sola posita vidit, sed admiratione perculsus recessit. Eodem vero die incertum est, qua hora et quo in loco, ipsi etiam Petro Christus apparuit (Lucas). Eodem insuper die duobus discipulis in oppidum Emaus euntibus apparuit (Lucas, Marcus), necnon vespere undecim apostolis congregatis (Lucas, Matthaeus, Marcus, Ioannes). Ita quinque apparitiones ipsa die resurrectionis acciderunt.

Praeter has quinque autem aliae insuper quinque po- 5.
stea factae recensentur. Sexto scilicet Christus omnibus apostolis apparuit; in qua apparitione Thomae incredulitatem reprehendit. Septima ad mare Tiberiadis contigit, ubi factus est piscatus miraculosus, ac Christus Petro oves suas commendavit necnon eidem martyrium praedixit (Ioannes). Octava fuit in monte Galilaeae a Christo designato, ubi a quingentis fratribus simul visus est (Matthaeus, Marcus, Lucas). Nona Iacobo contigit (1. Cor. 15). Decima tandem Apostolis ante ascensionem facta est (Marcus; Act. 1.; 1. Cor. 15).

6. *3. Thesis divisio.* — Cum resurrectio Christi, ut dictum est, tum prophetiae impletae tum miraculi rationem habeat, sub utroque respectu in demonstratione consideranda est, ut tractatio argumenti absoluta et perfecta censeri possit. Quare in trés partes thesis dividitur, in quarum prima ostenditur Christum mortem suam et resurrectionem praedixisse; in secunda demonstrandum est Christum vere mortuum fuisse; in tertia parte ipsa resurrectio Christi a mortuis tamquam factum verum historicum probatur. In corollario denique et scholio adiecto hypotheses adversariorum et difficultates quaedam oppositae examinabuntur.

Demonstratio.

I. p. Christus resurrectionem suam a mortuis non semel vero vaticinio aperte praedixit.

Duo in hac parte demonstranda sunt, ut de veritate eius clare constet: primo Christum reipsa resurrectionem suam praedixisse; secundo hanc praedictionem habuisse rationem veri vaticinii. Utrumque autem commode probatur. Itaque:

7. *1. Christus non semel resurrectionem suam praedixit.* — a) Et primo quidem iteratis vicibus eam in suis cum discipulis sermonibus praedixit, ut evangelistarum testimonia manifeste ostendunt. Etenim Marc. 8, 31. legitur: „*Coepit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa et reprobari a senioribus et summis sacerdotibus et scribis, et occidi et post tres dies resurgere.*“ Iterum Marc. 9. 30: „*Docebat autem discipulos et dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum et occident eum et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum et timebant interrogare eum.*“ Denuo Marc. 14, 28: „*Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.*“ Deinde Luc. 9, 22: „*Oportet Filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et principibus sacerdotum et scribis et occidi et tertia die resurgere.*“ Praeterea Matth. 16, 21: „*Exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Ierosolymam et*

multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi et tertia die resurgere." Denique Matth. 17, 21, 22: „*Filius hominis tradendus est in manus hominum et occident eum et tertio die resurget. Et contristati sunt vehementer.*"

b) Christus non solum coram discipulis, sed coram 8.
inimicis quoque publice futuram suam resurrectionem asseruit. Postquam enim e templo eiecit negotiatores, cum Iudaei interrogarent: „*quod signum ostendis nobis, quia haec facis, respondit Iesus et dixit eis: Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui*" (Ioan. 2, 19—21). Et alia vice postea Scribis et Pharisaeis iterum signum petentibus Christus respondit: „*Generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et noctibus.*" (Matth. 12, 39 ss. cf. Luc. 11, 29 ss.) Iterum postea adhuc clarius declaravit: „*Propterea diliget me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo*" (Ioan. 10, 17 ss.). Quas Christi declarationes ab ipsis quoque Iudaeis de futura Christi resurrectione intellectas esse, ratio agendi, quam post Christi mortem sequebantur, aperte ostendit; etenim ut refert Scriptura: „*Altera die, quae est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertiam*" (Matth. 27, 62 ss.).

2. *Supposito, ipsum eventum praedictum secutum esse,* 9.
quod deinde probabitur, intelligitur hanc Christi praedictionem fuisse prophetiam veram et proprie dictam. — Etenim a) facta est modo tam certo, definito, claro, ut omnis coniecturae species plane sit exclusa. Scilicet *primo* non ad dubitantis instar de ea locutus est, sed plena certitudine et securitate eam praedixit tamquam divinae suae missionis sigillum.

Deinde etsi aliquando eam imagine involutam proponeret, satis clare tamen locutus est, ut nemo animi pacati et praeiudiciis vacans de sensu locutionis dubitare posset, ut unicuique nunc legenti et consideranti facile patet. *Denique* tum ipsam resurrectionem tum tempus eius necnon adiuncta cum ea cohaerentia definitis verbis praedixit. Quare Christus revera ita suam resurrectionem praedixit, ut commode intelligi posset. Hinc vel ipsis Christi inimicis sensus huius praedictionis adeo certus et clarus erat, ut Christi mortui sepulchrum sigillo munierint et custodes posuerint, ne discipuli corpus furati dicerent Christum revera resurrexisse.

10. *Excipitur tamen primo* discipulos vaticinium non intellexisse (Matth. 16, 22); ergo aut non tam clara esse ea vaticinia aut forte interpolata esse. — *R.* Facile explicatur, cur discipuli non statim intellexerint. Ratio scilicet posita est in tenerrimo affectu, quo in Christum ferebantur; ideo enim a passione Christi refugiebant eamque necnon resurrectionem credere nolebant. Quare Petrus exclamavit: *„Absit a te, Domine, non erit tibi hoc“* (Matth. 16, 22). Ceterum postquam Christus resurrexit, sensum praedictionis Christi certo intellexerunt, ut ipse evangelista testatur: *„Cum ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturae et sermoni, quem dixit Iesus.“* (Ioan. 2, 22).

11. *Secundo excipitur*, diversas Christi praedictiones relate ad circumstantiam temporis, non convenire; quam difficultatem deinde contra ipsam impletionem quoque urgent. Scilicet Matth. 12, 40. Christus dixit se *tribus diebus et tribus noctibus* in corde terrae futurum; Matth. 27, 63. se *post tres dies*, Ioh. 2, 19. *in tribus diebus*, denique Matth. 20, 19; Marc. 10, 34; Luc. 9, 22; 18, 33; 24, 7 et 46 se *tertia die* resurrecturum esse. Reipsa vero dein Christus Scriptura referente die dominico primo mane resurrexit, cum feria sexta mortuus et versus vesperam sepultus esset; quare per duas tantummodo noctes et per integrum diem sabbati et per parvam diei praecedentis et subsequentis

partem in sepulchro requievit. — *R.* Exegetis omnibus consentientibus difficultas haec reipsa nulla est. Ex modo enim loquendi Iudaeorum diversis illis phrasibus idem prorsus significatur, scilicet Christum tertia die resurrecturum esse, ut reipsa factum est. Quod *primo* patet ex eo, quod ipse Christus promiscue illas phrases adhibet; *secundo* neque Iudaei unquam ex illa diversitate difficultatem moverunt, verum in eodem sensu diversas illas phrases et expressiones acceperunt, ut patet v. g. ex Matth. 27, 63. 64, ubi cum verba Christi *post tres dies resurgam* retulerunt, *in tertium diem* sepulchrum custodire volunt. *Denique tertio* idem ex pluribus aliis Scripturae locis evincitur, ut v. g. ex Esther 4, 16. coll. 5, 1: scilicet cum legitur praecepisse: *„Non comedatis et non bibatis tribus diebus et tribus noctibus, et ego . . . similiter ieiunabo et tunc ingrediar ad regem“;* nihilominus tamen die tertio ad regem intravit. Conferatur quoque Tob. 3, 10–12; 1. Reg. 30, 10—12; Deut. 14, 28. et 26, 12.

12. b) Praedictio eadem sine dubio supernaturalis quoque et divina fuit. Etenim resurrectio ex natura sua stupendum divinae omnipotentiae opus est: quare a liberrimo divino consilio procedit; divina autem consilia nulla creatura naturaliter cognoscere potest. Ergo Christus resurrectionem suam divino tantum lumine illustratus praescire et praedicere certo potuit.

Frustra excipitur Christum hanc praescientiam ex prophetis hausisse. Hac enim ratione ab adversariis contra suum scopum verae prophetiae de Christi resurrectione agnoscerentur, neque iam ulla ratio esset, propheticam praedictionem Christi ipsius in dubium vocare. Insuper autem, quamvis a David v. g. Messiae resurrectio iam sit annuntiata, Christus tamen eam tum clarius tum, quod tempus spectat, accurate plane praedixit, ut dictum est.

2. p. Christus revera mortuus est.

13. Haec veritas duplici praesertim argumento certissime probatur: primo ex multiplici hominum fide maxime dig-

norum testimonio et deinde ex diversis passionis Christi adiunctis. Itaque:

1. Ex multiplici testimonio. — Pauca facta historica exstant, quae tot et tam egregiis testimoniis extra omnem dubitationem ponuntur; etenim:

a) De morte Christi unamini relatione Evangelistae testantur, ex quibus Ioannes ipse praesens aderat: „*Et inclinato capite tradidit spiritum*" (Ioan. 19. 30.); „*Emisit spiritum*" (Matth. 27, 50.); „*Iesus autem emissa voce magna exspiravit*" (Marc. 15, 37.), „*et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens exspiravit*" (Luc. 23, 46). Apostoli item unamini consensione testantur, qui mortem Christi semper proponunt ut potissimum fundamentum, ex quo redemptio nostra et salus pendeat (Act. 2, 23. ss.; 2. Cor. 5, 14; 1. Petr. 3, 18. etc.).

14. b) Praeterea Christum reipsa mortuum fuisse testati sunt etiam milites, qui eum crucifixerunt; decurio, qui militibus crucifigentibus praeerat; Ioseph, qui corpus petiit; Pilatus, qui corpus Ioseph tradidit: „*Venerunt ergo milites et primi quidem fregerunt crura et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem, cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua*" (Ioan. 19, 32). „*Et cum sero esset factum, quia erat Parasceve, quod est ante sabbatum, venit Ioseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, quod iam obiisset. Et accersito centurione interrogavit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph*" (Marc. 15, 42).

c) Idem testati sunt amici Christi. Etenim Ioseph ceterique, postquam corpus a Pilato acceperunt, idem ligatum sepulchro commiserunt atque lapide advoluto sepulchrum munierunt; quod sane nequaquam fecissent, nisi certam de morte Christi persuasionem habuissent. Ex qua

certa persuasione etiam est, quod postea Christum resurrexisse et vivere credere noluerunt.

d) Inimici quoque Iudaei de vera Christi morte aperte testati sunt. Certe enim numquam permisissent, ut e cruce vivus tolleretur atque amicis suis committeretur. Deinde cum nequaquam timerent, ne non sit mortuus Christus, id unum curandum esse existimaverunt, ne discipuli corpus Christi furarentur. Quare Pilatum rogaverunt: *„Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis, et erit novissimus error peior priore“* (Matth. 27, 62. ss.). 15.

e) Denique Christum reipsa mortuum esse testantur omnes veteres religionis Christianae inimici, qui nunquam ausi sunt Christi mortem negare, sed resurrectionem infitiati sunt. Ipsis enim quoque persuasum erat, mortem Christi nulla probabilitatis vel similitudinis specie negari posse. Quare gentiles quoque religionis christianae inimici ad Iudaeorum fictionem de corpore Christi furto sublato refugerunt (cf. Origen. contra Cels. ll. 1 et 2).

Excipiunt contra testimonium Pilati, ex eo potius contrarium sequi, quia „mirabatur, quod iam obiisset“ — *R.* Dici potest, Pilatum miratum esse, quia forte non satis consideravit copiosam sanguinis effusionem per flagellationem ceteraque tormenta effectam. Vel melius cum *Suarez* haec reponuntur: „Pilatus, ut ego existimo, non tam mirabatur de velocitate mortis Christi, quod existimaret, tormenta non fuisse sufficientia ad illum interficiendum, quam quod aliquid divinum de Christo suspicatus fuerat et ideo vel speraret vel formidaret illum non tam cito aut certe neque omnino moriturum esse“ (De myst. vit. Chr. disp. 38. s. 1. n. 10).

2. *Christum reipsa mortuum fuisse, adiuncta quoque varia passionis evidenter ostendunt.* — Nimirum ea in passione Christi acciderunt, ex quibus absurditas cuiusvis de morte Christi dubitationis manifesto apparet. Scilicet: 16.

a) Considerentur primo ingentes illae aerumnae internae, quas Christus tum ante crucifixionem tum in cruci-

fixione per viginti fere horas continuo perpessus est. Agonia in horto tam dura fuit, ut sanguinem sudaret (Luc. 22, 44). Deinde a perverso et ingrato discipulo venditus, ab Apostolis desertus, inimicis furiosis traditus, a militibus iniuriis oppressus, ab Herode publice illusus, a populo accusatus, a Pilato ad mortem damnatus, ignominiae ligno oneratus, in cruce ab inimicis sugillatus necnon mediis in tormentis a Patre derelictus est. Quantopere autem eiusmodi tormentis internis ipsa Christi constitutio physica necessario depressa sit et enervata, facile pensari potest.

17. b) Ad tormenta illa interna accedit flagellatio. Iesus autem flagellatus est more Romanorum, qui erat crudelissimus adeo, ut flagellatio saepe per se mortem afferret (cf. *Cicero,* Verres 5, 54; *Ios. Flavius,* bell. iud. I. 6. c. 5. n. 3). Acerrimo vero modo hanc diram poenam Christo applicatam esse, inde patet, quod milites novo adhuc cruciatu addito corona spinea Christum coronabant (Matth. 27, 29); atque hac ratione in eum miserum statum Christum redigebant, ut Pilatus eum videns exclamaret: *„Ecce homo"* (Ioan. 19, 5). Quibus tormentis ita viribus Iesus iam destitutus est, ut sub cruce, quam ipse portabat, corrueret; quare milites, ne citius moreretur, Simoni Cyrenaeo illam imponebant (Matth. 27, 32).

c) Deinde Christus crucifixus quoque est more Romanorum, i. e. clavis manus et pedes perforati atque affixi sunt; atque hac ratione per tres horas in cruce pendebat sanguine ex vulneribus clavis, flagellis, spinis effectis continuo profluente. Profecto talis sanguinis effusio brevi mortem causare plane debuit.

18. d) Accedit, quod unus militum lancea latus eius perfodit (Ioan. 19, 34). Hac autem lateris perfossione si Christus mortuus nondum fuisset, certissime interfectus esset. Etenim lanceae ictus inferri solebat ad certo finiendum supplicium, si condemnatus sola crucifixione nondum forte interierat. Scilicet qui vivi supererant, cum de cruce tollendi erant, iis primum crura frangebantur; quia vero crurifragio vita non subito adimi solebat, ideo ictus lanceae

insuper addebatur. Iamvero, quod Iesum attinet, milites crurifragio abstinebant, cum eum iam mortuum esse conspicerent; ut vero omnis possibilitas eum vivum forte auferendi tolleretur, latus perfossum est, „*Unus militum latus aperuit et continuo exivit sanguis et aqua*“ (Ioan. 19, 34).

e) Denique perpendenda sunt, quae a Ioanne (19, 38 ss.) referuntur de Ioseph ab Arimathaea, qui corpus Christi a Pilato impetravit, et de Nicodemo, qui venit „*ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum.*“ Scilicet secundum morem Iudaeorum corpus Christi a capite usque ad pedes linteis ligaverunt, additis centum libris unguentorum et aromatum. Deinde sepelierunt in monumento exciso de petra, in quo nondum depositus quisquam fuerat et saxum magnum ante monumentum advolverunt. Iam haec nisi Iesus mortuus fuisset, mortem sane accelerassent.

Itaque de morte Christi tam certissime constat, ut 9
contrarium non solum impropabile appareat, sed prorsus impossibile. Etsi enim aliquando fieri poterat, ut crucifixus mature de cruce depositus a morte praeservaretur, nunquam tamen hoc factum est, si iis cum adiunctis quis crucifixus est, in quibus Iesus patiebatur, nec unquam nisi cura diligentissima crucifixo adhibebatur, quae certo Iesu impensa non est (cfr. Herod. 7, 194; Ioseph. Flavius, Vita 75). Qui igitur fingunt, Iesum tam gravibus vulneribus confectum, sanguine fere toto privatum, cura nulla adiutum ex animi deliquio, quod solum passus esse supponitur, emergere atque emersum pedibus perforatis incedere potuisse, penitus absurda statuunt. Quae fictionis absurditas augetur adhuc, si perpendatur, quanta severitate et peritia Romani in exsequenda mortis sententia processerint et quantopere inimicorum furibundorum interfuerit, curare, ut Iesum certo removerent et e vivis tollerent.

Excipiunt tamen adversarii primo ex verbis: „*Clamans* 20.
voce magna emisit spiritum“ (Matth. 27, 50). Nimirum hominem viribus penitus privatum et morientem magna voce non uti dicunt ideoque potius, quam mortem, animi deliquium admittendum esse. — *R.* Hanc magnam vocem

emittendo Christus miraculo ostendit, mortem suam fuisse voluntariam. Quod ut intelligatur animadvertendum est, mortem Christi fuisse primo violentam, non naturalem, secundo naturalem non miraculosam, tertio fuisse voluntariam non coactam; quarto morti Christi miraculum fuisse coniunctum. Primo fuit violenta, quia per vim externam contra naturalem inclinationem Christo illata est; non fuit naturalis, quia non ex interna virium defectione mortuus est. Secundo fuit naturalis, non miraculosa, quia ex causis naturalibus, vulneribus inflictis etc. non vero ex causa miraculosa consecuta est. Tertio fuit voluntaria, non coacta, quia non contra appetitum elicitum liberum illata est, sed Christus libere mortuus est, quia, cum potestate sua mortem impedire posset, ea potestate uti noluit. Scilicet duplici modo eam impedire potuit: „primo quidem adversarios reprimendo, ut eum aut non vellent aut non possent interficere; secundo quia spiritus eius habebat potestatem conservandi naturam carnis suae, ne a quocumque laesivo inflictu opprimeretur. Quia ergo anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit, ut natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur suam animam posuisse vel voluntarie mortuus esse" *(S. Thomas* 3. p. qu. 47. a. 1). Quarto miraculum cum morte Christi coniunctum in eo fuit, quod morte iam instante magna voce clamare potuerit; etenim vires ad hoc necessariae non naturaliter sed miraculose conservatae aut pro momento redditae fuerunt. „Quia, inquit *Suarez,* robur ad talem vocem emittendam ortum est e virtute operatrice miraculorum, ideo nullum novum miraculum fuit, quod corpus divinitus elevatum ad illam vocem emittendam, statim naturae suae relictum, mortem naturaliter oppetiit. Centurioni autem miraculosa fuit illa rerum successio et coniunctio, quia revera, simpliciter loquendo miraculosa erat, quamvis ipse fortasse non perciperet, in quo esset ratio miraculi constituta" (De myst. vit. Chr. disp. 38. s. 1. n. 10. cf. *S. Thomas* 3. p. q. 47. a. 1. ad 2).

Secundo excipiunt ex verbis Evangelistae: „*Unus mili-* 21
tum latus eius aperuit et continuo exivit sanguis et aqua“ (Ioan. 19, 34): scilicet opponunt ex corpore emortuo, si vulneretur, non exire sanguinem et aquam — *R.* Etsi e corpore mortuo, si vulneretur, naturaliter sanguis et aqua non profluant, adhuc minus tamen hoc de corpore vivo dici potest. Miraculum igitur admittendum esse videtur. Quod confirmatur ex modo, quo Evangelista rem refert, necnon interpretatione SS. Patrum, quippe qui factum illud reipsa tamquam miraculum considerant eique mysticam, i. e. supernaturalem significationem tribuunt; scilicet imprimis illa sanguinis et aquae effusione baptismum et Eucharistiam praefigurari dicunt. Ita *Cyrillus;* „Lancea latus eius perfodiunt, unde cruor aqua mixtus scaturiit, quod eulogiae mysticae et sancti baptismatis imago quaedam erat atque primitiae“ (hom. in Io cap. 12). Quare pervulgata est sententia, ex latere Christi natam esse ecclesiam; ita *Chrysostomus:* „Non sine causa vel casu hi fontes manarunt, sed quia ex hoc utroque Ecclesia est constituta; hoc sciunt initiati, qui per ecclesiam regenerantur et per sanguinem et carnem nutriuntur; hinc initia mysteria sumunt, ut cum ad tremendum poculum accesseris, sic venias, ac si ex hoc latere potaturus esses“ (hom. 85 in Io. n. 3). Similiter *Augustinus* vim ponens in verbo *aperuit*, quo Vulgata utitur pro *perfodit:* „Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus eius percussit aut vulneravit aut quid aliud, sed *aperuit*, ut illis quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta ecclesiae manaverunt sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur“ (tract. 120 in Io. n. 2).

3. p. Christus post mortem suam vivus apparuit vel reipsa resurrexit.

Haec pars, cum pro scopo apologetico principalis sit 22
et gravissima, non minus evidenter tamen, quam praecedentes, demonstratur. Triplici autem testimonio imprimis extra omnem dubitationem ponitur: testimonio discipulorum,

testimonio inimicorum, testimonio eorum, qui fidem susceperunt. Itaque:

1. Probatur testimonio discipulorum. — Inter resurrectionis testes multiplici ratione discipuli eminent. Eorum autem testimonium plane irrefragabile esse iam ex iis constat, quae supra (Thes. 34.) de Evangelistarum auctoritate disputata sunt; imprimis autem et speciali ratione auctoritas Apostolorum in testanda resurrectione his momentis evidenter evincitur:

23. *a) Consideratis adiunctis non solum improbabile, sed impossibile apparet, ut Apostoli sint ipsi decepti; etenim:*

Primo de facto agitur, quod natura sua ad sensus refertur, quod non unus alterve, sed plures, imo semel quingentae personae simul sensibus suis perceperunt. Ex quibus multi eo tempore, quo *S. Paulus* primam suam ad Corinthios epistolam scribebat, inter vivos erant atque tamquam testes oculati de facto testabantur (1. Cor. 15, 6).

Secundo de facto agitur, quod summi prorsus momenti pro iis erat, qui ipsum observarunt, quodque novum et mirabile erat, atque siquidem omnino exspectabatur, non tamen exspectabatur sine multiplici titubatione et dubitatione. Etenim Apostoli credere noluerunt resurrectionem, cum primo eis annuntiabatur: „*Visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista et non crediderunt illis*“ (Luc. 24, 11). Quae incredulitas iterum apparet in discipulis, qui in castellum Emaus pergebant; necnon in Apostolo Thoma, qui noluit credere nisi manibus cicatrices vulnerum Domini palparet (Luc. 24, 36).

24. *Tertio* accedit, quod testibus occasio videndi Christum non semel, sed saepius oblata fuit, quod Christus per quadraginta dies, in diversis locis, in variis adiunctis, nocte et interdiu, in cubiculo et sub divo, diversis personis visus fuerit. Viderunt discipuli Iesum ingredientem et exeuntem, stantem et sedentem, manducantem et in coelum ascendentem. Nec tantum eum viderunt, sed etiam audierunt, modo increpantem incredulitatem, stultitiam et tarditatem cordis eorum, modo exponentem testimonia Scripturarum de

Christo, modo mandantem ea, quae ad Evangelii promulgationem ac ad Ecclesiae constitutionem et gubernationem pertinent. Imo discipulorum unus, qui, ut modo dictum est, ceterorum testimonio stare detrectabat. Christo ipso invitante, digitum misit in locum clavorum, et manum in latus Christi, ac tum rubore suffusus in verba prorupit: „*Dominus meus et Deus meus*“ (cf. Ioh. 20, 20. 28; Matth. 28, 18; Act. 1, 3; Luc. 24, 30. 39. 33. 50 etc.). — Iam vero haec omnia evidenter ostendunt, Apostolos tum rem, de qua agitur, facile cognoscere potuisse, tum etiam eosdem necessario caute et sedulo rem investigasse, evincunt: si itaque his omnibus minime obstantibus, testes resurrectionis decepti esse asserantur, non perspicitur, quo pacto idealismus aut perfectus scepticismus historicus vitari possit.

Excipiunt quidem adversarii *primo* cum *Schenkel, Lotze* **25.** aliisque, discipulos non ipsum in se redivivum Christum sed simulacra a Deo effecta conspexisse. — *R.* Exceptio haec primo adspectu absurda apparet, quia Deum ipsum auctorem facit erroris necessarii, quo Apostoli, discipuli atque tota ecclesia per duo fere milia annorum laborarent. — *Excipiunt secundo alii* cum *Strauss, Renan, Harnack,* eos subiectivas passos esse visiones, quae consecutio fuerint animi commoti nervorumque morte Christi excitatorum. — *R.* Aeque absurda haec exceptio, est, ac prior Etenim primo discipuli, quamvis initio Iesu apparitionibus paulo terrefierent, ut sincere referunt, nunquam tamen quietae mentis deliberationis expertes erant, sedulo omnia observarunt nihilque omiserunt, ut de obiectiva realitate eius, quod oculis observabatur, certi essent. Quod perspicue apparet, si consideratur, quam accurate vel singula apparitionum adiuncta referant. (Cf. Marc. 16, 6 ss.; Luc. 24, 37; Matth. 28, 10. 18—20; Luc. 24, 36 ss.; Ioan. 20, 21—23: Act. 1, 2 ss.; Ioan. 21, 1 ss.). Secundo non semper illam visionem habebant, sed cum intercapedine et loco condicto, ita ut commode reflectere et rem examinare possent. Tertio Christus pluribus simul eodem tempore et loco apparuit; incredibile autem est, ut visiones subiectivae, quae a sub-

iectivis dispositionibus plurimum dependent, in plurimis hominibus eodem instanti exordium sumerent ac eodem instanti finem caperent. Quarto denique ineptum est, quod dicunt discipulos ad visiones intus dispositos fuisse: constat enim discipulos contrariam prorsus dispositionem habuisse: siquidem adeo animo defecerant ac fidem abiecerant, ut nonnisi repetitis apparitionibus Christi et aliquoties nonnisi diversis institutis explorationibus resurrectioni fidem adiungerent.

26. *b) Certissimum etiam est, apostolos noluisse decipere.* Id quoque universim quidem iam supra (Thes. 34.) effectum est, sed propter rei gravitatem quaedam in specie adiungenda sunt. Itaque

Primo id inde elucet, quod historia resurrectionis Christi notas sinceritatis, veracitatis, scientiae auctorum, verbo verae historiae praefert. Ad quod perspiciendum sufficit considerasse modum, quo principes sacerdotum et pharisaei sese habere exhibentur, modum deinde, quo Apostoli et discipuli se gerere narrantur, modum denique, quo mulieres et discipuli ad saniorem mentem redire repraesentantur.

27. *Secundo* idem patefit, si indoles discipulorum necnon conditiones et adiuncta considerentur, in quibus Apostoli post mortem Christi versabantur. Scilicet imprimis Apostoli ac universi Christi discipuli, cum magistrum suum captum, mortis damnatum, cruci affixum mortuumque viderent, summo terrore correpti in abdita cubicula se receperunt, ibique ob metum Iudaeorum foribus clausis manserunt. Num homines talis indolis tam immanem fraudem concipere et intendere potuerunt? Praeterea nemo gratis mendax. Nullum autem commodum, nullum emolumentum discipuli sibi ex sua fraude neque a Deo neque ab hominibus sperare poterant; imo ludibria, persecutiones, passiones, et ipsa mors violenta eis instabat. Dementiae autem signum esset in talibus adiunctis fraudem texere. Deinde nulla spes fortunati exitus eos tenere potuit. Promittere enim sibi nequaquam poterant, se non solum cu-

stodes sed et Iudaeos et Gentiles decipere posse, neque ullos fraudis suae futuros esse proditores, et perfidum opus, ad quod se accincturi essent, ad effectum tum inter Graecos tum inter Iudaeos perducendum esse. Denique absurdum apparet, plures quam quingentos viros et mulieres, depositis omnibus, quibus ab infantia imbuti erant, opinionibus, ac omni religionis sensu, impium ac Deo et hominibus iniuriosum fraudis consilium iniisse.

c) Etsi voluissent, non potuissent tamen decipere; vel 28.
absurdum apparet, discipulos in tam immani fraude exercenda successum habuisse. Considerentur enim, quae in hac hypothesi admittenda essent.

Primo homines non pauci in re gravissima inter se conspirarunt atque bellum contra Deum et homines pararunt, quin tamen vel unus a fraudis proposito unquam revocatus fuerit.

Secundo omnes fabulam, quam venditabant, memoriae ita mandaverunt, ut nec seorsim nec coniunctim interrogati ullam fallaciae suspicionem dederint; ac praeterea paucis diebus eum in modum eam composuerunt, ut nemo vel amicorum vel inimicorum fraudis umbram detexerit.

Tertio improbi isti omni licet in Deum pietate ac in homines benevolentia destituti, sanctissimas tamen morum leges aliis tradiderunt, imo ipsi summam erga Deum pietatem, erga homines caritatem, in perferendis cuiusvis mortis aerumnis ipsaque morte toleranda constantiam ac patientiam et alacritatem prae se tulerunt.

Quarto iidem audacissimi homines fabulam istam non 29.
post multos demum annos in remoto aliquo terrae angulo, quibusdam dumtaxat paucis abscondite et furtim communicaverunt, sed quinquaginta diebus post contumeliosam Christi mortem vix elapsis in urbe Hierosolymitana coram universo populo atque iis ipsis, qui Christum mortis condemnaverunt, palam pronuntiarunt et Iudaeos immanissimi sceleris accusarunt.

Quinto denique fructus huius inauditae fraudis atque audaciae non ignominia fuit et contemptus, sed infinitae

ferme multitudinis ad meliorem vitam conversio, nihil obstantibus hinc diversissimis praeiudiciis, inde scandalo crucis ac humanis terroribus (cf. Stentrup, Apol. th. 24).

30. Quae omnia si considerentur, vel ipsa suspicio fraudis ab Apostolis exercitae penitus absurda apparet; omnia scilicet firmissimam et sincerissimam Apostolorum de resurrectione Christi persuasionem luce manifestiorem reddunt. Quare SS. Patres quoque rationibus adductis similibusve Iudaeos et Gentiles fraudem Apostolorum praetexentes invicte represserunt. Audiatur e. g. *S. Chrysostomus* unam eiusmodi rationem explicans: „Si mortuus fuisset Christus neque resurrexisset, qui fieri potuisset, ut qui, dum superstes esset, ob periculum imminens fugerant, eo iam vita functo, propter illum mille periculis seipsos obiicerent? Ac caeteri quidem omnes fugerunt, Petrus autem etiam cum iuramento ter illum negavit. Et qui ter illum cum iuramento negaverat, et vilis ancillulae fuerat timore perculsus, posteaquam obierat, nobis rebus ipsis volens fidem facere, se suscitatum illum a mortuis vidisse, sic repente mutatus est, ut integrum populum aspernaretur et in medium Iudaeorum theatrum prosiliret diceretque illum, qui crucifixus fuerat et sepultus, a mortuis die tertia surrexisse, atque in coelos ascendisse, neque se mali quidpiam reformidare. Unde igitur factum erat, ut adeo confidens esset? Non aliunde sane, quam ex eo, quod de resurrectione certior factus esset" (Hom. 4. in princip. act. apost. n. 8).

31. *2. Ex inimicorum testimonio.* — Etenim non solum discipuli et amici Iesu, verum inimici quoque, Iudaei et Gentiles de resurrectione eius non obscure testantur. Imprimis enim ipsi custodes sepulchri, milites Romani, de eventibus miraculosis, quos viderant et audiverant, in urbem nuntium attulerunt (Matth. 28, 1—4. 11 ss). Maxime autem ipsi Iudaeorum principes sua agendi ratione manifestissime de vera Christi resurrectione testantur. Etenim cum eorum plurimum interesset, ut fidem resurrectionis convellerent, nihil efficax contra obiicere poterant, sed ea ratione processerunt, qua mala eorum fides manifesto panditur; as-

serentes scilicet, discipulos corpus Christi furatos esse, incohaerenter et inepte processerunt.

a) Scilicet omnem curam adhibuerunt, ut sepulchrum **32.** sedulo et caute ea ratione custodiretur, qua omnis fraus impossibilis redderetur (Matth. 27, 63).

b) Pecunia copiosa data custodes sepulchri corruperunt, ut nuntium spargerent, ipsis dormientibus discipulos corpus Christi furatos esse, non vero animadverterunt, in his apertam ineptiam vel contradictionem contineri. — „Quid est, inquit *Augustinus*, quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilii pietatis, et in profundum versutiae demergeris, ut hoc dicas: dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli eius et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormierunt, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt" (In. ps. 62).

c) Non adeunt, ut res postulabat, sepulchrum neque discipulos de furto commisso neque custodes de neglecta custodia iuridice persequuntur.

d) Cum Apostoli impiam iis Messiae necem publice obiicerent et resurrectionem annuntiarent, eos refellere conati non sunt, sed silentium tantum iis imposuerunt atque aures obturaverunt (Act. 2, 23; 3, 13; 4, 10; 5, 30; 7, 52; 4, 18; 7, 56.). Omnem vero eam curam Apostolos ad silentium compeliendi non ideo adhibuerunt, ne iniqua fraus propagaretur, sed quia populus sermonibus illorum excitaretur ad sanguinem Christi in ipsis vindicandum (Act. 5, 21—28.).

e) Denique confessi sunt, impossibile esse, ut nuntius Apostolorum falsitatis convinceretur (Act. 4, 14, 16). Atqui his profecto principium Iudaeorum testimonium indirectum saltem validissimum continetur.

Excipere solent adversarii cum Celso: „Si suam divinam **33.** potentiam revera innotescere voluit (Christus), oportuit utique, ut se suis adversariis, suo iudici, omnibus omnino ostenderet" (Orig. c. Cels. II, 63). Itaque discipulorum formale testimonium non sufficere contendunt, sed inimi-

corum tamquam testium oculatorum testimonium explicitum requirunt. — *R.* Obiectio talis multipliciter inepta est. Scilicet *primo* falso supponitur, amicorum testimonium ad eventum aliquem probandum numquam sufficere; toties enim sufficit, quoties de auctoritate testium constat. Item *secundo* falso sumitur, nulli inimico Christum apparuisse; etenim Paulo, adhuc Saulo discipulos persequenti apparuit. Qui vero ideo testimonii Paulini vim et efficaciam negant, quia ad fidem Christi conversus est, absurdi sunt atque, quod impossibile et irrationabile est, exigunt; etenim si *S. Paulus* non conversus de resurrectione testatus esset, irrationabiliter egisset atque minus quam nunc fidem mereretur. *Tertio* ratio agendi adversariorum Pharisaeorum etsi non sit formale testimonium, virtuale tamen constituit, quod formali plane aequivalet. *Quarto* arrogantiae simul et stoliditatis signum est. Deo conditiones praescribere, quibus non positis fides ei denegetur; resurrectio autem Christi argumentis sufficientissimis et luculentissimis probata est. *Quinto* denique rationes congruentiae non desunt, propter quas merito Christus inimicis Iudaeis non apparuisse intelligitur; quarum praecipua in eo est, quod hic Christi agendi modus cum revelationis consilio apprime consonat. Deus enim statuit, doctrinam credendam imprimis non singulis immediate communicare, sed aliquibus committere, per quos ceteri edocerentur. Inter doctrinas autem praecipuas est Christi resurrectio. Quare S. Petrus declaravit: „*Hunc Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri non omni populo sed testibus praeordinatis a Deo, nobis . . . Et praecepit nobis praedicare populo et testificari*" (Act. 10. 40—42).

34. *3. Testimonio eorum, qui resurrectionis fidem susceperunt.* — Scilicet de resurrectionis veritate testantur, quotquot Apostolis eorumque successoribus praedicantibus fidem susceperunt. Praecones enim Evangelii resurrectionem annuntiaverunt ut doctrinam, quae principii et fundamenti instar sit ceterarum; quare quicumque Evangelio crediderunt, imprimis resurrectionem certissimam habuerunt adeo-

que nobis testes resurrectionis mediati sunt. Qua fide vero Iudaei resurrectionis testes susceperint, ipsa Scriptura nos edocet (cf. Act. 2, 37; 2, 41; 4, 1—5 ss.). Qua ratione autem Gentium conversio ad fidem de resurrectione Christi testetur eamque supponat, egregie SS. Patres illustrant, ut v. g. *Arnobius et Augustinus.*

Ille de resurrectione agens hunc in modum disserit 35.
„Sed non creditis gesta haec. Sed qui ea conspicati sunt fieri et sub oculis suis viderunt agi, testes optimi, certissimique auctores, et crediderunt haec ipsi, et credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sunt, fortasse quaeritis? Gentes, populi, nationes et incredulum illud genus humanum, quod nisi aperta res esset, et luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus huiusmodi credulitatis suae commodaret assensum. At numquid dicemus, illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quae numquam viderant, vidisse se fingerent: et quae facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis, aut puerili assertione firmarent? cumque possent vobiscum et unanimiter vivere et inoffensas ducere coniunctiones, gratuita susciperent odia et execrabili haberentur in nomine? Quodsi falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est, aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus disiunctae, ventis, coelo convexionibusque dimotae? Asseverationibus illectae sunt nudis, inductae in spes cassas, et in pericula capitis immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt; cum nihil tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suae possit excitare miraculo. Imo quia haec omnia et ab ipso cernebant geri, et ab eius praeconibus, qui per orbem totum missi, beneficia patris munerandis animis hominibusque portabant, veritatis ipsius vi victae, et dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis, membra vobis procucere, et viscera sua lanianda praebere" (Adv. gent. l. 1. n. 54).

36. *Augustinus* vero hunc in modum praeclare argumentatur: „Iam ergo tria sunt incredibilia, quae tamen facta sunt. Incredibile est Christum resurrexisse in carne, et in coelum ascendisse cum carne; incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis persuadere potuisse. Horum trium incredibilium primum nolunt isti, cum quibus agimus, credere; secundum coguntur et cernere, quod non inveniunt, unde sit factum, si non credunt tertium. Resurrectio certe Christi et in coelum cum carne, in qua resurrexit, ascensio toto iam mundo praedicatur et creditur; si credibilis non est, unde toto terrarum orbe iam credita est? Si multi nobiles, sublimes, doeti eam se vidisse dixerunt, et quod viderunt, diffamare curarunt, eis mundum credidisse non mirum; sed istos adhuc credere nolle, perdurum est; si autem, ut verum est, paucis, obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scribentibus credidit mundus, cur pauci obstinatissimi, qui remanserunt, ipsi mundo iam credenti adhuc non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius divinitas seipsa persuasit. Eloquia namque persuadentium, quae dicebant, mira fuerant facta, non verba. Qui enim Christum in carne resurrexisse et cum illa in coelum ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquentibus tantum, sed etiam miritica facientibus signa credebant. Homines quippe, quos unius, vel ut multum duarum linguarum fuisse noverant, repente linguis omnium gentium loquentes audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Christi nomine post quadraginta annos incolumem constitisse; sudaria de corporibus eorum oblata sanandis profuisse languentibus; in via, qua fuerant transituri, positos in ordine innumerabiles morbis variis laborantes, ut ambulantium super eos umbra transiret, continuo salutem solere recipere, et alia multa stupenda in Christi nomine per eos facta, postremo etiam

mortuos resurrexisse cernebant. Quae si ut leguntur gesta esse concedunt, ecce tot incredibilia tribus incredibilibus addimus, et ut credatur unum credibile, quod de carnis resurrectione atque in coelum ascensione dicitur, multorum incredibilium testimonia tanta congerimus, et nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit" (De civ. Dei l. 22. c. 5).

Argumentatio concluditur et resumitur. — Argumentis 37.
expositis luculenter patet, resurrectionem Christi esse factum historicum certissimum, quippe quod testimoniis iis innititur, quae irrefragabilem prorsus auctoritatem habent. Testantur enim de resurrectione testes plurimi atque fide maxime digni, utpote qui plerique tamquam testes oculati immediatam rei notitiam habebant et in quibus omnis possibilitas et voluntas decipiendi plane exclusa apparet. Testantur de resurrectione Christi sua agendi ratione vel ipsi inimici eius. Veritas igitur historica resurrectionis indubia est; sed certo etiam constat de veritate philosophica, quippe quae iam supra (Thes. 26., n. 7) vindicata est. Veritas theologica quoque extra dubitationem posita est, utpote quae ex prima huius thesis parte elucet. Resurrectio itaque Christi, cum maxime stupendum miraculum sit simulque rationem insignis prophetiae eventu completae habeat, fundamentale et certissimum argumentum est, quo divina Christi legatio atque veritas religionis christianae egregie vindicantur. Quare SS. Patres quoque frequenter hoc argumento usi sunt idemque egregie enuclearunt atque illustrarunt. Cuius rei specimen praebet praeclara *S. Chrysostomi* expositio (in Matth. Homil. 89 al. 90 n. 1, 2.), qua summa demonstrationis thesis comprehenditur et aptissime absolvitur.

Primo perpendit inimicorum Iudaeorum agendi ratio- 38.
nem. „Ubique error in se ipsum impingit, ac vel invitus

veritati suffragatur. Perpende igitur. Credere oportuit, mortuum illum esse et sepultum ac resurrexisse: quae omnia inimicorum opera credibilia fiunt. Vide igitur illa verba, quae ista prorsus confirmant: *Recordati sumus, quod impostor ille dixerit adhuc vivens* (mortuus est igitur), *post tres dies resurgam. Iube obsignari sepulchrum* (ergo sepultus est), *ne forte veniant discipuli eius et furentur eum.* Si igitur sepulchrum munitum sit et obsignatum nulla fraus erit? Nulla certo. Ergo certa est resurrectionis demonstratio, ut patet ex iis, quae vos obtenditis. Cum enim obsignatum fuerit sepulchrum, nulla fraus fuit. Si nulla fraus et tamen sepulchrum vacuum repertum est, palam et sine controversia est ipsum resurrexisse. Viden quomodo vel inviti pro veritatis demonstratione pugnent? Tu vero mihi perpende, quam sint discipuli veritatis amantes; quomodo nihil occultent ex iis, quae inimici dixerunt, quantumvis probrosa illa sint. Ecce enim impostorem vocant, neque illud ipsi tacent: id quod etiam illorum crudelitatem demonstrat, quod ne post mortem quidem iram missam fecerint. Illud autem quarere operae pretium fuerit: ubi nempe dixerit. *Post tres dies resurgam.* Neque enim illud clare dictum invenitur; sed Ionae tantum exemplo. Itaque sciebant scelesti Iudaei ea, quae ille dixerat, et sua sponte maligne agebant. Quid ergo Pilatus? *Habetis custodiam, munite sicut scitis. Et muniverunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodia* (27, 65. 66.). Non permittit, ut milites soli obsignent, nam quasi de rebus ipsius edoctus, non ultra cum illis vult agere: sed ut sese ab eis expediat, hoc etiam permittit et ait: Vos ut vultis obsignate, ne alios incusare possitis. Nam si soli milites obsignassent, dicere potuissent, etiamsi id falsum et incredibile fuisset; attamen ut alias impudenter fecerant, dicere potuissent, milites corpus auferendum dedisse, discipulisque ansam praebuisse, ut surrectionem eius configerent; nunc autem, cum ipsi munivissent, hoc dicere non poterant. Viden quomodo nolentes veritatem asserere nitantur? Nam ips-

accesserunt, ipsi petierunt, ipsi obsignarunt cum custodia: ita ut sese mutuo accusent et confutent".

Deinde vero pergens egregie Apostolorum testimonium 39.
declarat: „Atqui quando furati essent in sabbato, et quomodo? Neque enim prodire poterant. Quod si legem praetergressi essent, quomodo ausi fuissent ita timidi accedere? Quomodo persuadere turbae potuissent? quid dixissent, quid fecissent? quo animo pro mortuo stare potuissent? quam exspectantes retributionem, quam mercedem? Cum viventem illum comprehensum viderent, fugerunt; et post mortem audacter pro eo locuturi erant, si non resurrexisset? Quomodo haec cogitari possint? Quod enim nec voluissent nec potuissent resurrectionem, quae non fuisset, fingere hinc palam est. Multa enim illis de resurrectione locutus fuerat, ut ipsi narrabant: *Post tres dies resurgam.* Si ergo non resurrexisset, manifestum est eos, utpote deceptos et a tota gente ob ipsum impugnatos, aedibus et urbibus pulsos, ab illius cultu discessuros fuisse; neque enim voluissent de illo talem opinionem spargere, utpote qui decepti ab illo fuissent, et in extrema pro illo deducti pericula. Quod vero non potuissent, nisi vera resurrectio fuisset, illam simulare, id certe admodum probabile est. In qua re enim fiduciam habuissent? In sermonis gravitate? At omnium imperitissimi erant. In pecuniarum copia? Neque virgam nec calceamenta habebant. In splendore generis? Viles erant ex vilibus orti. In patriae splendore? Ex ignobilibus orti locis erant. In multitudine? Non erant plures quam undecim, in variis dispersi locis. In promissionibus magistri? Nisi resurrexisset, nullam in ipsis fidem habituri erant. Quomodo autem furentem populum sustinuissent? Si namque coryphaeus ipsorum ostiariae mulieris vocem non tulit, et si reliqui illum vinctum videntes dispersi sunt: quomodo in animum induxissent ad extrema orbis accurrere, ut fictum resurrectionis verbum plantarent? Si enim ille adversus mulieris minas non stetit, neque illi ad vinculorum conspectum, quomodo poterant adversus reges et principes et populos stare, ubi gladii, sartagines,

fornaces et mille quotidie mortes, nisi eius, qui resurrexerat, virtute et gratia adiuti fuissent? Talia tantaque signa facta fuerant, et nullum eorum Iudaei sunt reveriti, sed illum crucifixerunt: et illis resurrectionem simpliciter narrantibus crediturі erant? Non ita se res habet, non ita, sed eius, qui resurrexit virtus haec operata est."

Corollarium.

40. *Variae hypotheses adversariorum reiiciuntur.* — Cum in resurrectione Christi maxima insit vis probandi veritatem christianae religionis, varias hypotheses adversarii statuerunt, quibus hoc veritatis christianae fundamentum divellerent. Cum omnes istae hypotheses iam ipsa demonstratione thesis sint exclusae, principaliores tamen his referre expedit tum eruditionis gratia tum imprimis ut perspiciatur, quam futilis sit haec incredulorum impugnatio.

41. *a) Prima hypothesis est,* Iesum non vere sed apparenter tantum mortuum esse ideoque viribus per virtutem unguentorum et iuventutis vigorem brevi recuperatis e sepulchro prodiisse, discipulis apparuisse atque eos consolatum esse. Quam sententiam defenderunt *G. Paulus, Hase, Herder, Gfrörer* aliique (Scheintodhypothese). — Haec hypothesis in prima parte thesis iam exclusa est, ubi certis argumentis demonstratum fuit, Iesum reipsa mortuum esse. Ceterum, si ponatur insuper Iesum mortuum non fuisse, absurdum tamen est sumere, eum tam brevi vires et vigorem recuperasse. Reipsa enim Apostolis in pleno vigore apparuit, cum iis ambulavit eosque per longas instructiones edocuit, et magno gaudio, dulci consolatione, intrepido animo, invincibili constantia replevit. Haec autem in illa hypothesi impossibilia apparent. Quomodo praeterea in eadem hypothesi factum est, ut Christus semimortuus gravem lapidem, quo sepulchrum claudebatur, revolverit, ut custodes eum non comprehenderint, ut Iudaei et Romani liberum eum abire permiserint? Propter has similesve rationes haec

hypothesis communiter relicta est atque ab ipsis Rationalistis exploditur et deridetur.[1])

b) Secunda hypothesis ponit, historiam resurrectionis 12.
non esse nisi fraudem Apostolorum, qui corpus Christi furati sint et deinde resurrectionis nuntium sparserint; quam hypothesin *Reimarus* imprimis defendit et expolivit (Betrugshypothese). — Haec quoque hypothesis in tertia thesis parte exclusa est et statim absurda apparet. In specie autem haec de ea insuper notari possunt. Non explicatur in hac hypothesi, quomodo Apostoli prius timidi et inconstantes et morte Christi penitus depressi tanta subito audacia et tanto zelo incensi fuerint, ut ad mortem usque strenue et intrepide et constanter pro Christo laboraverint et passi sint; praeterea non apparet, quomodo viri tam simplices tam immani fraude innumeros homines decipere potuerint nec quomodo religio tali fraudi innixa mundum renovaverit. Denique maxime pugnat haec hypothesis cum indele sincera et honesta Apostolorum.

c) Tertia denique hypothesis est, Apostolos imaginatione 13
atque enthusiasmo religioso deceptos esse; quam defendunt *Strauss, Renan, Pfleiderer, Keim, Schenkel, Harnack* necnon plerique alii recentiores Rationalistae (Visions- oder Hallucinationstheorie). Ex hac opinione Apostoli fide quidem sincera et vera, sed illusione moti resurrectioni Christi adhaeserunt. Prae amore scilicet et admiratione, quibus in Christum ferebantur, morti eius acquiescere non poterant Quare vaticiniis quoque V. F. excitati resurrectionem ar-

[1]) Bene eam perstringit *Strauss:* „Ein halbtot aus dem Grabe Hervorgekrochener, sich Umherschleichender, der ärztlichen Pflege des Verbandes, der Stärkung und Schonung Bedürftiger und am Ende doch dem Leiden Erliegender konnte auf die Jünger unmöglich den Eindruck des Siegers über Tod und Grab, des Lebensfürsten machen, der ihrem spätern Auftreten zu Grunde lag; ein solches Wiederaufleben hätte den Eindruck, den er im Leben und Tode auf sie gemacht hatte, nur schwächen, denselben höchst elegisch ausklingen lassen, unmöglich aber ihre Trauer in Begeisterung verwandeln, ihre Verehrung zur Anbetung steigern können." (Das Leben Jesu für das deutsche Volk I, 378.)

denter desiderantes et firmiter expectantes halluciationibus decepti sunt et Christi resurrectionem firmissime sibi persuaserunt. Qua fide et persuasione sustentati, intrepidi et constantes resurrectionis praecones evaserunt. Itaque ut loquuntur, fides quidem resurrectionis, non vero resurrectio fidei causa habenda est. — Haec quoque hypothesis aperte falsa est. Etenim *primo* falso fundamento innititur: Apostoli scilicet post mortem Christi resurrectionem eius minime exspectabant. Christus quidem saepe, ut ostensum est, suam resurrectionem praedixerat, verum hanc doctrinam discipuli comprehendisse non videntur. De omnibus valet, quod Ioannes de se ipso et de Petro ad sepulchrum properantibus refert: „*Nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*“ (Ioan. 20, 9). Propter passionem et mortem Christi animo ita deiecti erant, ut resurrectionem credere nollent. Cum mulieres apostolis resurrectionem annuntiarent, „*visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis*“ (Luc. 24, 11). Discipuli quoque euntes Emaus omnem spem amiserant: „*Sperabamus, quia ipse redempturus esset Israel*“ (Luc. 24, 21). Neque cum Christus coram propriis eorum oculis appareret, statim crediderunt, donec manibus eum palparent, vocem eius audirent, cum eo conversarentur (Luc. 24, 36 ss; Matth. 28, 17). Thomas vero non credidit, donec ipsi manus et latus Christi contrectaverat (Ioann. 20, 24 ss.). Eadem diffidentia atque deiectio animi apparet in discipulis quoque, qui Iesum sepelierunt, Ioseph ab Arimathea et Nicodemo, et in piis mulieribus. Illi enim eum in sepulchro ponunt, quasi in aeternum ibi esset remansurus; mulierum vero cura in corpus Iesu ungendum intenta erat, resurrectionem verum nullatenus exspectabant. Maria Magdalene minime de resurrectione cogitavit, ita quidem, ut cum sepulchrum vacuum videret, corpus Christi sublatum, non resuscitatum esse suspicaret; et cum Iesum videret et sibi loquentem audiret, neminem alium nisi hortulanum esse credidit et ab eo, ubi corpus Iesus esset, quaesivit (Marc. 16, 1 ss.; Luc. 24, 1 ss.; Ioann. 20, 13—16). Iam-

vero haec omnia manifesto ostendunt, discipulos Iesu adeo non habuisse vividam resurrectionis exspectationem, ut magna potius diffidentia laborarent, et tam parum enthusiasmo fervuisse, ut penitus potius delecti essent. — *Secundo* hypothesis illa in se quoque impossibilis et absurda apparet. Nunquam enim factum est nec fieri potest, ut homines tali ratione imaginatione et enthusiasmo decipiantur. Etenim de hominibus agitur non dormientibus sed vigilantibus, qui per quadraginta dies Iesum resuscitatum viderunt, eius instructiones audierant, cum eo comederunt, eum tetigerunt, oculis suis in coelum ascendentem viderunt. Non agitur deinde de confusa et transitoria apparitione, sed de visione clara, diuturna, saepe repetita diversis locis diversisque temporibus; de apparitionibus agitur, quarum adiuncta minutissima referuntur, et quae omnem de mente Apostolorum dubitationem dispellunt. Eaedem apparitiones, cum tertia post mortem die inceperant, quadragesima tandem die plane cessant apud omnes, si sola apparitio postea Paulo facta excipiatur. Cessantibus autem apparitionibus fides discipulorum non desinit, sed potius crescit ita, ut mediis in tormentis summisque difficultatibus ad mortem usque constantes manserint. Iamvero haec omnia a falsis visionibus plane aliena sunt: falsae enim visiones innumeros homines eadem prorsus ratione non afficiunt; praeterea non exhibent nisi ea, quibus aliquis occupatus et excitatus est, non autem contraria eorum, quae in mente habet; deinde non statim sed gradatim evanescunt, non tam constantes sunt neque tantum animum inspirare neque tales fructus producere valent; denique in aliquibus saltem ex tam multis corrigi possunt, quod quidem apud discipulos facillimum fuisset, si cadaver Christi ostensum esset. Itaque nullatenus transformatio, quam sive in Apostolis sive in universo mundo fides resurrectionis effecit, per hypothesim, de qua agitur, explicatur, utpote, quae aeque absurda apparet quam priores.

Scholion.

44. *Difficultates quaedam reliquae solvuntur.* — Cum pleraeque difficultes iam in ipsa demonstratione expeditae sint, paucae solum commemorandae restant.

1. In favorem ultimae hypothesis obiiciunt, plura ab ipsis Evangelistis referri, quae non realem sed apparentem Christi resurrectionem fuisse ostendant. Ipsi Apostoli v. g. *se spiritum videre* existimarunt (Luc. 24, 37.); discipuli in castellum Emaus euntes Iesum nonnisi in fractione panis cognoverunt, et statim „*ipse* (Iesus) *evanuit ex oculis eorum*" (ib. 31.); in coenaculum ianuis clausis intravit (Ioan. 20, 19); Maria Magdalene eum tangere non potuit (ib. 17.); denique sub diversis formis hortulani, peregrini alïisque apparuit. — *R.* Apostoli admiratione simul et timore correpti, cum Christus subito ianuis clausis appareret, per momentum se spiritum videre existimaverunt; sed statim de veritate rei certiores facti sunt, cum Christus non solum videndum, sed manibus contrectandum se exhiberet. Item discipuli Emaus pergentes initio Iesum non cognoverunt, quia formam corporis sive gloriosi sive peregrini induerat; postea autem eum agnoverunt, et tam certi dein de Iesu resurrectione erant, ut sanguinem et vitam pro ipso fuderint, quare irrefragabile potius est eorum pro resurrectione testimonium. Quod Maria Magdalene corpus Christi tangere non potuit, non probat sane, corpus Christi reale non fuisse; aliae enim mulieres „*accesserunt et tenuerunt pedes eius*" et Apostoli manus eius et pedes contrectaverunt (Matth. 28, 9; Luc. 24, 39. 40; Ioan. 20, 27). Quod denique Iesus ianuis clausis coenaculum ingressus est, quod subito evanuit coram oculis discipulorum, quod variis formis hortulani, peregrini apparuit: haec omnia resurrectionis veritatem non infirmant, verum ostendunt, corpus eius post resurrectionem fuisse gloriosum et dotibus supernaturalibus insignitum.

45. *2. Quidam terrae motu, quem Evangelista* (Matth. 28, 2) *refert, ad difficultatem contra resurrectionem formandam abusi sunt; scilicet dixerunt terrae motu corpus Christi absorptum*

esse indeque opinionem resurrectionis originem ducere. — Verum inane hoc figmentum esse statim apparet. Si enim ita res haberet, discipuli habendi essent deceptores, Iudaei autem plane stolidi, utpote qui, sepulchrum apertum et vacuum coram intuentes, nullam scissurae rationem duxerunt, qua sola indicata melius testes resurrectionis repressissent, quam ceteris mediis omnibus, quae adhibuerunt et adhibere potuerunt. Deinde si Matthaei testimonium valet, cum de terrae motu refert, cur fidem eidem resurrectionem referenti negant? Denique si corpus assumptum est terrae hiatu, cur non etiam linteamina et sudaria eodem disparuerunt, quae tamen in sepulchro inventa sunt?

3. Denique obiiciunt quasdam apparentes antilogias, 46.
quae in evangelica resurrectionis narratione occurrunt. — Suppositis iis, quae iam supra (th. 34 n. 20 ss.) de antilogiis evangeliorum in genere notata sunt, respondetur, antilogias in relatione adiunctorum levium confirmare potius veritatem facti quoad substantiam. Nam si plures scriptores singuli per se et non ex conventione aliquod factum narrant, unusquisque pro ratione, qua ipsum vidit aut audivit, ipsum repraesentabit; atque ita fiet, ut adiunctorum, quae eorum aliquem gravius afficiebant et ideo primo velut loco ab eo ponuntur, nullam mentionem alius faciat. Si autem praeterea de facto agitur valde extraordinario, quod stuporem animi atque admirationem sponte rapit, difficulter continget, ut nullus in percipienda eventuum atque adiunctorum consequentia deprehendatur defectus; atque ita vix fiet, ut mere ordine historico res referatur. Itaque ponatur, Evangelistas non in omnibus facti narrati adiunctis consentire: ex eo tamen nullum argumentum contra veritatem ipsius facti desumi potest. Imo haec potius multo certior redditur, cum dissensio, qualiscunque ea est, luce meridiana clarius demonstret, nullam inter eos conventionem locum habuisse. At antilogiae, de quibus agitur, non verae, sed apparentes dumtaxat sunt; quod quidem patet, si haec considerentur: Non negat unus, quod alter affirmat, sed potius unus ea refert, quae alter omittit; aliquoties, cum

contradictio esse videtur, non de iisdem personis loquuntur; denique alio ordine alii hinc inde eventum narrant. In specie ipsis adversariis, ut v. g. G. Paulus, concedentibus considerandum est, mulieres non semper omnes simul mansisse neque omnia eas simul vidisse. Ceterum de his antilogiis fuse theologia biblica tractat. (cf. *Patrizi*, De evangeliis l. 3. disc. 53.)

Articulus quintus.

De vaticiniis Christi.

Thesis 41. Ex vaticiniis quoque, quorum Christus est auctor, divina eius legatio validissime confirmatur.

Cf. Hettinger, p. 326 ss. — Ottiger, I, 749 ss. — Reinhold, p. 205 ss. — Schmid, Christus als Prophet 1892.

Declaratio.

1. *1. Argumentum thesis definitur.* — Vaticinium sive prophetia alterum est principale criterium, quo divina alicuius hominis legatio vel coelestis alicuius religionis origo certissime cognoscitur. Iamvero hoc criterio considerato divina Christi legatio et veritas religionis christianae novo et egregio veritatis splendore refulgent. Quantopere enim in munere prophetico Christus eminuerit, Scriptura declarat cum dicit: *Quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam*" (Luc. 7, 16). Revera Christus sicut in miraculis patrandis, ita in prophetiis quoque emittendis prae omnibus aliis plane excelluit. Etenim innumera fere vaticinia emisit; de rebus futuris eadem facilitate, simplicitate, certitudine, claritate loquitur sicut de praesentibus; eadem animi tranquilitate quoque, qua stupenda miracula patravit, eventus futuros miros, insignes, inexspectatos praedixit; prae ipso nullum apparet discrimen inter praeteritum, praesens, futurum; futura praedicere ipsi natura est; quare sicut miracula divinam eius potestatem,

ita vaticinia divinam eius scientiam manifeste patefaciunt. Cum igitur plurima in evangeliis exstent vaticinia, in praesenti thesi tria eligere et exponere sufficit, quorum unumquodque seriem proprie praedictionum complectitur. Primum est de passione et morte sua, alterum de apostolorum praedicatione et aerumnis necnon de ecclesiae propagatione et conservatione, tertium de ruina templi et civitatis. Singula autem ista vaticinia in singulis partibus ita exponuntur, ut primo veritas eorum historica, dein veritas philosophica consideretur. Quod enim veritatem theologicam singulorum attinet, eam, cum sit semper eadem, singillatim quoad diversa tractare non oportet, sed in genere quaedam praenotare sufficit.

2. De veritate theologica vaticinioram Christi. — De hac veritate iam supra pluribus dictum est (Thes. 33. n. 5); quibus suppositis haec insuper notare satis est: 2.

a) Imprimis de veritate theologica vaticiniorum Christi indirecte constat, quia plerumque nullus alius eorum rationabilis finis exstat, praesertim eorum, quae statim postea eventu comprobata sunt.

b) Praeterea eadem manifesta est ex verbis Christi, quibus ad opera sua provocat, ut divinam suam missionem probet: *„Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me“* (Ioan. 5, 36). Etenim operibus illis non tantum miracula stricte dicta, sed prophetiae quoque, utpote opera supernaturalia et quasi species quaedam miraculorum, comprehenduntur.

c) Denique ut supra (l. c.) iam notatum est, ad aliquod vaticinium tamquam ad certum divinae suae missionis documentum diserte provocat. Proditionem enim Iudae praedicens ait: *„Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum;“* (Ioan. 13, 19.) i. e. quia Messias sum et Dei Filius; iisdem enim verbis *quia ego sum* alibi quoque (Ioan. 8, 24) utitur, ubi divinam suam missionem inculcat.

Demonstratio.

I. p. Vaticinium Christi de passione sua et morte exponitur.

Assertio prima: Certa est veritas historica huius vaticinii.

3. De veritate historica cuiusvis vaticinii certo constat, si tum praedictio ipsa, tum eventus quoque eiusque conformitas cum ipsa praedictione certa sunt; atqui utrumque certo constat de vaticino, quo Christus passionem suam et mortem praedixit; ergo certa est eius veritas historica. *Minor* facile probatur.

1. Certa est ipsa praedictio. — Revera Evangelia iteratis vicibus testantur, Christum passionem suam et mortem non solum in genere, sed in specie prorsus et cum peculiaribus adiunctis clare et determinate praedixisse.

a) Clare et determinate passionem suam et mortem pluries in specie praedixit. Huc pertinent plura evangeliorum testimonia, quae supra (th. 40. n. 7.) iam adducta sunt. Alia autem insuper exstant, quae rem evidentem prorsus reddunt. Ita legitur Matth. 20, 17—19: „*Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.*“ Marc. 10, 32—34: „*Et assumens iterum duodecim coepit illis dicere, quae essent ei eventura: Quia ecce ascendimus Ierosolymam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus et illudent ei et conspuent eum et flagellabunt eum, et interficient eum et tertia die resurget.*“ — Luc. 18, 31—33: „*Assumpsit autem Iesus duodecim et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur et flagellabitur et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum et tertia die resurget.*“

4. b) Circumstantiam proditionis Iudae clare et distincte non semel praedixit, ut in diversis evangeliorum locis le-

gitur; Ioan. 13, 21: *„Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.“* 27: *„Quod facis, fac citius“*, ita Iesus Iudam alloquitur. — Matth. 26, 21: *„Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.“* 25: *„Respondens autem Iudas, qui tradidit eum dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.“*

c) Trinam Petri negationem quoque claris et distinctis verbis Christus praenuntiavit. Matth. 26, 34: *„Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.“* Marc. 14, 30: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam vocem gallus bis dederit ter me es negaturus.“* Animadvertendum est nullam contradictionem esse inter utrumque evangelistam, cum unus tempus determinet dicens: *antequam gallus cantet,* alter vero verbis: *priusquam vocem gallus bis dederit;* constat enim gallum bis cantare nocte, semel media nocte et item sub aurora. Secundum autem morem loquendi, si de galli cantu simpliciter sermo est, intelligitur cantus matutinus. Uterque igitur evangelista de hoc secundo cantu intelligendus est. — Vel alia quoque ratione conformitas inter evangelistas intelligi potest; scilicet illud „cantet“ apud Matthaeum sumi potest: priusquam cantum absolverit; graece enim dicitur: πριν ἀλέκτορα φωνῆσαι: Aoristus enim, ut notum est, denotat illam actionem iam fuisse vel non fuisse absolutam, cum altera accideret.

2. Constat etiam de eventu eiusque cum praedictione conformitate. — Revera omnia illa accuratissime evenisse, prout a Iesu praedicta sunt, evangelia clare testantur. 5.

a) Non enim solum reipsa passus et mortuus est, sed minutissimae quoque circumstantiae passionis et mortis praedictae evenerunt. Sic v. g. non solum milites Romani (Matth. 27, 30.) sed etiam Iudaei (Matth. 26, 67) eum conspuerunt. Quantopere vero imprimis a militibus Romanis illusus sit, ea declarant, quae leguntur Matth. 27, 28 ss.; *„Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius et arundinem in dextra eius. Et genu flexo ante eum illu-*

debant ei dicentes, Ave rex Iudaeorum." Ab Herode quoque ludibrio habitus est. (Luc. 23, 11, 12.)

b) Praedictioni quoque de Iudae proditione atque de trina Petri negatione eventus ad amussim respondit. Sic Petrus ter omnino ante galli cantum Iesum negavit. (cf. Matth. 26, 69—75; Marc. 14, 67 ss.; Luc. 22, 55—61; Ioan. 18, 17—27.)

Assertio secunda: Veritas philosophica quoque huius prophetiae certa est.

6. *1. Hoc patet quoad passionem et mortem in specie praedictam.* — Etsi enim Iesus propter odium, quo Pharisaei et Scribae adversus eum flagrabant, naturaliter coniicere poterat, se ab illis forte occisum iri; speciem tamen et circumstantias passionis et mortis naturaliter praescire non potuit; imo nec ipsam mortem violentam in genere sibi instare, plane certus esse naturaliter potuit. Etenim si res prae naturali humana cognitione spectetur, violentae Iesu morti atque imprimis iudiciali ad mortem condemnationi obstare videbatur populi Iudaici favor, quo summo fruebatur. Quod quidem patet tum ex triumphali in urbem ingressu (Matth. 21, 8—11; Luc. 19, 35 ss.; Ioan. 12, 12 ss.) tum ex eo, quod magnae eum turbae sequebantur atque regem constituere volebant (Matth. 26, 5) tum ex eo, quod principes sacerdotum eum nolebant occidere in die festo, ne tumultus in populo fieret. Praeterea Iesus nec procuratorem Romanum Pilatum sibi infensum habuit; imo hic eum morti tradere diu recusavit. Itaque si iam concedatur, quod proprie concedendum non est, Iesum violentam suam mortem naturaliter praesagire potuisse, naturali tamen cognitione rem consideranti ipsi probabilius videri debuit, a Iudaeis se, ut postea Stephanum, tumultuario potius et illegitimo modo occisum, quam ad mortem iudiciali modo condemnatum iri. Minime autem praeter alia adiuncta Iesus naturaliter praevidere potuit, se conspuendum, flagellatum, crucifixum iri a militibus Romanis.

7. *Excipiunt contra* Iesum hanc suam futurae passionis et mortis cognitionem ex vaticiniis messianicis hausisse. — —

R. Hac suppositione facta verus erat Messias atque se ut talem cognoscebat ideoque iterum ad divinam eius missionem et supernaturalem cognitionem concluditur. Praeterea Iesus passionem suam et mortem multo accuratius praedixit, quam in vaticiniis messianicis continetur.

8. *2. Neque Iudae proditio naturaliter a Iesu praesciri potuit.* — Quamvis enim Iudas avaritiae vitio infectus esset, adeo perversus tamen non videbatur, ut vel infensissimis inimicis Iesum tradere vellet. Quare ceteri Apostoli huius futurae proditionis neque suspicionem habebant; secus Christum de proditore loquentem non anxie interrogassent: „*Numquid ego sum Domine?*“ (Matth. 26, 22.) Praeterea nisi consilium Iudae plane secretum fuisset, eam audaciam et confidentiam sane vir non habuisset, ut cum Iesu atque Apostolis amice ultimae coenae accumberet. Denique neque tunc Iudae consilium iam plane perfectum et absolutum erat; nam postea demum cum inimicis Iesu egit atque cum ipsis de proditione convenit.

9. *Excipiunt* aliqui, Christum, si Iudae proditionem praevidisset, eundem in sua societate atque munere ipsi commisso tolerare non potuisse; neque enim herum vel magistrum famulo vel discipulo praebere posse furandi occasionem. — *R.* Hac argumentatione, si quid valeret, illud quoque evinceretur, Deum omnem hominibus furandi occasionem auferre debere, quod certo falsum est. Videlicet Deus vel Christus ut provisor generalis omnes quidem, ut recte agant, obligat et urget, abusum tamen libertatis non impedit; herus autem vel alius homo, cui aliquorum specialis cura comissa est, omnem libertatis abusum, quantum potest impedire debet, si ratio specialis contrarium non suadeat. Ceterum ipsi hero vel alii praeposito humano aliquando vitio non imputatur, si non omnem peccandi occasionem suis adimat. Itaque Christus illam Iudae proditionem non impedivit, quia in redemptionem hominum et in gloriam Dei, sicuti omne malum, ordinari potuit.

10. *3. Certum etiam est, trinam Petri negationem a Iesu naturaliter praevideri non potuisse.* — Etsi enim Petrus

fuerit animi inconstantis et indolis sanguineae, fuit tamen etiam Iesu devotissimus et insuper animum audacem ostendit adeo, ut in horto gladio evaginato militem paene occiderit. Quare ipse Petrus praedictionem Christi incredibilem habuit atque protestatus est, se potius moriturum esse, quam ut Christum dilectissimum magistrum negaret. Insuper naturali sagacitate ex Petri inconstantia cognita nullatenus neque tempus neque numerus i. e. trina negatio ante galli cantum facta cognosci poterat.

11. *Excipiunt Strauss aliique,* numero ternario non significari nisi numerum quemcunque indeterminatum ideoque minus miram apparere illam praedictionem. — *R.* Exceptio ista merum figmentum est; etenim Evangelistae diligenter notant, negatio trinae praedictae negationem trinam reipsa successisse. (cf. Marc. 14, 72; Matth. 26, 75; Ioan. 13, 38.)

Excipiunt secundo vaticinia relata sicuti et alia esse vaticinia post eventum conficta. — *R.* Obiectio iam ideo futilis esse cognoscitur, quia cum veracitate evangelistarum pugnat; haec autem evidens est tamque certis argumentis demonstratur, ut vel a plerisque rationalistis tamquam indubia concedatur.

2. p. Vaticinium Christi de futuris discipulorum et ecclesiae fatis declaratur.

Assertio prima: Certo constat de historica huius vaticinii veritate.

12. *1. Certa est ipsa praedictio.* — Evangeliis enim clare testantibus Christus tum Apostolorum suorum labores et passiones, tum ecclesiae propagationem perspicuis verbis accurate praedixit. Itaque

a) Christus praedixit Apostolos sibi testes fore et evangelium annuntiaturos esse usque ad fines terrae: *„Et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et in Samaria et usque ad ultimum terrae“* (Act. 1, 8.) *„Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi“* (Matth. 28, 20). *„Euntes*

in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae" (Marc. 16, 15).

b) Praedixit passiones et persecutiones, quas Apostoli 13.
pro eius nomine sustinere debuerunt: „*Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus . . . Et eritis odio omnibus propter nomen meum*" (Matth. 10, 17. ss.; cf. Luc. 21, 12; Ioan 16, 2). Simul autem praedixit constantem animum Apostolos servaturos esse atque ea sapientia quoque insignitos fore, quae omnem adversariorum sapientiam superatura sit: „*Ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodam respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*" (Luc, 21, 14. 15; cfr. Matth. 10, 18).

c) Denique praedixit Christus gentes convertendas esse, 14.
evangelium suum per universum orbem annuntiatum et propagatum iri, Ecclesiam suam quamvis obnitentibus mundi et inferni potestatibus usque ad mundi finem permansuram esse: „*Et venient ab oriente et ab occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei*" (Luc. 13. 29). „*Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio*" (Matth. 24, 14). „*Quoniam sic scriptum est et sic oportebat . . . praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes*" (Luc. 24, 46. 47). „*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam*" (Matth. 16, 19). *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*" (Matth. 28, 20). Huc pertinent alii quoque Christi sermones, quibus allegorice vel in parabolis futuram suae ecclesiae propagationem declaravit, imprimis vero parabolae de fermento (Matth. 13, 33 ss.) et de grano sinapis: „*Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut vo-*

lucres coeli veniant et habitent in ramis eius" (Matth. 13, 31). Denique huc referendae sunt etiam illae prophetiae, quibus Christus abundantes passionis et mortis suae fructus praedixit: „*Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*" (Ioan. 12, 23). „*Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat,* ita addit Evangelista, *significans, qua morte esset moriturus*" (ibid. 31).

15. *2. Certo constat his praedictionibus eventus accurate respondisse.* — Revera

a) Apostoli iam Christo testes exstiterunt atque evangelium annuntiarunt usque ad fines terrae; quod tum evangelia tum Actus Apostolorum, tum traditio et historia testantur. Mox enim post ascensionem Domini opus suum aggressi sunt. „*Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis*" (Marc. 16, 20). Laboribus vero eorum fructus immensus respondit. Accepto scilicet Spiritu Sancto Christum primo annuntiant in media urbe Hierosolymitana, non concivibus solis, sed iudaeis ex omni natione ad festum celebrandum confluentibus (Act. 2. 5). Fere octo milia hominum ad fidem in Christum convertuntur. In dies crescit discipulorum numerus; plures quoque sacerdotum et seniorum fidem amplectuntur (Act. 4. 4 ss.). Mox vero persecutionis furor exoritur, quo tamen minime obstante et numero et fervore fideles augentur. Cum autem discipuli Hierosolyma discedere coguntur, in omnibus locis, per quae transeunt, Evangelium annuntiant. Philippus diaconus Samariam venit (Act. 8), ubi plurimi cives Christo se adiungunt et baptizati in fide confirmantur prodigiis, quae Petrus et Ioannes supervenientes patrant. Qua ratione primis Ecclesiae fundamentis iactis ex ipso obstinatissimo Iudaeorum genere Christus sibi Apostolum deligit Paulum, cui revelat secretum illud sapientiae suae de Iudaeorum reprobatione

et gentium vocatione (Act. 9). Atque eodem fere tempore Petrus coelesti visione edoctus, Cornelio, centurioni romano, aliisque ethnicis fidem et salutis spem annuntiat (Act. 10). Transacto demum tempore, quod Iudaeorum obstinationi vincendae dandum erat, in omnes gentes Apostoli disperguntur, Christi nomen annuntiantes: Petrus in priore epistola sua Pontum commemorat, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, Asiam. Paulus ad Romanos scribens testatur (15, 19.) se a Ierusalem usque ad Illyricum per circuitum evangelium Christi implantasse; complectebatur autem Illyricum tunc temporis Asiam minorem, Palaestinam, Syriam, Thraciam, Macedoniam aliasque provincias. Neque dubitat Paulus ad Apostolos Christi referre illud Psalmi: *„In omnem terram exiit sonus eorum et in fines orbis verba eorum."* Praeterea de fructu apostolicae praedicationis agens ad Colossenses haec scribit: *„Evangelium pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut in vobis ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate"* (1, 6). Deinde constante traditione docemur, Thomam Apostolum Indiis evangelium praedicasse et ceteros etiam Apostolos ad remotissimas terrae regiones Evangelii testes pervenisse (cfr. Gregor. Naz. or. 25). Uno verbo: quadraginta annorum, qui post Christi mortem fluxerant, spatio christianam religionem per orbem diffusam esse non solum ex christiana traditione constat, sed ex Suetonii quoque et Taciti testimoniis, quae supra (th. 35. n. 10.) relata sunt, recte colligitur. Reipsa igitur, ut Christus praedixit, Apostoli ipsi testes extiterunt usque ad fines terrae sc. tunc notae.

b) Accurate quoque altera praedictio impleta est: sci- **16.**
licet Apostoli et discipuli Christi atroces cuiusvis generis persecutiones et passiones pro Christo sustinuerunt. In omnibus autem miram animi constantiam servarunt, nec ulla re a praedicando evangelio Christi impediri potuerunt. De quibus iam Actus Apostolorum luculenter testantur cc. 4 5. 6. 12. 16. 22. ss. ubi narrantur Stephani martyrium, persecutio Ecclesiae ab Herode Agrippa intentata,

captivitas et passio Pauli aliaque plura. Imo traditione testante omnes Apostoli, uno Ioanne excepto, crudelem pro Christo mortem vel martyrium subierunt, cum ipse Ioannes a cruenta morte solum per miraculum praeservaretur.

17 c) Denique ad amussim impleta est ea quoque praedictio, quam Christus de propagatione et conservatione ecclesiae fecit. De progressu ecclesiae iam Apostolorum tempore facto supra dictum est. Apostolis autem mortuis maiora adhuc in dies incrementa cepit. Sub eorum enim discipulis regio vix reperitur, quae religionis christianae notitia caruerit. *Iustinus Martyr* (Dial. cum Tryph. n. 117.) fidelibus iam adnumerat plures e ferocissimis nationibus et gentibus vagabundis, quae plaustris cum sua familia vectae per diversa errabant loca, nulla certa statione commorantes. *Iraeneus* (Adv. haer. l. 1. c. 3.) in catalogo ecclesiarum recenset Germaniam, Hispaniam, Galliam, Aegyptum, Lybiam eodem fidei lumine illustratas. *Tertullianus* deinceps et *Origenes* novos adiungunt fidei progressus, nempe in Mauritania, insulis britannicis, Sarmatia, Dacia, Scythia, Indiis (Tertull. Contr. Iud. c. 7; Apol. c. 37; Origen. Contr. Cels. l. 1.). Paullo post *Arnobius* identidem similia habet, ut puta adv. gent. l. 2. c. 12. gentes exhibet populos ac moribus inter se dissimillimas nationes, quae mente una ad unius credulitatis assensum concurrerint. Aetate vero Athanasii (Ep. syn.) et Chrysostomi (in 1. Cor. hom. 6.) pro explorato omnes habent, Ecclesiam Christi in omnes terras a sole collustratas dilatatam esse. Nihilominus notum est, plurimas nationes barbaras, quae in Romanum imperium irrumpebant, quinto saeculo Ecclesiae adiunctas esse, ad eandem accessisse saeculo septimo Anglos residuos, saeculo decimo Polonos, Moscovitas, Borussos, Bohemos et Hungaros. Inde vero ad nostros usque dies Ecclesiam continuo adhuc incrementa capere atque mediis in quibusvis impedimentis et persecutionibus sibi et Sponso suo divino magis magisque orbem terrarum subiicere, infra ex professo exponendum venit. In dies igitur

illustrius splendebant verba Christi: „*Ego autem si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum;*“ (Io. 12, 32) atque cum Ecclesiae maximae difficultates superandae et atroces insectationes fere semper sustinendae essent, illa alia quoque: „*Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.*“ (Matth. 16, 18.)

Assertio secunda: De philosophica quoque huius vaticinii veritate certo constat.

Veritas huius assertionis facile elucet, dummodo even- 18.
tus praedicti in se paulo accuratius considerentur; etenim tales prorsus sunt, quorum praedictio nec scientiae humanae vel diabolicae, nec casui vel coniecturae adscribi ullomodo possit. Re enim vera

1. Id patet de praedictionibus, quae Apostolorum praedicationem, labores, passiones, persecutiones respiciunt. — Haec scilicet omnia simul a nulla creata intelligentia coniici nedum certo praevideri potuerunt. Etsi enim Christus propter odium Iudaeorum naturaliter coniicere poterat, discipulis suis sicuti sibimet ipsi ex parte Iudaeorum insectationes et persecutiones sustinendas fore, nulla tamen probabili ratione suspicare potuit, discipulos in omnibus illis laboribus passionibus, persecutionibus infractum animum esse servaturos; imo naturaliter oppositum prorsus expectandum erat, consideratis scilicet eorum timore, pusillanimitate, ignavia, quae in passione Christi ostenderunt. Omnes enim capto Domino collapso animo aufugerunt; imo Petrus, qui omnium audacissimus videbatur, ancillae timore perterritus ter Christum negavit. Itaque coniectura ab illa Christi praedictione prorsus exclusa est. Neque vero magis impletio eiusdem casui tribui potest; etenim eventus praedicti tum seriem actuum liberorum complectuntur, tum non una ratione vires humanas moraliter saltem excedunt, tum adiuncta quoque eorundem praedicta sunt, quae physicam cuiusvis creaturae potentiam prorsus excedunt: miracula scilicet ab Apostolis patrata.

19. *Excipiunt* Rationalistae ex Veteris Foederis vaticiniis, quibus praedicitur ab Hierosolyma novam religionem processuram esse, cui totus mundus subiiciendus sit; Christum scilicet inde suam illam praescientiam haurire potuisse. — *R.* Obiectio non uno capite absurda est atque in ipsos adversarios inverti potest. Primo enim differtur explicatio ad vaticinia V. T.; quomodo igitur haec Rationalistae explicabunt? Deinde quomodo Christus scire potuit, vaticinia ista per se atque per Apostolos suos implenda fore? Naturaliter quidem haec scire nequivit.

20. *2. Manifesta quoque est veritas philosophica alterius vaticinii, de propagatione et conservatione Ecclesiae.* — Revera enim talis tantique eventus praedictio absurde prorsus sive naturali cognitioni, sive casui adscriberetur. De eventu scilicet agitur, qui per multa saecula durat, qui infinitam actuum liberorum seriem complectitur, cuius tempore praedictionis nulla spes affulgebat, qui inclinationibus hominum plane adversatur, qui vires creatas multipliciter excedit: quippe in quo infinita sapientia et potentia admodum resplendet. Egregia haec et pulcherrima oratione exponit s. *Chrysostomus* in opusculo: Quod Christus est Deus contra Iudaeos et Gentiles cc. 12. et ss. Praeclaram expositionem, qua huius vaticinii insignis vis mire elucet, secundum diversa argumenta distinctam ex integro referre expedit. Itaque Chrysostomus potissimum propagationem et conservationem Ecclesiae divinae tantum potentiae opus esse ostendit, unde sponte recteque concludit praedictionem eiusdem divinitus tantum fieri potuisse.

21. *a) Primo argumentatur ex magnitudine vel excellentia effectus praedicti.* — „Quid igitur dixit et orbe fere toto in impietate detento praedixit? *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Examina hoc dictum, ut libet, et veritatem eius refulgentem videbis. Non enim illud solum mirabile, quod eam in universo orbe aedificaverit, sed quod invictam fecerit et tot agitatam bellis invictam. Illud enim: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam,* pericula sunt,

quae in infernum deducunt. Vidistine praedictionis veritatem? Vidistine eventus robur? Vidistine verba rebus ipsis lucentia et vim insuperabilem omnia nullo negotio facientem. Etsi enim breve dictum sit illud: *Aedificabo Ecclesiam meam*, ne simpliciter praetereas, sed in mente revolve, et cogita, quantum sit totum orbem tam brevi tempore ecclesiis replevisse, tantas convertisse gentes, populis persuasisse, ut paternis solutis legibus radicatam consuetudinem evellerent, voluptatis tyrannidem, nequitiae vim ceu pulverem eiicerent, aras, templa, idola, mysteria, profanas solemnitates impurumque nidorem quasi fumum quendam delerent: ubique altaria excitarent, in regione romanorum, persarum, scytharum maurorum, indorum: quid dico? vel extra orbem nostrum. Nam et Britannicae insulae, quae extra hoc mare sitae sunt et in ipso oceano, vim verbi senserunt; illic enim ecclesiae et altaria erecta fuere. Verbum illud, quod tunc ille protulit, in omnium animis plantatum est, per omnium ora fertur, et terra, ut ita dicam, universa spinis repleta emundata est, ager purus effectus est, pietatis semina suscepit. Magna sane res est, magna inquam, imo summae magnitudinis et divinae virtutis argumentum: nemine turbas movente, pace summa, licet multi adiuvarent et nemo reluctaretur, potuisse tantum orbem confestim a prava tanti temporis consuetudine liberari, in aliam vero consuetudinem longe difficiliorum traduci Neque tantum consuetudo adversabatur, sed etiam voluptas detinebat: duo tyrannici obices, nam quae a multorum annorum curriculo a patribus, avis, abavis, maioribus, philosophis et rethoribus acceperant, ea respuere, quae res admodum difficilis erat, docebantur et novam accipere consuetudinem eamque quod gravius erat, valde duram et molestam. Abduxit a voluptate et induxit in ieiunium; abduxit ab amore pecuniarum et induxit in paupertatem; abduxit a lascivia et induxit in temperantiam; abduxit ab ira et induxit in mansuetudinem; abduxit ab invidia et induxit in benignitatem; abduxit a via lata et spatiosa et induxit in angustam, arctam et praeruptam, induxit, in-

quam, assuetos viae latae. Non enim alios assumpsit homines extra mundum et hanc consuetudinem viventes, sed eos ipsos, qui iam in ea computruerant et luto molliores erant, hos iussit in angusta, aspera et arcta incedere via et id persuasit eis. Quot hominibus id persuasit? non uni, vel decem, vel viginti, vel centum hominibus sed omnibus ferme sub sole habitantibus."

22. *b) Deinde instrumenta considerat, quibus ille effectus productus est, eorumque naturalem infirmitatem perpendit:* „Quorum opera id persuasit? undecim opera hominum, illiteratorum, idiotarum, ineloquentium, ignobilium, pauperum, patria, opum facultatibus, robore corporis, gloriae praecellentia, generis splendore, vi verborum, rhetorices gravitate, scientiae commendatione carentium; sed piscatorum, tabernaculorum opificum, qui diversae linguae erant. Nec eadem illi qua auditores lingua instructi erant, sed peregrina atque ab aliis omnibus diversa lingua utebantur nimirum hebraica. Per hos hanc ecclesiam aedificavit, quae a finibus usque ad fines terrae extenditur."

23 *c) Obstacula ponderat, quae undique effectui praedicto opponebantur:* — „Neque hoc solum mirabile est: sed quod idiotae, pauperes, pauci, ignobiles, illiterati ac viles, alterius linguae despicabilesque homines, quibus totius orbis emendatio commissa fuerat, iussumque fuerat ad difficiliora ipsum traducere, non illud in pace fecerint, sed innumeris undique bellis exagitati. Persingulas quippe gentes et urbes, et quid dico per singulas gentes et urbes? per singulas etiam domos bella contra ipsos movebantur. Ingressa namque doctrina, filiumque a patre saepe dividens, nurum a socru, fratrem a fratre, servum a domino, subditum a principe, virum ab uxore, uxorem a viro, patrem a filiis: non enim simul omnes credebant, quotidianas inimicitias, bella frequentia, mille mortes ipsis inducebat efficiebatque, ut sese mutuo quasi communes hostes aversarentur. Etenim eos pellebant universi, reges principes, idiotae, liberi, servi, populi, civitates Neque illos tantum, sed quod gravius erat, neophytos in fide, quos illi instituebant. Commune

namque bellum et doctoribus et discipulis excitabatur, quippe cum doctrina illa et regiis sanctionibus et consuetudini et paternis moribus adversari videretur. Siquidem hortabantur, ut ab idolis absisterent, aras despicerent, quas et patres et maiores eorum coluerant, ab impuris dogmatibus resilirent, riderent solemnitates, initiationes respuerent, quae ipsis maxime tremenda et formidabilia videbantur, pro quibus animam dare maluissent quam eorum dicta admittere et in Natum ex Maria credere, qui ad praesidis tribunal ductus, sputis dehonestatus, innumeraque passus, execranda morte affectus sepultusque resurrexisset. Quodque stupendum erat, cruciatus omnibus noti erant, flagella nempe, colaphi, contumeliae oris sputo dehonestati, plagae, crux, cachinni multi, comoedia omnibus oblata, sepultura, quasi gratiae nomine impetrata; sed quae ad resurrectionem spectabant, non item; illis enim solis post resurrectionem apparuit. Attamen haec dicendo persuadebant, et sic Ecclesiam aedificabant. Quo pacto et qua ratione? Virtute iubentis; ipse namque viam parabat, ipse omnia difficilia facilia reddebat. Nisi enim divina quaedam virtus haec perpetrasset, ne vel principium quidem aut exordium haec habuissent. Quo enim id modo fieri potuisset? Verum is, qui dixerat: *Fiat coelum,* et opus exhibuit, et *Fundetur terra,* eius substantiam produxit; et *Luceat sol,* et astrum ostendit; quique omnia verbo operatus est, ille etiam has ecclesias plantavit. Et verbum illud: *Aedificabo ecclesiam meam,* haec omnia operatum est. Talia quippe sunt verba Dei, opera exhibent, opera mirabilia atque stupenda. Nam quemadmodum dixit: *Germinet terra herbam foeni* (Gen. 1, 11), et omnia mox hortus fuere, omnia pratum, terraque mandatum excipiens infinitis ornabatur plantis, sic et nunc, ubi dixit: *Aedificabo ecclesiam meam* id nullo negotio factum est, atque tyrannis adversus eam bella excitantibus, militibus arma moventibus, populis instar ignis furentibus, adversante consuetudine, etiamque rhetoribus, sophistis, divitibus, idiotis, principibus, igne tamen vehementius verbum spinas consumpsit, agros purgavit, praedicationis doctrinam

seminavit; ac dum ex illis, qui crediderant, alii in carcere habitarent, alii in exilium abducti essent, alii pecuniis mulctati occisi et in frusta concisi, alii igne consumpti, alii demersi essent, alii omne genus supplicii subirent, ignominia affecti, pulsi, quasi communes hostes ubique eiecti; alii numero plures accesserunt, nec modo ex aliorum cruciatibus nihilo segniores evaserunt ad fidem amplectendam, sed multo alacriores fuerunt et in pulchram hanc capturam insilierunt; sicque a piscatoribus capiebantur non coacti, sed accurrentes gratiamque habentes iis, qui se in hanc rem deduxerunt, ac cum sanguinum torrentes ex iam credentibus erumpenest cernerent, ferventiores fidentioresque circa fidem erant."

24. *d) Exponit, quomodo legati Christi non modo constanti sed hilari quoque animo mediis in difficultatibus et passionibus ecclesiae propagandae institerint:* — „Cumque non tantum discipuli, sed etiam magistri alii vincti, alii pulsi, alii verberati essent, alii demum innumera paterentur mala, discipuli tamen et plures et ferventiores fiebant. Certe Paulus clamat: *Ita ut plures fratrum in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum loqui* (Philip. 1, 14): et alibi rursum: *Vos enim imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, quemadmodum et ipsi a Iudaeis, qui Dominum crucifixerunt, et nos impediunt loqui gentibus ut salventur* (1. Thess. 2, 14—16) Aliis rursum scribens sic loquitur: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati multum certamen sustinuistis passionum scientes vobis meliorem substantiam in coelis et manentem* (Hebr. 10. 32. 34). Videsne praestantiam virtutis eius, qui talia operatus est. Nam qui tanta patiebantur, non solum non aegre ferebant vel deficiebant, sed et gaudebant, gestiebant, exsultabant. Et de discipulis quidem dicit ille, quod facultatum publicationem cum voluptate acceperint; de magistris vero Lucas in libro Actuum Apostolorum ait, eos reversos esse gaudentes a conspectu consilii, quoniam digni habiti fuerant pro nomine Christi contumeliam pati (Act. 5, 41). De se

ipso rursum Paulus: *Gaudeo*, ait, *in passionibus meis et adimpleo quae desunt tribulationibus Christi in carne mea* (Coloss. 1, 24). Ecquid miraris, quod in passionibus gauderet, quando mortem subiturus non modo gaudebat, sed etiam discipulos in gaudii consortium vocabat, quod erat animi supra modum laetantis: *Gaudeo*, inquit *et congratulor omnibus vobis: itidem et vos gaudete et congratulamini mihi* (Philipp. 2, 17). Et quid factum est, dic mihi, quod tanto gaudio repletus es? *Ego*, inquit, *iam delibor, et tempus resolutionis meae instat* (2. Tim. 4, 6) "

e) Iterum considerat, quomodo praecones Christi obsta- 25
cula omnia et adversitates praedicationi evangelii oppositas constanter superaverint: — „Sic igitur per universum orbem Ecclesiam aedificabant. Atqui ne parietem quidem unum quisquam possit exstruere lapidibus et calce utens, si expellatur et impediatur: hi vero tot ecclesias ubique terrarum aedificarunt, percussi, vincti, pulsi, fugati, facultatibus mulctati, flagellati, iugulati, combusti, demersi una cum discipulis. Et aedificabant non lapidibus, sed animabus et institutis, quod plane difficilius est, quam lapidibus construere. Non enim par est, murum construere et animam tanto tempore a daemonibus agitatam ad resipiscendum persuadere, ut ab insania illa desistat, et ad tantam perveniat temperantiam. Attamen hoc potuerunt nudi et calceis carentes, una induti tunica per universum mundum circumeuntes: habebant enim commilitantem eius virtutem, qui dixit: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praecalebunt adversus eam* (Matth. 16, 18). Numera, quot tyranni ab illo tempore adversus eam instruxerunt aciem, quot gravissimas persecutiones excitarunt: quo in statu fides fuerit toto illo, quod praeteriit, tempore, quando recens plantata erat, quando teneriores erant hominum mentes. Gentiles erant imperatores, Augustus, Tiberius, Caius, Nero, Vespasianus, Titus et post illum omnes usque ad tempus beati Constantini imperatoris; omnes illi, alii minus, alii vehementius Ecclesiam oppugnabant; oppugnabant tamen omnes. Quod si qui eorum visi sunt mitius

agere, hoc ipsum tamen, quod imperatores palam in impietate viverent, materia bellorum erat, cum alii, qui ipsis adulabantur, gratiam eorum captantes Ecclesiae bellum inferrent. Attamen omnes huiusmodi insidiae atque incursus facilius quam araneae tela dissipati sunt, velocius quam pulvis transierunt. Nam cum insidiis suis maiorem martyrum chorum effecerint, immortalesque illos Ecclesiae thesauros reliquerint, columnas atque turres, illi non viventes modo, sed etiam mortui posteris magnae utilitatis materia facti sunt. Videsne vim praedictionis? *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ab his et de futuris crede nullum fore, qui obsistat. Si enim cum ex paucis constaret, cum nova res esse videretur, cum nuper plantata doctrina esset, cum tot bella instarent, tot undique commissa praelia nihil potuerunt, neque praevaluerunt: quanto magis nunc cum universam terram occupat, omnemque locum, montes, saltus, colles; etenim et maria et gentes sub sole positas omnes apprehendit: cum impietas apud paucas iam obtineat atque arae, templa, idola omnia sublata fuerint, festa item, initiationes, fumus, nidor et profanae conciones."

26. *f) Denique ex omnibus ad divinam vaticinii originem concludit eamque conclusionem urget:* „Quomodo igitur talis tantaque res tot oblatis impedimentis tam conspicuum finem habuerit, et exitum veritati fidem facientem, nisi divina quaedam et invicta virtus esset eius, qui haec praedixit et perfecit? Nemo sane his contradixerit, nisi admodum insaniat ac mente captus sit. Neque haec tantum sed etiam alia vaticinia eius invictam virtutem praenuntiant. Nam cum omni veritate futura praedixit et ad finem deduxit, neque fieri potest, ut quidpiam ex dictis eius excidat. Imo citius peribit coelum et terra, quam aliquod verborum aut praedictionum eius falsi arguatur. Quod ipsum ille ante rerum eventum enuncians, sic clare de verbis suis loquitur: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (Matth. 24, 35) Idque iure merito: non enim verba tantum sunt, sed Dei verba, per quae res conduntur. Sic

coelum feci, sic terram, mare, solem, sic angelorum choros, sic alias invisibiles virtutes, quod declarans propheta dicebat: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (Ps. 148, 5): de omni simul creatura, tum superna, tum infra posita, tum sensibili, tum intellectuali, tum corporea, tum incorporea ea pronuntians. Illud igitur de Ecclesia vaticinium ostendit, ut supra dixi, veritatis, providentiae, bonitatis curaeque eius magnitudinem et excellentiam."

3, p Vaticinium de urbis Hierosolymitanae interitu exponitur.

Hoc imprimis vaticinium sedulam attentionem meretur, 27
quippe quod est maxime mirum ideoque considerantis animum non percellere nequit. Etenim futurum urbis interitum quoad adiuncta quoque plura accurate et graphice describit; deinde de perfecta eius impletione certissime constat, utpote de qua non solum Christiani, sed Iudaei quoque et Gentiles indubie testantur: denique accedit, quod, cum Iulianus Apostata reaedificando templo idem vaticinium irritum reddere et falsitatis convincere vellet, eius nefarii conatus per miraculosum Dei interventum delusi sunt.

Assertio prima: Certo constat de veritate historica huius vaticinii.

Vaticinium de urbis interitu a tribus evangelistis: 28.
Matthaeo (24), Marco (13), Luca (21, 20 ss.), qui se invicem complent, non vero a Ioanne refertur. Distinguenda vero sunt in verbis Christi ea, quae ad urbis interitum ab iis, quae ad finem mundi referuntur; de utroque enim eventu, sive quia de utroque discipuli interrogaverunt, sive etiam propter analogiam, quae intercedit, Christus simul locutus est, ita tamen, ut utrumque vaticinium vel ex verbis vel ex contextu in plerisque satis commode discernatur. Assertionem autem paulo aliter ac praecedentes huius thesis ita demonstrare expedit, ut adducta praedictione cuiusvis adiuncti statim eiusdem impletio consideretur; quippe qua ratione conformitas inter eventum et praedictionem clare ob oculos ponitur. Adiuncta autem omnia praedicta ad duplicem seriem revocari possunt: ad primam sc. seriem

pertinent, quae signorum praecurrentium instar a Christo praedicta sunt; alteram seriem constituunt, quae ipsam urbis eversionem constituunt.

29. *1. Christus accurate praedixit signa, quae eversionem urbis praecurrebant.* — Apostolis scilicet eum, cum urbis eversionem praediceret, interrogantibus: „*Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando haec omnia incipient consummari?*“ (Marc. 13, 14) diversa singillatim signa exhibuit.

a) Primum est, quod antequam urbs evertatur, pseudoprophetae venturi sint ad populum seducendum: „*Et respondens Iesus coepit illis dicere: Videte ne quis vos seducat; multi enim venient in nomine meo dicentes: Quia ego sum Christus, et tempus appropinquavit, et multos seducent: nolite ergo ire post eos*“ (Matth. 24, 4, 5). — Revera plures Pseudo-Christi ante urbis eversionem apparuerunt et populum seduxerunt. De qua re testantur tum actus Apostolorum (5, 36; 21, 38) tum Flavius Iosephus (Bell. 2, 13; Antiq. 20, 5, 1; 8. 6.). Tunc quoque, cum Titus urbem iam obsidebat, tales seductores rebellionem contra Romanos foventes populum fallebant; imo templo igne iam accenso sex millia hominum falsum prophetam sequentes in flammis perierunt (Bell. 6, 5).

30. b) Tamquam alterum signum urbis eversionem praecurrens bella et seditiones a Christo exhibentur: „*Cum autem audieritis proelia et bella et opiniones bellorum et seditiones, videte, ne conturbemini, et nolite terreri: oportet enim haec fieri, sed nondum statim est finis. Tunc dicebat illis: Surget enim gens contra gentem et regnum adversus regnum*“ (Lc. 21, 9, 10). — Iam vix melius rerum status, qualis sub finem imperii Neronis fuit, repraesentari potuit. Satis est inspicere Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium, ut oculis obversetur status atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace, ut Tacitus loquitur, saevus. Satis est ea considerare, quae sub Galba, Othone, Vitellio imperatoribus, celeri cursu sibi succedentibus, acta sunt, ut plane horrendum rerum statum fuisse perspiciatur. Audia-

tur Tacitus rerum statum horribilem compendio exhibens: „opus aggredior opimum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum. Quatuor principes (Nero, Galba, Otho, Vitellius) ferro interempti. Tria bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Turbatum Illyricum; Galliae nutantes; perdomita Britannia, et statim missa; coortae in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes; nobilitatus cladibus mutuis Dacus; mota etiam prope Parthorum arma falsi Neronis ludibrio" (Hist. 1., 2.). Cum vero Vespasiano imperante reliqua dominationis Romanae regna respirarent, in Palaestina bellum iudaicum omnia depopulabatur, in quo Iudaei contra Romanos et Graecos et contra se invicem crudeli odio saeviebant.

c) Ut novum signum praecurrens in vaticinio sequun- 31.
tur naturales calamitates: *„Et terrae motus magni erunt per loca et pestilentiae et fames"* (Lc. 21, 11). — De accurata huius praedictionis impletione indubie historia testatur. Duplex *fames* sub Claudio fuisse videtur, prima a secundo ad quartum annum regni eius contigit (a. 42—44 p. Chr.). De ea in specie agunt Dio Cassius in vita Claudii; Suetonius item in eadem; cf. Eusebius, Hist. eccl. l. 2. c. 8; Iosephus Flavius, Antiq. l. 20. c. 5, 2. Alterius famis, quae sub Claudio c. anno 11. regni eius accidit, mentionem faciunt Suetonius et Tacitus, qui: „Multa, inquit, eo anno prodigia evenere . . Crebris terrae motibus prorutae domus, ac dum latius metuitur, trepidatione vulgi invalidus quisque obtriti; frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur" (Anal. 12, 43). Sub Nerone quoque duplex fames fuisse videtur; quarum una c. 30.000 hominum perierunt. (Suet. Nero; cf. Ioseph. Flav., Bell 4, 12; 6, 3, Eusebius, Chronic. lib. II. ad an. 51 et 52.). *Pestilentia* ultimo ante urbis eversionem tempore bis fuit et per decennium immediate praecedens unoquoque fere anno *terrae motus* acciderunt. Atque Smyrna et Miletus, Lamos et Chios paulo ante urbis ruinam terrae motibus concussae. De quibus refert imprimis *Tacitus:* „Iamvero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem repetitis af-

flicta, haustae aut obrutae urbes, foecundissima Campaniae ora . . . plenum exiliis mare, infesti caedibus scopuli" (Hist. 1. 2). „Tot facinoribus foedum annum etiam di tempestatibus et morbis insignivere. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit pertulitque violentiam ad vicina urbi, in qua omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla coeli intemperie, quae occurreret oculis; sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur, non sexus, non aetas periculis vacua, servilis perinde ac ingenua plebs raptim exstingui . . . equitum senatorumque interitus" (Anal. 16, 13. cf. 14, 27.; *Plinius* Hist. nat. l. 2. c. 48; *Seneca,* Quaest. nat. 6, 1; *Philostrat.,* Apoll.; *Iosephus Flav.,* Bell. l. 6. c. 45).

32. d) Deinde Christus ruinam urbis signa de coelo praecurrere dicit: „*Terroresque de coelo et signa magna erunt*" (Lc. 21, 11). — Eventus testes sunt iterum tum Tacitus tum Iosephus Flavius. Prior haec refert: „Fine anni (65) vulgantur prodigia, imminentium malorum nuntia; vis fulgurum non alias crebrior et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum" (Annal. 15, 47.). „Evenerunt prodigia, quae neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa; visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne collucere templum. Apertae repente delubri fores et audita maior humana vox, excedere deos; simul rugens motus excedentium" (Hist. 5, 13). Alter autem haec refert: „Primum cum supra civitatem stetit sidus simile gladio, et anni spatio ardere perseverabat cometes. Deinde cum ante defectionem primosque belli motus, populo ad festum diem azymorum congregato, die octavo mensis Xanthici, hora noctis nona, tanta lux circa altare templumque circumfusa est, ut dies clarus esse videretur, atque hoc horae diuidiae spatio duravit; quod ab imperitis pro bono omine habebatur: sed sacrorum scribae ea, quae posthaec evenerunt, portendi iudicarunt. . . . Paucis deinde post festivitatem diebus, vicesimo primo mensis Artemisii die, prodigiosum

quoddam spectrum apparuit fidem omnem superans. Ac profecto id, quod dicturus sum, fabula (ut opinor) esse videretur, nisi ab eis, qui illud spectarunt, proditum esset, et subsecutae clades eiusmodi signis haudquaquam impares exstitissent. Etenim ante solis occasum per universam regionem currus in aëre sublimes ferri et armatae phalanges per nubes discurrere, urbesque circumvallare sunt visae. Festo autem die qui Pentecoste appellatur, sacerdotes noctu templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primum quidem motum ac strepitum se exaudisse dixerunt, tum deinde vocem quasi confertae multitudinis simul clamantis: Migremus hinc" (De bello iud. l. 6. c. 5).

33. e) Accedit tamquam aliud signum praenuntians persecutio Apostolorum atque ceterorum christianorum: „*Ante haec omnia enim iniicient vobis manus suas et persequentur tradentes in conciliis et in custodias, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me in testimonium illis (et) omnibus gentibus . . . Trademini autem in tribulationem a parentibus et fratribus et cognatis et amicis et morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*" (Lc. 21, 12, 16, 17.). — Praedictionem accurate impletam esse testatur historia. Ante urbis eversionem Apostoli in carcerem coniecti et flagellati, Stephanus autem atque uterque Iacobus occisi erant; ubique vero praetores Romani, plebs gentilis, magistratus civiles contra christianos agebant atque saepe acerrime eos persequebantur. Cf. Act. ap. 4—25: *Iosephus* Antiquit. 20, 9; *Tacitus* Anal. 15, 44; *Suetonius*, Nero c. 16; *Lactantius* Divin. instit. l. 4. c. 21.

34. f) Succedit morum corruptio tamquam signum ruinam urbis praesagiens: „*Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum*" (Matth. 24, 12). — Conditio moralis generis humani ante eversionem urbis praedictionem veram fuisse ostendit. Quanta morum corruptio apud Romanos Graecosque serperet, antiqui auctores classici ut Tacitus aliique testantur; quantopere vero Iudaei a vocatione sua defecissent atque avaritiae, impudicitiis aliisque vitiis dediti

essent, manifestum est ex epistola catholica S. Iacobi, ex epistola S. Pauli ad Hebraeos necnon ex testimonio Iosephi Flavii (Bell. 2, 13 aliisque locis). Tempore obsidionis imprimis neces tam frequentes erant, ut sacrificia expiatoria pro sanguine iniuste effuso abolerentur cum tot animalia mactari vix possent, quot homines iniuste necabantur (cf. *Döllinger*, Heidentum und Judentum p. 851).

35. g) Denique urbis eversionem praecedere dicitur praedicatio evangelii in universo mundo ita tamen, ut haec praedicatio vel sive gentium sive Iudaeorum conversio sane non fuerit absoluta; accuratius enim adhuc urbs interitura esse dicitur, priusquam generatio tempore praedictionis vivens transierit: „*Et primum oportet praedicare evangelium regni in universo mundo et tunc veniet consummatio . . . Amen dico vobis non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis . . . Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant*“ (Matth. 24, 14; 10, 23; Lc. 21, 32). — Praedictioni eventus omnino respondet. Revera enim in mundo tunc noto graeco-romano evangelium ante eversionem urbis anno 70. iam annuntiatum erat, quamvis nec omnes civitates Israel perfecte ad religionem christianam conversae essent. Apostoli enim in totum mundum dispersi erant atque Paulus solus magnam imperii Romani partem peragraverat, ut vel in Hispaniam ut videtur venisset (ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως; *Clemens* R. ep ad Cor. cap. 5.); quare in epistola ad Romanos Deo gratias agit, quod fides eorum nota sit in universo mundo (1, 8.). De eadem re testatur *Tacitus*, quippe qui de ingenti christianorum multitudine per imperium Romanum dispersa loquitur (Anal. 15, 44.). Cum vero urbs anno 70. everteretur, multi Christi coaetanei tempore eversionis adhuc superstites erant, imo Apostolus Ioannes vel 30 annis post urbis interitum demum mortuus est.

36. 2. *Vaticinium Christi aeque accuratum apparet, si ipsa eversio urbis spectatur.* — Quod item manifestum est singulis praedictionis momentis et ipsius eventus adiunctis iuxta se positis et comparatis. Itaque

a) „Circumdabunt te inimici tui valle et circumdabunt te et coangustabunt te undique“ (Luc. 19, 43). — Hierosolyma primum anno post Christum natum 66, ob motam a Iudaeis contra Romanos seditionem a Cestio Gallo obsidebatur. Iam duae urbis partes interceptae erant, et in ipsum templum gravis assultus tam felici successu, ut victoria iam instare videretur, tentatus erat, cum Cestius contra omnem exspectationem urbem obsidione solveret et exercitum reduceret. Quae obsidio imprimis significari videtur aliis illis Christi verbis: *„Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius“* (Lc. 21, 20). Deinde autem anno 68 Vespasianus magnum exercitum ad portas usque urbis adduxit. Vespasiano vero imperatore facto filius eiusdem Titus adhuc maiorem exercitum contra urbem movit atque in ea 2,700.000 Iudaeos, qui festorum causa in urbe versabantur, muris vallisque erectis inclusit. Obsidione a vere usque ad autumnum protacta Iudaei inclusi intestinis pugnis in se invicem saeviebant atque innumeros necabant (Ioseph. Fl. 5, 12).

b) „Tuno, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, et, 37.
qui in medio eius, discedant, et qui in regionibus, non intrent in eam. Et qui in tecto, ne descendat in domum nec introeat, ut tollat quid de domo sua. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quae scripta sunt“ (Luc 21, 21. 22). — Cum Vespasianus et Titus imperatores Romani omnes urbes castellaque omnia Palaestinae expugnarent, totam regionem depopularent, neque hominum vitae parcerent, refugium nullum patebat nisi montes cum suis speluncis. Illuc igitur Christiani praedictionis Christi memores post Cestii Galli obsidionem emigrarunt, atque in parvo Peraeae oppido, Pella nomine, habitarunt (cf. *Ioseph.* Bell. 2. 19. 20; *Eusebius* Hist. eccl. l. 3. c. 8.: *Epiphanius* Haer. 7. et 28).

c) „Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis 38.
diebus . . . Erit enim pressura magna super terram et ira

populo huic. Erunt dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, quam condidit Deus, neque nunc neque fient" (Luc. 21, 23; Marc. 13, 19). — Quam horrendis tribulationibus atque aerumnis obsidione urbs subiecta sit, historia indubie testatur, atque imprimis ex Iosephi Flav. opere de bello iud., ll. 6. et 7. praecipue luculenter constat. Iam in prooemio Iosephus asseverat: „Ex omnibus civitatibus, quae Romanorum iugum subierunt, nostrae sane contigit ad summum felicitatis pervenisse, ac deinde in extremam calamitatem incidisse: namque omnium ab omnis aevi memoria res adversae, si cum iis conferantur, quae Iudaeis acciderunt, longe ab illis mihi superari videntur." Atque l. 6. c. 3. declarat: „Singillatim quidem iniquitates eorum (factiosorum in urbe) commemorare, factu impossibile est: illud autem breviter dici potest, neque hominum genus aliud ab omni aevo sceleratius exstitisse." Revera cum factiones Iudaeorum in invicem saevirent, fames terribilis ad extrema adegit. Sibi invicem misera vitae subsidia eripiebant; sordibus alebantur; imo mulier quaedam, Maria nomine et patre prognata Eleazaro proprium filium mactavit et coctum dimidium ipsa comedit, alteram vero partem seditiosis comedendam obtulit (l. 6. c. 3). Intra tres menses tot homines fame perierunt, ut per urbis portam 115.000 cadavera efferrentur atque de muris 600.000 eiicerentur. Qui vero fame et terroribus acti ex urbe fugiebant, a Romanis plerique capti atque in conspectu urbis cruci affixi sunt tanto numero, ut nec locus omnibus nec cruces corporibus fere iam sufficerent. Quantopere vero urbe capta Romani contra eam atque Iudaeos saevierint, paucis dici non potest. Legatur Iosephus Fl. cc. 6. 7. 8. 9.

39. *d) „Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto"* (Matth. 24, 15). — Revera, priusquam Romani urbem obsidebant, templi sanctuarium variis abominationibus violatum est. Romanis enim Galilaea subiecta in Iudaeam progredientibus templum a factione Zelotarum occupatum atque ab iisdem simul cum Idumaeis, quibus portam urbis per fraudem

aperuerant, caede et sanguine defoedatum est. (Ioseph. Flav. 4, 4 ss.). Urbe vero a Romanis expugnata templum caedibus, sanguine, cadaveribus impletum atque denique igne destructum est (l. 6. cc. 4. et 5). Cum enim Titus omni quidem cura superbum templi aedificium conservare satageret, non tamen milites suos contra Iudaeos et urbem furore excitatos a destructione retinere potuit (ib.). Plura vero templi pretiosa spolia Romam delata sunt, ut mensa aurea necnon lex Iudaeorum, atque in triumpho, quem Vespasianus et Titus agebant, publice portabantur (Bell. 7, 5. 5.).

e) „Venient dies, in quibus non relinquetur lapis super 40.
lapidem, qui non destruatur“ (Matth. 24, 2). — Quam perfecte ad litteram fere haec praedictio impleta sit, accurate enarrat idem *Iosephus Flavius*. Postquam enim Romani templo incendio destructo reliquam quoque urbem ceperunt atque incendio et caedibus devastarunt, „iubet eos Caesar totam funditus iam evertere civitatem et templum: relictis quidem turribus, quae praeter alias eminebant Phasaële, Hippico, Mariamne, eaque tantum muri parte, quae civitatem ab occidente cingeret; illam quidem ut castra essent militibus illic praesidii causa relinquendis: turres autem, ut posteris indicarent, qualem civitatem et qualiter munitam Romanorum virtus obtinuerat. Totum vero reliquum civitatis ambitum ita solo aequavere, qui eum diruebant, ut ne quidem unquam habitatam fuisse vix fidem amplius faceret eo accidentibus. Et hic quidem ex illorum dementia, qui res novas moliti sunt, finis erat Hierosolymorum splendidae civitatis summaeque apud omnes homines celebritatis“ (ib. l. 7. a. 1).

f) „Et cadent in ore gladii et captivi ducentur in omnes 41.
gentes“ (Luc. 21, 24). — Terribiles eventus praedictionis respondentes item apud Iosephum Flav. leguntur: „Itaque omnem humanam et a Deo immissam pestem superat numerus peremptorum; nam ex manifestis alios quidem occidere, alios vero cepere Romani, alios etiam cuniculis delitescentes indagabant perruptoque solo obvios quosque

trucidarunt. Sed et ibi mortuorum ultro duo millia sunt reperti, quorum alii quidem manu sua, alii vero mutuis vulneribus, pluresque fame perempti erant" (l. 6. c. 9. n. 4) „Et captivorum quidem omnium, qui totius belli tempore capti sunt, numerus erat ad nonaginta septem millia: totius autem obsidionis tempore undecies centena hominum millia perierunt" (ib. 2). Captivi vero in Aegyptum aliasque provincias dispersi sunt, ut tamquam gladiatores contra invicem vel cum bestiis certarent atque hac ratione perimerentur. Quo modo ludis Caesareae actis duo millia quingenti Iudaei perierunt, Beryti vero ingens numerus peremptus est (Bell. 7, 2, 1; 7, 3, 1). Multi vero Iudaei tamquam servi in diversis mundi partibus venditi sunt (ib.).

42. *g) „Et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum"* (Luc. 21, 24). Cum quibus verbis conferenda sunt illa alia: *„Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta"* (Matth. 23, 38; Luc. 13, 35). Scilicet praedicitur, ruinam urbis perpetuam fore neque unquam eam tamquam caput regni Iudaici restitutam iri. — Quam praedictionem egregie confirmat historia ad hodiernum usque diem. Iteratis calamitatibus urbs subiecta neque unquam Iudaeis reddita est. Imprimis huc pertinent, quae historia refert de sorte, cui Hadrianus imperator urbem atque totam Iudaeam subiecit. Hadrianus sc. imperator Hierosolymam colonos miserat ad urbem denuo excitandam, quam Aeliam Capitolinam appellari voluit. In loco templi divini Iovis templum aedificatum est. Qua re Iudaei commoti et furore excitati totam provinciam immo Iudaeis dispersis in idem conspirantibus totum orbem commoverunt. Rufus, Iudaeae praeses ad sedandam seditionem et seditiosos puniendos immani crudelitate eos tractavit; non solum fortunis omnibus eos spoliavit, sed etiam innumeros et vel mulieres et infantes ferro exstinxit. Iudaei vero Barkochba (filius stellae) duce, qui se Messiam iactavit, desperationis furore excitati Romanis restiterunt. Christianos autem, armorum societatem recusantes, exquisitis tormentis affecerunt. Cum itaque Rufus, quia sufficientes copiae praesto non erant,

Iudaeos devincere et seditionem supprimere non valeret, subsidia Iulio Severo duce missa sunt, quibus tandem seditiosi confecti et paucis exceptis interfecti sunt, numero quinquies centenorum octoginta millium. Ingens deinde iterum Iudaeorum numerus in servitutem venditus est, et qui reliqui erant, in Aegyptum translati sunt, ac Iudaea in desertum redacta est. Ab hoc tempore lege cautum erat, ne quis Iudaeus Hierosolymam ingrederetur; semel tantum intra annum, die sc. interitus urbis, facultatem hanc, ut urbem ingrederentur ibique de infortunio eiusdem et suo lugerent, magna pecunia emere poterant. De qua re pulchre *Hieronymus:* „Ut ruinam suae eis flere liceat civitatis, pretio redimunt, ut qui quondam pretio emerant sanguinem Christi, emant lacrimas suas . . . Videas in die, qua rapta est a Romanis et diruta Ierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas et senes pannis obsitos in corporibus suis et in habitu iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum . . . adhuc fletus in genis et livida brachia et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat . . . Ululant super cineres sanctuarii et super civitates quondam munitas et super excelsos angulos templi, de quibus quondam Iacobum, fratrem Domini, praecipitaverunt." (In Sophon. cap. 1, 15). Urbem inde soli gentiles incolebant et in porta, quae Bethlehem respiciebat, porcus ex marmore sculptus collocatus est. Atque haec altera magna Iudaeorum strages anno decimo octavo Hadriani vel centesimo trigesimo quarto post Christum accidit.

Memorabilia quoque sunt atque ad perpetuam templi **43.** et urbis ruinam illustrandam mire conferunt, quae historia refert de conatibus Iuliani Apostatae ipso facto demonstrare volentis, prophetiam Christi de totali ac permanente templi ruina vanam esse atque falsam. Sozomenus, qui inter alios scriptores rem refert, simul addit, ethnicos, cum de Iuliani mente certiores fierent, suum contra Iudaeos odium paulo suspendisse, ut vehementiori, quo in Christianos tenebantur, magis odio obsecundarent. Iulianus itaque, quod

mente conceperat, opere perfecturus primoribus Iudaeorum ad se accersitis spondet, se templum Hierosolymitanum ex cineribus excitaturum esse. Quae sponsio a Iudaeis ingenti gaudio excepta est. Iam igitur a Iuliano celebres artifices mittuntur, operi praeficitur Alypius accepto mandato, ne sumptibus parcat, sed omnia potius agat, quo celerrime templum exstruatur. Undique Iudaei Hierosolymam confluunt, et insolescentes Christianis acclamant, tempus regni restituendi iam advenisse. Mulieres Iudaeae ornamentis ultro se privant, ut sumptibus faciendis abhibeantur necnon ipsae quoque operi manus solerter admovent. Verum Deus consiliis eorum illusit. Fervente enim iam opere, en prope fundamenta flammarum globi erumpunt, operarios occidunt atque consumunt, quidquid constructum eousque erat, evertunt et locum inaccessum reddunt. Accedit ingens terrae motus, quo lapidibus fundamenti diruti et procul disiectis omnia fere illius loci aedificia evertuntur. Turbines insuper atque fulgura lapides necnon machinas ceteraque instrumenta concusserunt. Interim nocte in coelo splendida crux corona circumdata fulgebat. Iulianus vero ipse brevi tempore post in bello contra Persas lancea perfossus misere periit exclamens: Vicisti Galilaee! De his eventibus testantur eius temporis scriptores: *Chrysostomus* (in Matth. hom. 76.; orat. in Iulianum n. 21.; in oratione, quod Christus sit Deus n. 16.); *Ambrosius* (ep. 40. ad Theodosium); *Gregorius Naz.* (in Iulian. or. 2. et 4); *Rufinus* (Hist. eccl. l. 10. c. 37); *Socrates* (Hist. eccl. l. 3. c. 20); *Sozomenus* (Hist. eccl. l. 5. c. 22); *Theodoretus* (Hist. eccl. l. 3. c. 20); *Philostorgius* (Hist. eccl. l. 7. c. 9) aliique. Praeterea testis accedit historicus paganus aequalis, *Ammianus Marcellinus*, qui natus sub Constantino Iuliani contra Persas bellum gerentis comes fuit. Qui scriptor haec refert: „Ambitiosum quondam apud Hierosolyma templum, quod post multa et internecina certamina, obsidente Vespasiano posteaque Tito, aegre est oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro praefectis. Cum

itaque rei idem instaret Alypius iuvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, hocque modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum" (l. 23. c. 1). Denique *Basnagius* (Hist. Ind. l. 6. cc. 18. 19) chronologistae cuiusdam Iudaei, Rabbi Gedaliab ben Ioseph Iecbaia, haec verba refert: „In diebus R. Channan et sociorum eius, anno circiter orbis conditi 4349 memorant libri annalium, magnum in orbe universo fuisse terrae motum, collapsumque esse templum, quod struxerunt Iudaei Hierosolymis praecepto Caesaris Iuliani impensis maximis. Postridie eius diei de coelo ignis multus cecidit, ita ut omnia ferramenta illius aedificii liquescerent, et amburerentur Iudaei multi." De facto igitur historico dubitatio existere potest nulla. Cyrillum Hierosolymitanum tamen obiiciunt, quippe qui, quamvis contra Iulianum ageret eiusque aequalis esset, nullam tamen facti, quod sub oculis eius accideret, in operibus suis mentionem facit. Verum haec omissio inde satis explicatur, quod Cyrilli opera, quae supersunt, ante imperium Iuliani scripta sunt.

Denique memorabilis quoque est Iudaeorum dispersio 44.
in omnes nationes et miseri status eorum duratio perpetua. Ista praedictionis Christi pars hodiedum modo sane omnium admiratione digno impleri pergit. Nullius enim populi exemplum historia suppeditat, qui patria sua extorris, omnibus gentibus exosus et despectus, nihilominus per diversissimas licet nationes dispertitus semetipsum absque permixtione conservaverit. Certe earum gentium, a quibus Iudaei saepe devicti sunt, ut Assyriorum, Medorum, Romanorum, vestigia nulla reperiuntur, posteri ipsorum cum ceterarum gentium turba confusi sunt. Soli Iudaei superstites manserunt, quamvis ubivis terrarum vagentur, *„sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari, et sine ephod et sine teraphim"* (Oseas 3, 4.); et per „omnes gentes dispersi testes iniquitatis suae et veritatis nostrae" sunt, ut loquitur *Augustinus*.

Assertio secunda: Veritas philosophica quoque huius vaticinii certa est.

45. Qui seria et sincera mente accuratam hanc Christi praedictionem eventusque consecutos considerat atque cum invicem comparat, ei de philosophica vaticinii veritate dubitatio nulla venire potest. Ut vero rei veritas evidenter prorsus appareat, duo breviter exponere iuvat et sufficit: scilicet

1. Christus naturaliter ruinam urbis praevidere non potuit. — Etenim a) tempore praedictionis status politicus in Iudaea atque Iudaeorum cum Romanis relationes tales erant, ut ruina urbis et templi tam propinqua et tanta Iudaeorum strages rationabiliter suspicari non posset. Quamdiu scilicet contra Romanos Iudaei non recalcitrabant, satis humane ab iis tractabantur et praesertim circa cultum religiosum magna libertate fruebantur. Insuper eo tempore vires militares Iudaeorum, si cum iis Romanorum comparentur, tam exiguae erant, subsidia belli ita deerant, cives ita discordia divisi erant, ut nullam spem victoriae pro casu belli rationabiliter facere possent. Etsi igitur Romanorum iugum aegerrimo animo ferrent, nulla tamen illo tempore peculiaris ratio ad rebellionem contra Romanos eos excitare poterat.

b) Imprimis vero signa illa urbis eversionem praecurrentia naturalem cognitionem humanam prorsus fugiunt. Etenim talia omnia erant, quae a libera sive Dei sive hominum voluntate plane dependerent, ut signa in coelo, seductiones falsorum prophetarum, persecutiones Apostolorum.

46. c) Magis etiam futura templi destructio humanae menti naturaliter impervia erat. Cum enim Romani eousque templa et delubra gentium devictarum conservare soliti essent, nulla ratione suspicari rationabiliter potuit, eos circa templum tam egregium, splendidum, celebre aliter acturos esse. Et revera Titus omnem curam adhibuit, ut templum integrum et illaesum conservaretur. Si vero destructio templi simpliciter praevideri naturaliter non potuit, minus etiam humana mente praesagiri potuit, templum ita

penitus diruendum esse, ut ne lapis quidem super lapidem maneret, atque insuper templum nunquam restituendum fore.

d) Minime dispersio quoque Iudaeorum in omnes fere gentes praevideri naturaliter potuit, quippe quae nunquam antea facta erat, et quatenus libera erat, spectato Iudaeorum patriae amore improbabilis videri debebat.

e) Denique si res accurate consideratur, eversio urbis et templi perpetuaque eius ruina adeo singulare divinae providentiae et sapientiae et potentiae opus apparent, quale a mente humana nulla naturaliter coniici potest. Cuius divinae ordinationis suspicio vel ipsius Titi mentem subiit, ut *Flavius Iosephus* refert: „Ubi autem intrasset Titus, inter alia miratus est urbem ob firma opera et turres, quas per vecordiam tyranni deseruerant. Deinde considerans solidam earum altitudinem et singulorum lapidum magnitudinem et exactissimam coagmentationem, tum qua latitudine essent, qua longitudine, Deo, inquit, favente bellavimus, Deus est, qui Iudaeos ex istis munimentis detraxit; nam humanae manus et machinae quid contra tales turres valeant? Et tunc quidem multa eiusmodi cum amicis collocutus est: vinctos vero a tyrannis in castellis relictos solvit. Cum autem iterum urbem alibi deleret et moenia everteret, eas turres monumentum reliquit fortunae suae, qua commilitante iis potitus est, quae expugnari non poterant" (Bell. l. 6. c. 9 n. 1.).

47. Qua vero ratione perpetua urbis et templi ruina egregium sit divinae potentiae proindeque supernaturalis vaticinii Christi characteris argumentum, praeclare exponit iterum *Chrysostomus:* „Vides in utroque magnam et ineffabilem eius potentiam: in eo, quod se colentes aedificaverit et auxerit, et in eo, quod inimicos suos humiliaverit, destruxerit radicitusque sustulerit. Nusquam enim huic simile templum erat tam celebre, tanto cultu insigne. Nam quotquot ubique per orbem erant Iudaei, etiam in finibus terrae positi, istuc olim proficiscebantur, dona, hostias, oblationes, primitias et multa alia ferentes, orbisque divitiis templum decorantes, omnesque eo undique confluebant Iu-

daei advenae. Multum erat loci nomen et usque ad extrema orbis pervenerat. Sed unum Christi verbum illa omnia delevit et perdidit, ac tamquam pulverem de medio sustulit. Ac quo nec Iudaeis quidem omnibus, imo nec sacerdotibus, sed soli summo sacerdoti ingredi licebat, idque semel in anno tantum cum stola, coronis et mitra, alioque sacro vestimento, nunc et scortis et mollibus et effeminatis et moechis patet aditus, nemine prohibente. Nam ut verbum illud advenit, omnia delevit et sustulit: tantumque de templo superest, quantum satis est, ut ostendatur, ubinam templum olim esset. Cogita ergo quantae et hoc sit virtutis. Etenim qui olim tam potentes erant, qui gentes et reges superabant, qui absque sanguine plerumque vincebant, tropaeaque innumera nova et admirabilia erigebant; hi templum unum ab illo usque ad hoc tempus aedificare non potuerunt. Quamvis tot reges fuerint, qui illis opem ferrent, tantaque multitudo per orbem diffusa, totque pecuniarum opes adessent. Videsne, quomodo quae ille aedificavit, nemo destruxit; et quae ille destruxit, nemo aedificavit? Aedificavit Ecclesiam, et nemo ipsam destruere possit; destruxit templum, et nemo ipsum restaurare valet; idque tam diuturno tempore: quamvis illam destruere tentaverint, non potuere tamen; quamvis hoc denuo excitare conati sint, id frustra moliti sunt. Id vero permissum fuit, ne quis diceret, si id tentatum esset, fieri potuisse: ecce tentaverunt et non potuerunt. Nam aetate nostra imperator, qui omnes impietate superabat, et facultatem tunc dedit et cooperatus est: opus incoepere: ac ne vel minimum ultra progredi potuere; sed ignis a fundamentis exsiliens omnes fugavit. Quod autem voluerint, hoc indicium est, quod hactenus fundamenta nudata appareant, ut videas ipsos quidem fodere coepisse, sed aedificare non potuisse obsistente Christi sententia. Quamvis autem iam olim destructum fuisset hoc templum, at iis post annos septuaginta reversis statim excitatum est, et priore splendidius fuit. Quod sane prophetae dixerant, et antequam fieret pronunciarant. Nunc autem plus quam qua-

dringentesimus annus est, et nulla cogitatio, nulla exspectatio vel spes est, illud ultra instaurandum fore. Atqui si non divina virtus obluctaretur, quid obstaret? Annon magna vis pecuniarum penes illos est? Annon ab omnibus undique tributa colligens patriarcha, immensos possidet thesauros? Annon audax illa natio est? Annon impudens, contentiosa, temeraria, seditiosa? Annon multi sunt in Palaestina? Annon multi in Phoenicia? Annon multi ubique? Quomodo ergo non potuerunt unum denuo construere templum, praesertim videntes cultum suum hinc ubique impediri, iudaicos ritus aboleri, sacrificia, oblationes ceteraque huiusmodi legalia de medio tolli omninoque cessare? Neque enim illis vel aram excitare, vel sacrificium offerre, vel libare, vel ovem imponere aut suffitum, vel legem recitare, vel festum celebrare, vel quidpiam simile facere licebat extra limina . . . Quid ergo? Annon vides iudaici templi ruinam in totius orbis conspectu positam? Cur non tecum reputas: nisi Deus esset Deusque fortis, quomodo cultores eius vexati et exagitati ita creverant, qui autem illum crucifixerunt et laeserunt, ita deiecti sunt, ut tota re publica sua exciderent et vagi, errones, profugi circumeant, nec quantumvis diuturno tempore alterutrum eorum solutum mutatumque est? Atqui adversus romanum imperium hi, iudaei inquam, bellum susceperunt, arma moverunt, multoque tempore illud oppugnarunt, imo aliquando vicerunt, nec parva negotia fecerunt Augustis illius temporis: tanta erant potentia instructi. Attamen qui cum tot imperatoribus bella gesserunt, qui tanta pecuniarum, armorum, militum vi pollebant, qui duces innumeros repulerunt, unum excitare templum non potuerunt; sed synagoges quidem per urbes exstruxere multas, locum vero illum, qui rei publicae suae praebet auctoritatem, ubi omnem cultum persolvere consueverant, atque unde iudaismus constituitur, huuc inquam solum instaurare non potuerunt" (adv. Iud. et Gent. quod Christus est Deus, c. 15.).

48. *2. Exceptiones adversariorum vanae esse facile cognoscuntur.* — Nimirum a) opponunt vaticinium, de quo agi-

tur, post eventum confictum esse atque hac ratione non solum philosophica sed historica quoque veritate carere. — *R.* Non una ratione obiectio futilis apparet. Etenim *primo* nullum praesto est ipsis argumentum, quo id confirment. *Secundo* suppositione ea facta Evangelistae deceptores fraudulenti habendi essent, quod evidenter cum certa veritate pugnat. *Tertio* certis argumentis demonstratum est, evangelia synoptica imprimis illud Matthaei ante urbem eversam conscripta esse. *Quarto* praedictio de interitu urbis ita connexa est cum praedictione de mundi fine, ut illa, cum de ea referebant Evangelistae, impleta esse nondum potuisse facile perspiciatur. *Quinto* constat, Christianos ante ruinam urbis et templi praedictionem Christi notam habuisse; cur enim Hierosolyma relicta Pellam migraverunt? *Sexto* praedictio de sorte urbis et Iudaeorum plura complectitur, quae longe post eversionem sub Tito impleta sunt vel continuo adhuc implentur.

49. b) Alii opposuerunt, Iesum ideo eversionem urbis et templi praevidisse, quia ex una parte videbat templo subsistente se a Iudaeis tamquam Messiam agnosci non posse, ex altera autem parte persuasum habebat, se tamquam Messiam agnoscendum fore. Qua suppositione facta praevisio destructionis urbis et templi tamquam naturalis conclusio apparet. — *R. Primo* ipsa suppositio falsa est, quatenus scilicet Iesus a plerisque Iudaeis tamquam Messias neque templo everso agnitus est, neque persuasionem illam habuisse cum ulla veritatis specie affirmatur. *Praeterea* talis praevisio naturalis non potuisset esse certa, cum Deus sane aliis quoque modis praeter templi destructionem efficere potuisset ut Christus tamquam Messias agnosceretur. *Deinde* naturalis praevisio omnis inde manifeste exclusa apparet, quia Iesus tam accurate signa praecurrentia atque singula adiuncta quoque praedixit. Quod enim aliqui dicunt, praedictionem esse vagam, absurde cum ipsa evidentia pugnat. *Denique* obiectio supponit persuasionem Christi, se esse Messiam, veram et fundatam fuisse; cur itaque

verus Messias vera vaticinia edere non possit? Scilicet secum ipsis adversarii pugnant.

c) Iterum alii dixerunt, vaticinium Christi desumptum 50.
esse a Daniele praedicente: „*Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus . . . Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo etc.*“ (Dan. 9, 26.), vel e variis prophetis calamitates praenuntiantibus congestum esse. — *R. Primo:* quamvis Christi et Danielis vaticinium circa eundem eventum versentur, in eo tamen differunt quod vaticinium Christi multo accuratius est atque plura adiuncta attingit, quam illud Danielis, quippe quod inter alia de signis praecurrentibus nihil annuntiat. *Secundo:* si Danielis vaticinium tamquam verum agnoscitur, certo de divina Christi legatione constat, quippe de quo Daniel vaticinatus est. Quid igitur Christo donum prophetiae denegare volunt? Scilicet iterum incohaerenter Rationalistae in eiusmodi obiectione urgenda procedunt. *Denique* quod dicunt vaticinium Christi e pluribus aliis congestum esse, ineptum est, quia repugnat, ut ea, quae pro libitu congesta esse supponuntur, fortuito tempore tam accurate praenotato et cum adiunctis tam determinate praedictis evenirent.

d) Denique opponunt, ex vaticinio Christi coniunctum 51.
fore Christi iudicis descensum cum urbis destructione; cum vero Christus iudex nondum advenerit, totum vaticinium falsitatis convictum esse vel iterum deficere eiusdem tum historicam tum philosophicam veritatem. — *R.* Falsum est *imprimis* secundum Christi vaticinium ruinam urbis et Christi iudicis descensum coniuncta fore. Christus quidem simul de illis eventibus loquitur, quippe de quibus eodem tempore vel simul a discipulis interrogatus erat, nullatenus autem dicit, eventus illos simul fore. *Ceterum* inter utrumque eventum nexus aliquis est, quatenus prior sc. ruina urbis est imago alterius sc. mundi finis et extremi iudicii. Quare ruina urbis quoque ut descensus Christi iudicis quadantenus considerari potest necnon quaedam sensu proprio et proximo de uno, sensu improprio et remoto de altero

eventu intelligi possunt. Plerumque autem satis ex textu et contextu constat, quae de alterutro eventu sensu proprio et proximo intelligenda sint.

Corollaria.

52. 1. *Singularia fata gentis iudaicae universim considerata egregium divinae Christi legationis testimonium exhibent.* — Argumentum, quod ex vaticinio Christi de ruina urbis Hierosolymitanae ductum est, multum confirmatur et egregie splendet, si universalius tota gentis iudaicae singularis et mlsera ex undeviginti saeculis conditio consideretur eiusque causa inquiratur. Itaque

a) Gentis iudaicae conditio inde ab undeviginti saeculis singularis prorsus et misera apparet. Re enim vera cum esset populus a Deo electus, a sublimi sua vocatione excidisse et a Deo reiectus esse conspicitur. Scilicet

Primo sacerdotium leviticum, quod insigne gentis iudaicae decus erat, ita abrogatum et radicitus exstinctum est, ut restitutio eius iam nulla sit possibilis. Ut enim quis legitimus sacerdos esse posset, ex tribu Levi atque familia Aaron oriundus esse debebat. Iamvero post urbis et templi destructionem tribus diversae ita penitus confusae et permixtae sunt, ut iam nemo suam ex Aarone originem comprobare possit; quare ex eo tempore rabbinos quidem Iudaei habent, sed sacerdotes nequaquam. *Secundo* post templi destructionem sacrificia quoque veteris Foederis ita penitus abolita sunt, ut offerri iam nullo modo possint; quod quidem tum ex sacerdotii extinctione tum ex templi destructione provenit. Quare exercitium religionis suae, cultus, et observatio legis mosaicae magna ex parte impossibilis evasit. *Tertio* sicuti a missione sua divina et cultu suo ita ex felicitate quoque temporali gens iudaica excidit, qua olim fruebatur, quamdiu Dei mandata servabat, vel si seriam de delictis commissis poenitentiam agebat. Imo *quarto* eadem gens, ut populus ab aliis distinctus et a Deo quondam electus et ab aliis separatus erat, in miserrima conditione ex tempore eversionis urbis invenitur. Ex terra

sua electi atque in omnes nationes dispersi Iudaei populum sui iuris et independentem vel in republica unitum non constituunt. Conservantur inter diversas nationes, quin ipsis generatim permisceantur. „Dispersi palabundi, et coeli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine sine Deo rege, quibus nec advenarum iure terram patriam saltem vestigiis salutare conceditur“ (*Tertullianus*, Apol. c. 22). Et si singuli quidam eorum divitiis, opibus, potentia praestent, nunquam tamen proprie secura felicitate fruuntur, cum nunquam fere non in aliquo regno persecutionibus impetantur. Re ipsa Iudaeorum stragibus et caedibus saepe civitates impletae sunt et integra regna, cum ea ratione populus christianus non raro ulcisceretur de fraudibus et vexationibus, quibus a Iudaeis lacessitus erat. Cum porro ludibriis et contemptui semper et ubique expositi sint, spem reditus in patriam nullam habent vel ab ea eluduntur. „Nunc, inquit *Hugo Grotius*, ex quo semel patria electi sunt, manent extorres, contempti; nullus ad eos venit propheta; nulla futuri reditus significatio; magistri ipsorum quasi spiritu vertiginis afflati ad turpes fabulas et ridicula dogmata delapsi sunt, quibus scatent libri talmudici . . .“ (De verit. rel. christ. l. 5. c. 16.). Etenim saepissime a falsis prophetis decepti, semper tamen denuo Messiam exspectant atque tempus adventus eiusdem e Danielis vaticinio determinare conantur; sed iterum tandem delusi et in desperationem acti atrocissimas imprecationes in omnem Iudaeum dirigunt, qui novas hac in re explicationes et nova computa moliatur[1]) Unde semper inter spem et desperationem fluctuant.

[1]) Quarum imprecationum specimina aliqua exhibet *Th. Granderath* ex Lemann, Die Messiasfrage: „ Verflucht seien diejenigen, welche die Zeiten des Messias berechnen', sagt der Talmud von Babylon. ‚Möchten ihre Knochen zerbrechen', sagt Rabbi Johanan. ‚Ihre Seele gehe zugrunde, sagt Rabbi Ephraim. ‚Möge die Hölle sie verschlingen', sagt Rabbi Abarbanel. ‚Möge sie Gehenna verzehren', sagt Rabbi Matthatia. ‚Möge ihr Herz zerspringen und ihre Berechnungen vergehen', sagt Rabbi Maimonides. Möge ihr Geist bersten, wie ein Geschwür', wiederholen die andern Rabbiner um die Wette.“ (Trümmer des israelitischen Volkes in ‚Stimmen aus Maria-Laach', Bd. 17. 1879, II, p. 12 ss.).

53. b) Causa vero huius singularis conditionis et miseriae non invenitur nisi in nece Messiae sive Christi Dei-hominis. Videlicet si prae oculis habeatur, quod certum est, nationum quoque fata divina providentia regi, merito coniicitur illam gentis iudaicae conditionem poenam esse a Deo illatam in expiationem maximi cuiusdam et publici criminis. Si vero insuper praesens hic gentis iudaicae status cum eiusdem historia in Vetere Foedere comparetur, recte creditur crimen illud aliud non esse, quam reiectionem atque necem Messiae. Etenim in hoc tantum crimine ratio sufficiens illius poenae invenitur „Poena enim triplici charactere distinguitur: excedit primo longe poenam captivitatis babylonicae; est secundo plane singularis, nulli populo communis; continetur tertio reprobatione populi ex parte Dei, adeo ut videatur excidisse missione, quam divinitus accepit. Quare et crimen, propter quod eadem inflicta est, maius esse debet omnibus prioribus delictis, singulare et proprium huius populi, quo Deum penitus deseruit, suaeque defuit vocationi. Atqui hae notae in una Messiae reprobatione reperiuntur; nam populus iste totus erat ordinatus et destinatus ad Messiam, ideoque divinitus ceteris populis praelatus; ipsa Messiae missio ultimus et supremus divinae bonitatis conatus fuit in eiusdem salutem: quam ob causam Messiae reprobatio crimen erat summum, huius populi singulare, quo penitus sua missione et destinatione excidit. Merito ergo eiusmodi poena consecuta est" *Hurter,* Comp. I. n. 74.).

54. Confirmatur atque certissima redditur assertio per alia vaticinia Veteris et Novi Testamenti. Imprimis huc Moysis et Danielis vaticinia spectant. *„Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam"* (Deuter. 18, 18. 19.). *„Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius*

vastitas, et post finem belli statuta desolatio" (Daniel 9, 26). Huc quoque Oseae vaticinium pertinet: „*Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari et sine ephod et sine teraphim. Et post haec revertentur filii Israël et quaerent Dominum Deum suum, et David regem suum: et pavebunt ad Dominum et ad bonum eius in novissimo dierum*" (Os. 3, 4. 5). Scilicet his verbis praedicitur, Iudaeos post innumera perpessa mala reversuros esse ad Dominum Deum suum et David regem suum i. e. Messiam, quippe qui passim a prophetis sub Davidis regis imagine exhibetur. Quare quia hunc Messiam reliquerunt, in tot mala incidisse dicendi sunt.

Cum itaque constet. Iudaeos tantas poenas luere, quia 55.
Messiam reiecerunt et occiderunt, alius iste Messias esse non potest, nisi Christus. Etenim *primo* nemo alius ex Iudaeis assignari potest, quem universus populus reprobaverit et occiderit et qui simul tot veri Messiae characteribus insignitus fuerit, quam Iesus Christus. *Praeterea* ruina urbis et templi et calamitas Iudaeorum mox post reiectionem et necem Christi consecuta est. *Denique* idem comprobant expressa ipsius Christi verba, quibus Iudaeis hanc calamitatem tamquam poenam suorum criminum praedixit. Huc imprimis spectat parabola de patrefamilias, cuius filium ad se missum agricolae occiderunt. Proponens enim hanc parabolam Christus Pharisaeos interrogat: „*Cum ergo venerit Dominus vineae, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris! Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit, super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum et pharisaei parabolas eius, cognoverunt, quod de ipsis diceret* (Matth. 21, 40—45).

56. Deinde iteratis vicibus claris determinatisque verbis idem praedixit: „*Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini*" (Matth. 23, 37—40). „*Et ut approqinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi! Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo et circumdabunt te et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*" (Luc. 19, 41—44).

57. Quare merito *S. Hieronymus* Iudaeos ita appellat et increpat: „Multa, Iudaee, scelera commisisti, cunctis circa te servisti nationibus. Ob quod facinus? Utique propter idololatriam. Cumque servisses crebro, misertus tui est Deus et misit iudices et salvatores, qui te . . . liberarunt. Novissime sub regibus offendisti Deum et omnis tua provincia gente babylonica vastante deleta est. Per septuaginta annos templi solitudo permansit . . . Ad extremum sub Vespasiano et Tito urbs capta templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Hadrianum principem per quinquaginta annos mansere reliquiae. Post eversionem templi paulo minus per quadringentos annos et urbis et templi ruinae permanent. Ob quod tandem facinus? Certo non colis idola, sed etiam serviens Persis atque Romanis et captivitatis pressus iugo ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquam tui est oblitus, nunc per tanta spatia temporum miseriis tuis non adducitur, ut solvat captivitatem? . . . Ob quod, inquam, facinus et tam exsecrabile scelus avertit a te oculos suos? Ignoras? Memento vocis parentum tuorum (Matth. 27, 25.): *Sanguis eius super nos et super filios nostros* . . . et: *Non*

habemus regem nisi Caesarem (Ioan. 19, 15). Habes, quod elegisti: usque ad finem mundi serviturus es Caesari, *donec gentium introeat plenitudo et sic omnis Israël salvus fiat* (Rom. 11, 25, 26.)" (ep. 129. n. 7, cf. *Granderath*, Stimmen aus Maria Laach Bd. 17; *Chrysostomus*, Orationes adv. Iudaeos octo).

2. Conspectus brevis principalium N. T. vaticiniorum. 58. — Cum multa in Novo Testamento vaticinia contineantur atque longum sit omnia exponere, conspectum tamen eorundem brevem in classes divisum exhibere iuvat. Itaque

a) Ad *primam classem* ea pertinent, quae iam impleta sunt. — In hac classe inveniuntur:

Primo vaticinia ipsius Christi de propria sua vita; 59. edidit scilicet prophetias de passione, morte, resurrectione sua; de quibus supra actum est.

Secundo, vaticinia Christi de discipulis suis. Nimirum plura de vita discipulorum praedicit, ut scandalum, quod in ipso passuri erant: *„omnes scandalum patiemini in me in ista nocte"* (Matth. 26, 31.); proditionem Iudae et negationem Petri, de quibus supra. Petro deinde aliquando praedixit, magnam eum piscium copiam contra omnem exspectationem capturum esse simulque adiunxit de futura eius vocatione: *„Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens"* (Luc. 5, 10.). Atque simul idem alia vice Petro et Andreae significavit: *„Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum"* (Matth. 4, 19).

Tertio, vaticinia Christi de eversione urbis atque Iudaeorum reprobatione, quae supra exposita sunt.

b) Ad *secundam classem* spectant, quae continuo nunc adhuc implentur. Huc pertinent:

Primo, vaticinia Christi, quibus praedixit, evangelium suum in universo orbe praedicatum iri atque ecclesiam usque ad finem mundi invictam permansuram esse, de quibus vaticiniis dictum est supra.

Secundo, vaticinia, quibus Christus persecutiones discipulorum et totius ecclesiae praedixit, ut v. g.: *„Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit . . . .*

Mementote sermone mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur" (Ioan. 15, 18 ss.). „*Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*" (ib. 16, 4.).

Tertio vaticinia, quibus charismatibus ecclesiam insignitam fore praedixit, ut: „*Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt*" (Marc. 16, 17).

Quarto denique vaticinium de Maria Magdalena: „*Amen, dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius*" (Matth. 26, 13).

60. c) *Tertiam classem* constituunt, quae nondum eventu sunt comprobata; quo pertinent ea, quae de mundi fine, de Antichristo aliisque agunt.

d) Ad *quartam denique classem* referri possunt vaticinia aliarum praeter Christum personarum. Huc pertinet:

Primo vaticinium, quod Simeon senex de ipso Christo et de Beata Virgine edidit: „*Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel . . . . Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*" (Luc. 2, 29—35.).

Secundo vaticinium angeli incarnationem Verbi annuntiantis: „*Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis*" (Luc. 1, 32. 33).

Tertio denique huc spectat vaticinium, quod de seipsa B. Virgo edidit: „*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes*

generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est et sanctum nomen eius" (Luc. 1, 48. 49).

De quibus vaticiniis omnibus valet, quod supra iam 61
de miraculis notatum est: Genuina sunt, quia non solum de eorum genuinitate Evangelistarum veracitas atque traditio testantur, sed etiam, quia ita egregie cum contextu cohaerent, ut cum ceteris, quae narrantur, perspicue aliquod unum forment atque expungi non possint, quin textus evangelicus truncatus appareat. Quare ad ea quoque vaticinia verba S. Petri applicari possunt: „*Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris*" (2. Pet. 1, 19). Necnon *S. Augustini* expositio egregie huc accomodatur, qua insignem vim demonstrativam vaticiniorum imprimis Veteris Foederis urget: „Me attendite, inquit, vobis dicit Ecclesia, me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Iudaea terra fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem et passionem, et resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta eius et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenuntiantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis, quod praedictum et impletum est de humana Christi nativitate: *Ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium* (Isai 7, 14): sed videtis, quod praedictum est et impletum ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (Gen. 12, 3). Non vidistis, quod de mirabilibus Christi praedictum est: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* (Ps. 45, 9): sed videtis, quod praedictum est: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (Ps.

2, 7. ss.). Non vidistis, quod praedictum est et impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem:* sed videtis, quod in eodem psalmo praedictum est et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum omnes fines terrae, et adorabunt in conspectu eius universae patriae gentium, quoniam Domini est regnum et ipse dominabitur gentium* (Ps. 21, 17. ss.). Non vidistis, quod de resurrectione Christi praedictum atque completum est, loquente psalmo ex persona eius prius de traditore et persecutoribus eius: *Egrediebantur foras et loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subiecit atque ait: *Num qui dormit, non adiiciet ut resurgat?* Et paulo post, cum de ipso suo traditore per eandem prophetiam praedixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum,* h. e. conculcavit me: continuo subdit: *Tu autem, Domine, miserere mei et resuscita me, et reddam illis* (Ps. 40, 7. ss.). Impletum est hoc, dormivit Iesus et evigilavit, hoc est, resurrexit; qui per eandem prophetiam in alio psalmo ait: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (Ps. 3, 6). Verum hoc non vidistis. Sed videtis Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terrae, et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas; si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (Ier. 16, 19). Non vidistis, quod praedictum et impletum est de ascensione Christi: *Exaltare super coelos, Deus;* sed videtis, quod continuo sequitur: *Et super omnem terram gloria tua* (Ps. 107, 6). Illa de Christo iam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista praesentia in eius Ecclesia videre vos non negatis: utraque vobis praedicta monstramus: utraque

autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectu praeterita non valemus“ (De fide rerum, quae non videntur c. 4 n. 7). Cf. *F. Schmid*, Christus als Prophet.

Quaestio nona.

De mirabili religionis christianae historia.

Articulus primus.

De martyrio christiano.

Thesis 42. **Divinitas religionis christianae martyrum testimonium invicte probatur.**

Wilmers, th. 113 ss. — Cf. Ottiger, l., p. 877 ss. — Hettinger, n. 353 ss. — Reinhold, p. 229 ss. — Poulpiquet, L'objet intégral de l'Apologétique[3], p. 148 ss. — Allard, Histoire des persecutions[2]. 1900.

Declaratio.

1. Praesentis quaestionis argumentum et divisio. — 1. Demonstrata iam directe divina Christi legatione, in praesenti quaestione ea argumenta exponenda sunt, quae directe magis circa opus Christi vel religionem christianam versantur atque eius divinam originem et indolem manifestant. Quibus argumentis simul manifestum fiet, religionem Christi in concreto et adaequate esse ipsam ecclesiam catholicam; sive huius ecclesiae coelestis origo, indefectibilis veritas, inviolabilis auctoritas ex argumentis evolvendis sponte elucebunt. Etenim phaenomena vel effectus, ex quibus argumentatio procedit, tamquam sigilla divinitus impressa ecclesiae catholicae eique soli, nulli vero alii religioni vel coetui

christiano inhaerent. Effectus vero plerique, ex quibus argumentatio instituitur, miraculorum moralium rationem habent, quare quae de horum miraculorum ratione supra (Thes. 30. n. 27. ss.) disputata sunt, continuo prae oculis haberi debent. Scilicet agendum est de martyrum stupenda constantia. de celeri religionis christianae propagatione, de praeclaris fructibus religionis christianae, de mira eius conservatione, de duplici mysterio amoris nempe et odii, quod circa ipsam viget, denique de serie sanctorum et charismatum, quibus religio christiana insignita est. Quare in sex articulos tota quaestio dividitur:

Articulus primus: De martyrum christianorum testimonio.
Articulus secundus: De celerrima religionis christianae propagatione.
Articulus tertius: De insignibus religionis christianae fructibus.
Articulus quartus: De mira eiusdem conservatione.
Articulus quintus: De mysterio amoris et odii, quod circa eam viget.
Articulus sextus: De sanctorum et charismatum insigni, quo religio christiana refulget.

2. *2. Notio martyrii.* — Si etymologia vocis spectatur martyrium nihil aliud est quam testimonium, et martyr idem dicit ac testis. Ex usu loquendi ecclesiastico significatio vocis restricta est et martyr ille dicitur, qui mortem sibi in odium fidei illatam patienter tolerando de veritate christianae fidei sanguine suo effuso testatur. Accommodate scilicet *Augustinus* declarat, martyres dici, „qui fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum et crudelissimum pertulerunt eumque non repugnando sed moriendo vicerunt“ (De civit. Dei l. 22. c. 9). Quare triplex ad martyrium conditio requiritur:

3. a) Causa persecutionis et mortis illatae fides sit oportet, sive ore sive opere eius professio fiat. Nimirum causa martyrii est aut religionis christianae universim professio. ut in antiquis Romanorum vel recentioribus Iaponensium

persecutionibus, aut est firma ad ecclesiam catholicam Romanumque Pontificem adhaesio, ut in persecutione Anglica, aut est dogmatis alicuius specialis assertio, ut in persecutione Vandalica, aut est virtus aliqua specialis a Christo vel Ecclesia commendata sive disciplinae ecclesiasticae observantia, ut fuit in martyrio S. Ioannis Nepomuceni aliorumque plurium. Nullam vero inter haec, si valor martyrii vel vis testimonii spectatur, differentiam esse commode intelligitur. Etenim, quaecunque erat causa proxima, propter quam martyres sanguinem suum fundere non dubitarunt, intima et propria ratio, ex qua passiones et mortem sustinuerunt, in eo erat, quod persuasum sibi habebant, religionem christianam divinitus institutam et infallibiliter veram esse.

b) Ad rationem martyrii requiritur, ut ille, qui est 4.
causa principalis persecutionis et mortis illatae, ex odio fidei sive virtutis christianae agat; non autem opus est, ut hanc esse causam etiam palam declaret. Itaque necessarium non est, ut persecutor sit gentilis, aut infidelis, aut haereticus; etenim persecutor christianus quoque ex odio fidei vel saltem virtutis christianae procedere potest. Neque sane requiritur, ut omnes, qui ad tormenta et supplicium inferendum concurrunt vel qui immediate idem inferunt, ex fidei vel virtutis christianae odio agant; sufficit enim, si causa principalis moralis vel instigator odio illo motus sit. Denique minus etiam requiritur, ut persecutor ex odio fidei vel virtutis christianae agens, hanc esse persecutionis et supplicii causam palam profiteatur; inter martyres enim christianos multi inveniuntur, qui ex vero fidei odio interfecti sunt, quamvis alia persecutionis et supplicii causa praetexeretur.

c) Requiritur, ut mors patienter toleretur, non vero 5.
vi vis repellatur. Exemplum enim Christi martyres sectantur, qui „*ut ovis ad occisionem ductus est, nec aperuit os suum*“ (Isai 53, 7). Qui igitur in bello pro vera religione pugnando occiduntur, martyres non habentur. Martyrium igitur insignis actus fortitudinis est et quidem insignior,

quam violenta pro fide pugna; ut enim *S. Thomas* notat: „Principalior actus fortitudinis est sustinere, i. e. immobiliter sistere in periculis, quam aggredi. Ad primum ergo dicendum, quod sustinere est difficilius quam aggredi triplici ratione: primo quidem quia sustinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente; qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris. Difficilius autem est pugnare cum fortiori quam cum debiliori. Secundo, quia ille, qui sustinet iam sentit pericula imminentia; ille autem, qui aggreditur, habet ea ut futura. Difficilius autem est, non moveri a praesentibus, quam a futuris. Tertio quia sustinere importat diuturnitatem temporis; sed aggredi potest aliquis ex subito motu. Difficilius autem est diu manere immobilem, quam subito motu moveri ad aliquod arduum“ (2. 2. p. 123. a. 6. in corp. et ad 1).

6. *3. Adiuncta martyrii christiani vel singularis eiusdem atque mira indoles.* — Ut demonstratio thesis commodius instituatur et evidentius perspiciatur, consideranda prius sunt adiuncta varia, quibus apparet, martyrium christianum esse factum tam mirae et singularis indolis, cui simile in tota generis humani historia nihil inveniatur.

a) Considerandum itaque primo est, *ingentem fuisse martyrum numerum.* — Etenim imprimis in decem ut vulgo numerantur persecutionibus, quae per tria prima saecula christiana in imperio Romano saeviebant, innumeros Christianos pro fidei suae confessione interemptos esse, tota antiquitas i. e. non solum scriptores christiani, sed gentiles quoque una voce testantur. Sic *Tacitus* refert, sub Nerone christianos „primo correptos, qui fatebantur; deinde iudicio eorum multitudinem ingentem haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convictos“ ad mortem condemnatos esse (Annal. 15, 44). Sub Domitiano vero teste *Brittio* (apud *Euseb.* Chronic. l. 2 ad a. 95.) „plurimi christianorum“ crudeli martyrio interfecti sunt. Item in Traiani persecutione „plurimos ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subiisse“ *Eusebius* scribit (Hist. eccl. l. 3. c. 33.). Neque sub Antonino persecutiones christianorum nec

martyres in magna multitudine defuerunt, ut constat ex apologia *Iustini* ad hunc imperatorem data: „Propter confessionem, inquit, torquetis . . . causa non iudicata supplicia infertis.“ Et post plura: „Ad inquisitionem vestram Christianos nos esse profitemur, cum quidem mortis supplicium professis propositum sciamus. Si enim humanum regnum exspectaremus, infitiaremur utique, ne occideremur . . . Perlibenter Christum confitemur, mortem quoque adimus . .: Quod namque, dum gladio percutimur, et in crucem agimur, et bestiis obiicimur, et vinculis et igne et tormentis aliis omnibus plectimur et excruciamur, a professione nostra non discedamus, satis constat . . . In toto mundo nemini christianorum vivere permittitur.“ Deinde Marco Aurelio regnante „innumerabiles prope martyres per universum orbem“ iuxta *Eusebium* (Hist. eccl. l. 5. prooem.) vitam amiserunt. Iterum sub Severo persecutio ita generalis fuit, teste eodem *Eusebio* (l. 6. c. 1.) ut in ea per omnes ubique locorum ecclesias a christianis tamquam athletis pro pietate certantibus illustria tolerata fuerint martyria. De qua persecutione et multitudine christianorum ea interempta *Clemens Alex.* quoque testatur: „Nobis autem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur et capite damnantur“ (Strom. l. 2, cap. 20). Item Deciana persecutio saevissima fuit et plurimos christianos interemit: „Nostros vero (martyres) superfluum est recensere, cum et plurimi sint et vobis ignoti. Id tantum in universum vos scire convenit, viros et mulieres, iuvenes ac senes, puellas et anus, milites et privatos, ex omni denique hominum genere atque aetate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse“ (*Dionysius Alex.* ad Domitium et Didymum de persecutione Deciana scribens apud Euseb., Hist. eccl. l. 7. c. 11.). Tandem de persecutione sub Valeriano *Lactantius* refert, in ea „multum quamvis brevi tempore, iusti sanguinis effusum esse“ (De mortibus persec. c. 5). Denique saevissima christianorum persecutio fuit Diocletiano et Maximiano imperatoribus, at-

que anno imprimis tercentesimo tertio in immensum quoddam incendium prorupit, atque ex hoc temporis momento per decem continenter annos plebem Dei depopulata est, ut scribit *Sulpicius Severus,* qui insuper haec refert: „Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est; neque maiore unquam triumpho vicimus, qui cum decem annorum stragibus vinci non potuimus“ (Hist. sac. l. 2). *Lactantius* vero crudelissimam persecutionem ita describit: „Vexabatur ergo universa terra, et praeter Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimae bestiae saeviebant. Non mihi, si linguae centum sint oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas, omnia poenarum percurrere nomina possem, quae iudices per provincias iustis atque innocentibus intulerunt (De mort. persec. c. 16. cf. cc. 19. 21. et Instit. l. 5. c. 9. 11). *Eusebio* vero testante in Phrygia urbs quaedam Christianorum tota cum omnibus incolis incendio combusta est (Hist. eccl. l. 8. c. 11). De ingenti martyrum Romanorum numero inscriptiones quoque catacumbarum testantur, ut v. g.: „Marcella et Christi martyres CCCCCL“, „CL martyres Christi“ (cf. *Wiseman,* Lectiones de scientia et religione, lect. 9.; *P. Allard,* Rome souterraine). Et *Cyprianus* iam declaravit, martyres christianos tot esse, ut numerari plane nequeant (De exhort. mart. cap. 11.). *Prudentius* vero poëta postquam martyrum sepulchra et monumenta Romae pie visitavit, ea hymnis suis celebravit: „Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe vidimus, O Christi Valeriane sacer. Incisos tumulis titulos, et singula quaeris nomina? Difficile esse, ut replicare queam. Tantos iustorum populos furor impius hausit, cum coleret patrios Troïa Roma deos“ (Peristeph.. hym. 11.)

7. Cum igitur historia evidenter testetur, ingentem martyrum numerum in persecutionibus Romanis interemptum esse, mirum est, quod tali quoque veritati contradictores exstiterint. Paucos tantum martyres in imperio Romano passos esse contendit circa finem saeculi XVII. *H. Dodwell,* (De paucitate martyrum, 1684) sed egregie confutatus est a *Ruinart* in praefatione eruditi operis: Acta martyrum,

aliisque auctoribus. Cum vero deinceps documenta quoque, quae in Catacumbis praesertim inventa sunt, antiquam traditionem confirmarint, hodie vel ipsi Rationalistae maximum martyrum numerum fuisse ingenue fatentur. Recentiore tempore alii praeeunte imprimis *Th. Mommsen*, affirmaverunt Christianos in imperio Romano non propter religionem suam, sed potius propter diversa delicta moralia et crimina politica passionibus et violentae morti subiectos esse, de quibus, quamvis plerumque immerito, accusabantur. Quam theoriam aeque falsam ac priorem inter alios refutavit *C. A. Kneller*, in Stimmen aus Maria-Laach II. Serie, Bd. 55, 1898, p. 1 ss. cf. *Wilmers*, De vera relig. prop. 113., et *Allard*, Histoire des persécutions, Le christianisme et l'empire Romain, Rome souterraine.

8. Verum non tantum in imperio Romano quondam martyres innumeri sanguinem suum pro religione christiana fuderunt, sed nunquam fere per saeculorum decursum ecclesia hoc triumpho caruit, ita ut martyrium tamquam perenne insigne vel charisma ecclesiae catholicae appareat. In persecutione Vandalica, quae in sola Africa vigebat, Victoria Vitensi referente quadraginta millia martyrum pro fide catholica morte afflicti sunt. Neque minore furore in Persia, apud Mahumedanos, et recentiore tempore apud Iaponenses, Sinenses, Annamitos, Coreenses contra christianos saevitum est. In prima persecutione persica sub Sapore rege v. g. secundum veterem scriptorem persicum 190.000 christiani occisi sunt. (cf. *Ruinart*, op. cit.). De recentioribus in Sina et Iapone aliisque persecutionibus referunt accurate ephemerides: *Die katholischen Missionen*. Si igitur persecutiones omnes comprehendamus, merito concludimus myriades christianorum ecclesiae catholicae veritatem sanguine suo effuso confessos esse. Quare recte et pulchre animadvertit *Hurter*: „Sicut enim ecclesiae nunquam defuere virginum lilia, ita semper quovis saeculo, quavis mundi plaga ea exornata fuit martyrum rosis eorumque sanguine irrigata: neque minor patiendi alacritas et virtus martyrum v. g. Iaponensium fuit, quam confessorum Ec-

clesiae recens natae fortitudo" (Comp. I. n. 89). Ceterum in sequenti expositione Romanos imprimis martyres spectamus.

9. b) Alterum momentum considerandum est, *quod innumerabiles hi homines exquisitissimis tormentis et immanissimis cruciatibus per plures frequenter dies affecti sunt.* Revera tormenta subeunda tanta erant, quae fortissimorum constantiam labefactarent, imo a quorum aspectu vel auditu vel sola recordatione animus refugit. Quidquid enim feracitate et crudelitate foecundum persecutorum ingenium invenire poterat cruciatuum et tormentorum, ad constantem martyrum animum frangendum adhibitum fuit. *Tacito* auctore Nero „quaesitissimis poenis affecit . . . quos vulgus christianos appellabat . . . Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur" (Annal. 15, 44). Nullum est supplicii genus, quod martyres non sint experti. Sic *Eusebio* teste perpessi sunt: „ignem et ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones, ac perustiones, confixiones et effossionem oculorum, totius denique corporis mutilationem, ad haec famem, ferrum, metalla ac vincula" (Hist. eccl. l. 7. c. 14). De omnibus fere martyriis valent, quae ecclesiae viennensis et lugdunensis in praeclara ad fratres per Asiam et Phrygiam constitutos de suis martyribus referunt epistola: „Et gravitatem quidem ipsam aeruminarum et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quaeque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate potest. Omnium siquidem virium impetu in nos irruit adversarius" (ap. Euseb., Hist. eccl. l. 5. c. 1). Similiter *Lactantius* testatur: „Quae autem per totum orbem singuli gesserint satellites impiae iussionis, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Itaque dici non potest, huiusmodi iudices quanta et quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum

propositi sui pervenirent. Contendunt, ut vincant, et exquisitos dolores corporibus immittunt, et nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur . . . Pertinaci stultitiae iubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur et reparetur novus sanguis ad poenam" (Instit. l. 5. c. 11). Pariter *Hieronymus* testatur lentis suppliciis tentatam esse martyrum patientiam, ut victi doloribus fidem negarent: „Verum hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens animas cupiebat iugulare, non corpora, et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait: volentibus mori non permittebatur occidi!" (In vita Pauli erem. n. 2). Ad quae immania tormenta accedit, quod ex altera parte apostatis voluptates promittebantur, divitiae, honores, imperatorum favor et gratia. Denique dolores ad summum saepe auxit, quod martyres simul adversus carnem et sanguinem et naturae affectus pugnare atque parentum, uxorum, filiorum lacrimas sustinere debuerunt, de qua re *Augustinus* notat: „Maiorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum quam persecutiones insectantium. Quam multus enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduae relinquerentur? Quam multi parentes filios prohibebant mori, sicut novimus et legitur in passione beatae Perpetuae? Facta sunt ista. Sed lacrimae quantaelibet et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem caritatis exstinguerent?" (Enarratio in ps. 47, n. 12). Cf. *Lact.*, De mortib. c. 21; *Euseb.*, Hist. eccl. l. 8. c. 4; *Hurter*, Opuscul. XIII. et XXII; *Gallonius*, De ss. martyrum cruciatibus.

c) Tertium momentum considerandum est, *quod ss.* **10.** *Martyres immania illa tormenta mirabili et plane heroica constantia et fortitudine pertulerunt necnon simul alias in tormentis egregias virtutes manifestarunt.* De qua re acta martyrum et alia monumenta antiquitatis luculenter testantur: „Eorum strenuitatem et tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? Qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam, qui

aderant, miserarentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerunt, ut nemo eorum vel strideret vel ingemisceret, omnibus ostendentes martyres Christi se tunc, dum torquerentur, a carne peregrinatos fuisse, aut potius Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum" (Epist. eccles. Smyrn. n. 2). Neque solum robusti viri sed decrepiti senes quoque, mulieres, imo pueri et puellae eadem constantia excelluerunt: „Latrones, inquit *Lactantius*, et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt, vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata sapientia. Nostri autem, ut de viris taceam, pueri et mulierculae tortores suos taciti vincunt et exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani et Mutio glorientur aut Regulo, quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco iniecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti, quem voluit occidere, eaque poena veniam, quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus et fragilis aetas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare, si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo" (Divin. instit. l. 5. c. 13). Imo ss. Martyres non solum constanter et fortiter cruciatus sustinebant, sed prompte atque alacriter necnon laete se illis obtulerunt atque in eis perstiterunt. *Sulpicio Severo* testante in una persecutione: „certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus pronis ambitionibus appetuntur" (Hist. sacr. l. 2). Exemplum huius rei *S. Ignatius* iam praebet, quippe qui, cum timeret, ne Romani martyrium suum impedirent, eos obsecravit, ne intempestiva benevolentia exhibita tanta gratia eum privarent: „Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum suum Dei et per ferarum dentes molar, ut purus panis Christi inveniar. Feris potius blandimini, ut mihi sepulchrum fiant nihilque mei corporis relinquant, ne, postquam obdormiero, gravis alicui fiam" (Ep. ad Rom. n. 4) Et *S. Laurentius* invidia

quasi affectus est, cum videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, atque flevit non quod ille pati, sed quod ipse remanere debuit. „Quo progrederis sine filio, pater? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit, pater? Numquid degenerem probasti?“ (Ap. S. Ambros. De offic. l. I. c. 41 n. 204). Denique non solum constantiam, fortitudinem, hilaritatem manifestarunt, sed aliarum quoque praestantissimarum virtutum egregia specimina in passione sua exhibuerunt, ut v. g. animi tranquillitatis, humilitatis et modestiae, salutaris timoris ex cognitione propriae infirmitatis, fiduciae et reverentiae in Deum, caritatis in Deum et proximum aliarumque. „Quomodo ampullae unguentorum, inquit *Augustinus*, quanto magis frangebantur, tanto amplius odor diffundebantur“ (Serm. 273).

d) Denique accedit quartum momentum, quod consi- 11.
derationem meretur, scilicet *prodigiosum adiutorium, quo saepe martyres donabantur, et insensibilitas, qua a dolorum sensu supra leges naturae eximebantur, necnon alii eventus mirabiles, qui passionem eorum non raro comitabantur.* De quibus omnibus antiqui scriptores et acta martyrum multa referunt. Ita v. g. non raro ferae bestiae martyres sibi obiectos non attingebant, miraculosus splendor in carceribus apparuit, in sepulchris martyrum crebra miracula facta sunt; Tipasae Hunerico rege martyres catholici lingua excisa locuti sunt; persecutores necnon christiani apostatae non raro misera morte perierunt. Huc quoque referenda sunt prudentissima martyrum responsa, de quibus Christus ipse praedixit: *„Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri“* (Luc. 21. 15). Atque haec sapientissima responsa et suae fidei argumenta plus quam humana non tantum reddebant viri, sed etiam feminae, nec solum docti et adultae aetatis, sed etiam rudes et pueri (cf. Acta martyr.: *Euseb.* H. E. l. 2. c. 25; *Lact.* de mort. persec.; *Augustinus,* De civ. D. l. 22. c. 8; *Socrates* H. E. 5, 19). Tandem, ut saepe considerant

Patres, tantum abest, ut ex tanta saevitia in christianos exercita eorum numerus imminueretur, ut potius mirum in modum augeretur. Quod testatur imprimis *Tertullianus* ita Romanos persecutores quasi lacessens: „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra . . . Nec quicquam tamen proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis christianorum" (Apol. c. 50). *Iustinus* vero idem similitudine illustrat. Postquam scilicet dixit: „Quanto magis magisque talia (tormenta) nobis infliguntur, et plures alii per nomen Iesu fideles et pii fiunt", hac ratione prosequitur: „Quemadmodum vitis, si quis partes illas amputat, quae fructum ferunt, ita proficit, ut alios florentes et fructiferos palmites rursus proferat. Idem quoque nobis evenit. Plantata enim a Deo et Salvatore Christo vitis populus eius est" (Dial. cum Tryph. n. 110). Similiter factum explanant *Theodoretus* (Serm. 9. de leg.) et auctor libri de duplici martyrio alias S. Cypriano adscripti. Unde *S. Ambrosius* Valentiniano imperatori scripsit: „Nunquam nobis amplius contulerunt (imperatores), quam cum verberari christianos atque proscribi ac necari iuberent . . . Per iniuriam, per inopiam, per supplicium nos crevimus" (ep. 18. n. 11). Et *Leo Magnus* hoc martyrum elogium tradit: „Singula grana, quae in terram cadebant, multiplicata enascebantur" (Serm. 1 de apostol. Petro et Paulo, sermo 82, cap. 6).

12. *4. Demonstrationis ratio atque divisio.* — Duobus modis martyres spectari possunt, formaliter et materialiter. *Formaliter* ut martyres i. e. testes spectati ex intima sua persuasione de religionis christianae veritate simulque de factis, quibus haec tamquam fundamentis suis innititur, sanguine suo effuso testati sunt. *Materialiter* spectati mirabile spectaculum menti consideranti sistunt: seriem scilicet hominum omnis nationis, aetatis, sexus, conditionis, qui tormenta immania, imo ipsam mortem patienter ideo tantum subeunt, ne fidem in Christum crucifixum negent; quod

apparet tamquam miraculum morale. Aliis verbis martyrium considerari potest primo tamquam testimonium humanum, quod indolem indubitatae veritatis praesefert; secundo vero simul est testimonium divinum, quatenus solus Deus ad tam constantem et heroicam fidei confessionem tot homines confortare potuit. Utrumque hunc argumentandi modum *Minutius Felix* contra ethnicos agens complectitur: „Nec intelligitis, o miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere“ (Octav. n. 37). Revera utroque modo consideratum martyrium invictum argumentum veritatis religionis christianae est. Quare in duas partes demonstratio dividitur: In prima martyrium ut testimonium humanum, in altera ut testimonium divinum consideratur.

Demonstratio.

I. p. Veritas religionis christianae demonstratur martyrio, ut est testimonium humanum.

13. *1. SS. Martyres testimonio non recusando de veritate ipsius religionis christianae directe testantur.* — Profecto enim martyrium, quale subierunt et supra expositum est, perspicue manifestat intimam et certissimam eorum persuasionem de infallibili religionis christianae veritate et divina origine. Neque enim sine tali convictione tot homines in tot atque tam saevis cruciatibus et aerumnis atque tot saeculorum non interrupta serie se morti crudelissimae pro ea tradidissent. Undenam vero talis et tam firmissima persuasio oriri potuit? Non certe ex fanatico furore aliisque causis erroris, quae iudicium intellectus perturbare et corrumpere solent. Etenim martyres minime fanatismo correpti vel instigati erant; plurimi scilicet ex ipsis viri graves erant, docti, sapientes, qui profecto, cum de negotio gravissimi momenti ageretur, de summa felicitatis suae et totius generis humani, in veritatem causae suae accurate et mature inquisierunt. Neque ulla alia istiusmodi hactenus assignari potuit causa, quae ad tam firmam et universalem

persuasionem, falsam licet, in mente gignendam proportionata esset. Ergo firmissima illa persuasio ex ipsius veritatis perspicientia orta est, sive haec perspicientia ex inspiratione divina, sive ex evidentibus credibilitatis motivis, sive ex utroque simul capite provenerit. Quare iam ex hoc solo capite testimonium martyrum christianorum ineluctabile veritatis argumentum est. „Cum quis viderit, inquit ad rem *Hieronymus*, tanta perseverantia stare Martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neque enim delicata et divitiis studens confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame, in nuditate et siti. Hic triumphus est Dei apostolorumque victoria" (Epist. ad Hedibiam 120. c. 10).

14. *2. Martyres deinde de factis quoque illis, quae credibilitatis motiva constituunt, praeclarum testimonium ferunt.* — Nimirum martyres non tantum de veritate doctrinae fidei verum de factorum quoque veritate, quibus fides innititur, praeclare testantur. *„Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos,* aiebat Christus ad Apostolos, *et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae"* (Act. 1, 8). Et revera *„virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi"* (ib. 4, 33). Declarant se imprimis Iesu, qui resurrexit, testes esse. *„Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus"* (Act. 2, 32). Et cum agebatur de novo Apostolo constituendo loco proditoris, S. Petrus dicit, *resurrectionis testem* eligendum esse: *„Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, incipiens a baptismate Ioannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis"* (ib. 1, 21, 22). Itaque resurrectionis imprimis factum et deinde etiam alia, quibus fides tamquam credibilitatis motivis innititur, facta Apostoli et ceteri primae et subsequentis ecclesiae martyres sanguine suo effuso confirmarunt.

Iamvero nullum aliud factum historicum invenitur, de 15.
cuius veritate centena millia hominum testati sint atque simul testimonium sanguine suo effuso confirmarint. Si igitur de martyrum testimonio dubitare liceret, de omni testimonio atque de omni facto historico consequenter dubitandum foret. Quod ut magis eluceat, duo illa momenta considerentur, quae testis auctoritatem efficiunt ideoque in omni testimonio attendenda sunt.

a) Nimirum primo consideretur *scientia martyrum*, quam de eventibus habebant, quibus primis saeculis religio christiana confirmata est. Imprimis eventus illos facile cognoscere poterant, quippe quorum plurimi testes immediati, alii quidem mediati, attamen non multum remoti fuerunt. Revera Apostoli ipsi aliique discipuli vitae et miraculorum et resurrectionis ipsius Christi testes immediati fuerunt; alii mirabilia ab Apostolis patrata signa propriis oculis conspexerunt; alii denique miraculorum, quae successores Apostolorum ceterique evangelii praecones in primis ecclesiae saeculis valde crebra, ut Traditio testatur, palam patrabant, testes oculati exstiterunt. Facile igitur martyres eventus, de quibus agitur, cognoscere poterant. Insuper autem eosdem non vere cognoscere non poterant. Etenim gravissimae profecto rationes martyres incitabant, ut ad illos eventus attenderent et in eosdem accurate inquirerent. Scilicet non solum aeternae salutis discrimen, sed ipsius temporalis vitae periculum attentionem ipsorum et inquisitionem necessario acuebant. Martyres enim, cum inter iucundam vitam et crudelissimam necnon ignominiosam mortem pro religionis christianae negatione vel eiusdem professione eligere deberent, sine dubio non poterant non diligenter inquirere, utrum ad violentam mortem prae vita eligendam obligati essent. De hac autem obligatione iis tunc solum constare poterat, si de eventibus, quibus religio christiana demonstratur divina, plane certi erant. Quare ad horum eventuum veritatem perpendendam iterum iterumque sane excitabantur.

16 b) Consideretur alterum momentum testis auctoritatem constituens, scilicet *veracitas martyrum*. Iamvero sub hoc respectu Martyres imprimis ipsa sua agendi ratione singularem veritatis amorem ostenderunt. Scilicet non raro a tortoribus provocati, ut ficte tantum fidem negarent vel aliud minus mandacium dicerent, mortem potius probrosam et aerumnosam pati, quam mendacio vitam emere maluerunt. Praeterea ut verissimum adagium fert, nemo gratis mendax. Iamvero martyres ex suo testimonio vel sua confessione praesertim mendaci nullum sibi commodum exspectare poterant, sed potius atrocissima tormenta et mortem ipsam et ipsius Dei iudicium sibi instare videbant; ex adverso autem maxima commoda et emolumenta eos exspectabant, si quidem a sua confessione desisterent. Ergo si quae unquam, martyrum confessio verax habenda est.

17. *Excipitur* quidem, martyres forte gloriae studio adactos esse ad falsam confessionem faciendam. — *R.* Exceptio imprimis cum manifesta martyrum probitate prorsus pugnat. Deinde eadem absurda appareret, si consideretur, non solum iuvenes et viros, gloriae saepe studiosos, sed tenellos infantes et decrepitas mulierculas quoque insigni constantia martyrium subiissse. Denique si res accurate consideretur, martyres, siquidem deceptores fuissent, nullam sibi gloriam rationabiliter promittere poterant. In hac scilicet absurda hypothesi illis profecto persuasum non erat, ecclesiam ad finem usque mundi permansuram esse; quare venerationem fidelium exspectare non poterant. Imo omnium posterorum vituperatio et exsecratio instabat, si quidem eorum fraudes et mendacia necessario aliquando detegenda fuissent. Quod vero per aliquod tempus forte a christianis celebrarentur, abunde sane gentilium et Iudaeorum contemptu et ipso ignominioso plerumque mortis violentiae genere compensabatur.

Itaque martyrum testimonium certissimam reddit veritatem eventuum, quibus religio christiana tamquam motivis credibilitatis innititur. Sub hoc autem respectu martyrum confessio non proprium sane veritatis religionis christianae

argumentum constituit, sed potius argumentum ex miraculis Christi, Apostolorum aliorumque Sanctorum petitum egregie confirmat atque in nova luce ponit.

2. p. Item martyrio, ut est testimonium divinum, veritas religionis christianae egregie demonstratur.

Secunda haec pars duas proprie assertiones continet. 18.
Prima est, martyres tot ac tanta tormenta atque tam aerumnosam et ignominiosam mortem sustinere non potuisse sine speciali prorsus Dei auxilio vel impulsu; secunda vero ponit, tale speciale Dei auxilium vel talem impulsum ad testimonii instar esse, quo ipse Deus de veritate religionis, pro qua martyres sanguinem suum fuderunt, aperte testetur. Atque hoc alterum post ea, quae supra (thes. 30. n. 29.) explicata sunt, plane evidens apparet; Deus enim ad falsam et malam religionem impellens tum a veracitate tum simpliciter a sanctitate deficeret. Quod quidem insuper omnium illorum hominum proborum, prudentium, veritatis studiosorum persuasione confirmatur, qui mirabili martyrum constantia religionem christianam aut amplexi sunt aut constanter in ea perseverarunt. Restat itaque solum, ut probetur primum, scilicet martyres speciali Dei auxilio vel impulsu confortatos esse seu martyrium, prout in ecclesia catholica apparet, esse miraculum morale. Ille vero influxus divinus non adeo vel non solum in intellectus illustratione, sed etiam et potissimum in voluntatis et generatim virium appetitivarum confortatione reponendus est

1. Probatur ex ipsa rei natura. — Revera homo natu- 19.
raliter spectatus vel a solo aspectu, imo a sola imaginatione tam immanium tormentorum, qualia martyres sustinuerunt, quam maxime fugit et abhorret, quod quidem tum experientia notum est tum ex ipsa natura eius animali-spirituali consequitur. Hinc multi sunt, imprimis sexus sequioris, qui nec operationem chirurgicam aspicere valent, quin mentis deliquium patiantur. Iamvero si a sola imaginatione vel aspectu talium tormentorum natura abhorret, quanto

minus natura sola ea sustinere valet, et imprimis ea sustinere alacriter, cum gaudio, cum animi serenitate insuperabili? Et si absonum apparet, talem animi fortitudinem vel robustis viris adscribere, quam stultum est, eam tribuere decrepitis senibus et mulierculis, tenellis infantibus atque virginibus? Ergo martyrum constantia specialem Dei influxum manifesto prodit. Ad rem *Athanasius:* „Si quis viderit homines natura imbecilles ad mortem fidenter convolare nec eius corruptionem . . . formidare, sed alacri animo illam provocare nec tormenta timere, sed potius Christi amore mortem praesenti vitae praeferre; si quis item spectator fuit virorum, mulierum tenerorumque puerorum, qui sua in Christum pietate impulsi ad mortem concurrunt et properant: quis ita stolidus vel incredulus aut mente obcoecatus fuerit, ut non intelligat aut cogitet Christum, cui testes esse merentur homines, singulis victoriam adversus mortem tribuere et concedere, illamque in omnibus, qui eius fidem habent, et crucis signum gerunt, infirmare?" (De incarn. n. 29). Item *Ambrosius* mira virginis Agnetis constantia descripta declarat: „Effecit denique, ut ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non crederetur. Quia quod ultra naturam est, de auctore naturae est" (De virginib. l. 1. c. 2. n. 8). Similiter *Justinus* de Christianis martyribus dicit: „Qui et gloriam et metum et mortem contempserunt: quandoquidem haec virtus inenarrabilis Patris efficit, non humanae rationis instrumenta" (Apol. 2, 10).

20. 2. *Ex eo, quod nulla alia causa assignari potest, per quam stupendum martyrii christiani phaenomenon sufficienter et adaequate explicaretur.* — Etenim omnes aliae causae, quae homines alioquin ad difficilia quoque instigare et in adversis sustinere solent, hac in re deficiunt. Scilicet

a) Martyres non movebantur spe lucri temporalis nec patriae amore, ut manifestum est; quia ipsa sua cruenta morte ostenderunt, se spretis omnibus bonis temporalibus sola aeterna sectari et patria terrena posthabita coelestem imprimis anhelare.

b) Neque vanae gloriae cupidine instigati erant. Hoc enim iam supra (n. 17) exclusum est. *Insuper* animadvertatur, quantumvis vana gloria aliquando hominum animos movere possit, nunquam tamen talem et tantum et tam universalem effectum ex vanae gloriae studio prodiisse. *Deinde* ista suppositio per ipsorum martyrum agendi rationem et confessionem prorsus excluditur. Ut enim v. g. *Eusebius* refert fideles ecclesiarum viennensis et lugdunensis fratribus in Asia et Phrygia degentibus de christianis, qui pro fide passi erant, hac ratione scripserunt: „Qui quidem Christum aemulari atque imitari tantopere studuerunt, . . . ut quamvis in tantum gloriae culmen evecti essent, neque semel atque iterum, sed saepius martyrium subiissent et a bestiis denuo in carcerem relati essent, quamvis ignium impressa vestigia, quamvis vibices et vulnera toto corpore circumferrent; tamen nec se ipsos martyres praedicarent nec a nobis ita se appellari paterentur. Verum si quis nostrum per litteras aut in familiari colloquio eos martyres compellasset, obiurgabant graviter atque increpabant . . . ‚Nos vero (dixerunt martyres illi) viles atqui abiecti confessores (sumus)'. Simul profusis lacrimis obsecrabant fratres, ut continuae ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur" (H. E. l. 5. c. 4). *Denique* plurimi martyres, cum conglobatim cum centenis et millenis aliis morti traderentur, optime norant sua nomina vel gloriam singulorum individualem ad posteritatem non perventura esse, praeterquam quod tyrannorum malitia martyrum memoriam abolere studiose quaerebat. Ad rem *Ruinart:* „Cum advertissent christiani nominis hostes, eiusmodi scriptis (actis martyrium) fidelium animos in sua religione confirmari et accendi, non christianis solum, sed et Christianorum libris bellum indixere, quod etiam ante magnam Diocletiani persecutionem gentilibus exprobrat Arnobius sub finem libri IV adversus gentiles. Quin et nonnulli provinciarum praesides vetuerunt, ne martyrum quaestiones cum actis publicis reservarentur, quod se martyrum constantia victos erubescerent, ut directe

observat de Daciano Hispaniarum praeside autor antiquus, qui acta S. Vincentii concinnavit. Ea de re conqueritur Prudentius in hymno de sanctis Martyribus Emetherio et Chelidonio, quorum martyrii acta gentiles suppresserunt, ne apud Christianos celebrarentur" (Act. martyr. Praef. c. 1. n. 4).

21. c) Neque fanatismo quodam caeco, quo martyres imbuti dicantur, eorum constantia explicatur. Etenim ne vestigia quidem fanatismi in martyribus christianis apparent. Scilicet *primo* fanaticus furor non solet ubique gentium innumeros homines cuiusvis conditionis et aetatis invadere neque diu durare, sed potius brevi exstingui reperitur. Martyres autem christiani magno numero apud omnes populos etiam maxime dissitos, omni ecclesiae aetate, in omni conditione et quovis vitae stadio exstiterunt. *Praeterea* fanatismi coecus furor potius ad agendum et dimicandum, quam ad patiendum, ad passiones et mortem aliis inferendam, quam ad eas patienter tolerandas impellit atque cum amore dominandi et nimio amore proprio coniunctus esse solet. Iamvero opposita horum omnium in christianis martyribus cernuntur: saeva tormenta et cruentam mortem insigni cum patientia sustinent, et tantum abest, ut animi elatione peccaverint, ut potius egregia humilitate, animi mansuetudine, abnegatione mira eminerent. *Denique* fanatici coeco impetu, inordinatis passionibus, ut odio, inimicitia aliisque feruntur. Ex adverso autem nihil horum apud martyres christianos apparet; sed miram animi tranquillitatem, coelestem sapientiam, heroicam caritatem mediis in tormentis exhibebant. A iudicibus interrogati sapientissima responsa dabant, contra tortores non recalcitrabant, imo tam heroico eos amore complectebantur, ut pro iis inter cruciatus orarent atque vel beneficiis eos hinc inde cumularent. Cuius caritatis praeclarum exemplum *Eusebius* de quodam Paulo martyre refert: „Qui . . . cum capitali sententia damnatus fuisset, imminente suae consummationis tempore, a carnifice, qui caput ipsi iamiam erat praecisurus, breve temporis spatium sibi concedi flagitavit. Eoque

impetrato, contenta voce, primo quidem pro universa Christianorum gente preces ad Deum fudit . . . Tum pro Iudaeis supplicavit, ut per Christi fidem ad Deum conversi accederent. Deinde progressus eadem pro Samaritis obsecravit. Post haec pro gentilibus . . . Sed nec promiscuae circumstantium turbae mentionem praetermisit. Post hos omnes, o vere eximiam et inexplicabilem animi mansuetudinem! pro ipso iudice, a quo capitis supplicio damnatus fuerat, pro imperatoribus ac pro ipso etiam carnifice, qui cervicem ipsi iamiam erat praecisurus, illo ipso et cunctis, qui aderant, audientibus, supplex omnipotentem Deum rogavit, ne, quod in ipsum admittebant facinus, illis imputaretur. Haec clara voce precatus cum universi miseratione eius commoti, utpote qui innocens occideretur, lacrimas funderent, nihilominus semet ipse composuit nudamque cervicem gladio feriendam praebens divino martyrio coronatus est" (De martyribus Palaestinae c. 8). Merito igitur Marcellus centurio ac martyr ad iudicem suum: „Furor, inquit, nullus est in iis, qui timent, Dominum" (*Ruinart*, Acta martyr.).

d) Neque sola spe beatae aeternitatis, qua martyres imbuti erant, mira eorum constantia adaequate explicatur. Concedendum sane est, martyres in sustinenda morte violenta ductos etiam esse rationibus obiectivis, ut spe praemiorum aeternorum; verum seposita supernaturali intellectus illustratione et voluntatis confortatione inde solum tanta et tam mira constantia et fortitudo provenire non potuerunt. Humana enim natura *primo* ita comparata est, ut bona vel mala praesentia et sensibilia magnopere nos afficiant; futura vero et spiritualia simul multo minos nos commoveant et saepe vix quidquam in nos valeant. Quod sane ipsa experientia confirmatur. Cum enim innumeri christiani eandem quidem fidem et spem habeant, iisdem tamen vix ac ne vix quidem adeo commoveri solent, ut vel ordinarias difficultates et tentationes superent. Quanto igitur minus sola hac ratione explicatur, quod innumeri martyres omnis aetatis, sexus, conditionis superata naturae 22.

infirmitate illecebris bonisque terrenis omnibus ludibria, tormenta, violentam mortem et quidem saepe in flore aetatis atque laeto constantique animo praetulerint? *Praeterea* spes illa beatae aeternitatis atque fides martyrum aut fundata erat et vera, aut futilis et falsa. Atqui fides inanis et erronea constantiam tam heroicam, virtutes tam sublimes atque eo usque ignotas producere non valent, nisi errores et vitia fontes esse statuantur sublimissarum virtutum, quod sane absonum est. Ergo fides martyrum vera atque spes eorum fundata erat.

23 *3. Ex martyrum sensu et gentilium confessione.* — Quod argumentis internis vel ex ipsa natura rei hucusque demonstratum est, argumentis externis quoque, scilicet martyrum ipsorum necnon aliorum christianorum atque ipsorum gentilium persuasione confirmatur.

a) Martyrum ipsorum firmissima persuasio fuit, se tantos cruciatus solum divino auxilio confortatos sustinere posse. Sic v. g. *S. Polycarpus* cum iam in rogo comburendus esset et gentiles eum affigere vellent: „Sinite, inquit, me sic; qui enim mihi dat, ignem pati, dabit et sine vestra ex clavis cautione immotum in pyra permanere“ (Ep. eccl. smyrn. c. 13). Et *S. Felicitas* cum in carcere partura multos dolores patiens ingemisceret ideoque a milite compellaretur: „Quae sic modo doles, quid facies obiecta bestiis?“ divino auxilio freta respondit: Modo „ego patior, quod patior; illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum“ (ap. *Ruinart*, martyr.). Similiter professa est *S. Dionysia*, cum iudex ipsi ignis poenam minaretur: „Deus meus maior est, quam tu ideoque minas tuas non timeo, qui potens est mihi dare in omnibus, quae intuleris, patientiam.“ Item *S. Potamiana*, cum iudicis iussu vestibus exuenda atque in lebetem ardenti pice repletum iniicienda esset, iudicem rogavit, ne nudaretur atque: „Iube, inquit, me paulatim in picem ferventem dimitti, ut videas, quantam mihi largitus est patientiam Christus.“ Et *Vincentius Levita* inter dirissima equulei tormenta tortorem quasi lacessivit: „Insurge et toto

malignitatis tuae spiritu debacchare. Videbis me Dei virtute plus posse, dum torqueor, quam possis ipse, qui torques." Denique in actis SS. Martyrum *Tarachi, Probi* et *Andronici* haec leguntur: „Andronicus dixit: Armatus a Deo meo ante te assisto in fide et virtute Domini Dei omnipotentis et Salvatoris nostri neque deos tuos sciens neque principes neque tribunal tuum metuens . . Et in prima interrogatione vexasti corpus meum et sanus ante tribunal tuum oblatus sum. Praesto est et nunc, qui me curat et solvat . . . Medicus noster grandis est et pius, o stulte. Non medicamentum ponit aut emplastrum, sed solo sermone curat omnes, qui sperant in eum. Habitat enim in coelo: praesens est ubique, quem tu non agnoscis, o insensate . . ." (cf. *Ruinart,* Act. mart. n. 6 etc.).

b) Eadem gentilium quoque, qui martyrium constan- 24.
tiam testes spectabant, persuasio fuit. Quod refert *Lactantius:* „Cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare." (Inst. l. 5. c. 13). Idem ex eo quoque patet, quod christianorum martyrio gentiles saepe movebantur ad religionem christianam amplectendam. Quod praeter *Tertullianum* iam supra (n. 11.) allatum etiam *Theodoretus* testatur, cum dicit tyrannos similes fuisse illis, qui ut flammas extinguant, oleum in eas infundunt atque sic magis eas inviti foveant. (cf. Graec. affect. curat. sermo 9.) Alia similitudine *Iustinus* rem illustrat dicens, „sicuti ex radicibus arborum caesarum multo plures, quam arbores caesae, propagines pullulant, ita ex sanguine martyrum multo plures quasi christianos enasci" (Dial. cum Tryph. n. 110). Atque idem insuper scriptor testatur, sibimet ipsi martyrum fortitudinem religionis christianae amplectendae causam exstitisse (Apol. 2).

4. Ex miraculis, quae non raro martyria comitabantur 25.
atque charismatibus, quibus martyres insigniti apparebant. — Deum speciali modo martyribus adstitisse multum sane

confirmatur extraordinariis atque miraculosis eventibus, qui martyria saepe comitabantur, necnon charismatibus, quibus ipsi martyres non raro insigniti erant. De quibus iam dictum est supra (n. 10).

26. 5. *Ex martyrio considerato generaliter tamquam duello inter ecclesiam et ethnicam superstitionem inito.* — Quam considerationem SS. Patribus innixus instituit *Hurter* in dissertatione: „Martyrum sanguis vox veritatis (opusc. SS. PP. 4). Nimirum illa consideratione instituta, quid mirabilius est, quam patiendo et moriendo non solum non vinci, non succumbere, non perire, sed potius vincere, praevalere, triumphare? Atqui christiani martyres revera patiendo et moriendo praeclaram victoriam et grandem triumphum reportarunt. Quod pulchre exponit *Chrysostomus:* „Ecclesiae fortitudo vehementius saepiusque quam templum (iudaicum) impugnata fuit: nunquam vero cessit se oppugnantium manibus, sed excelsior illustriorque maxime ab hostibus facta est. Tunc martyrum coetus, tunc confessorum multitudo, tunc ferro firmiores animae ostendebantur ipsisque stellis splendidiores erant, concisis corporibus, animis minime victis, sed vincentibus et coronatis. Quis audivit, quis vidit caedem gestare coronam, iugulationem victoriam reportantem, tunc exercitum splendidiorem effectum, cum plures visi sunt ab hostibus iugulari? . . . oppugnati sunt undecim apostoli, totus orbis oppugnabat: verum, qui oppugnabantur, vicerunt, qui oppugnabant, sublati sunt, oves devicere lupos" (In Is. c. 2. n. 3). Huc etiam pertinent verba auctoris l. de duplici martyrio alias *S. Cypriano* adscripti: „Quemadmodum Domini mors potentior erat, quam vita, ita voluit martyrum suorum mortem esse potentem. Quod enim infirmius, quam vinciri, damnari, caedi, cruciari, occidi et ad carnificis arbitrium praebere corpus? . . . Verum ubi iam ad monumenta martyrum pelluntur morbi, rugiunt daemones, terrentur monarchae, coruscant miracula, concidunt idola, tum apparet, quam potens sit et efficax martyrum sanguis" (n. 16).

6. Ex praedictione ipsius Christi. — Martyrium chri- 27.
stianum ab ipso Christo praedictum esse. iam supra (th. 41. n. 59) adnotatum est. Iamvero Christus simul non obscure significavit suam assistentiam summque auxilium martyribus non defuturum esse: „*In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum*“ (Ioan 16. 13). „*Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*“ (Matth. 10, 17 ss.).

Scholion.

Obiectiones reliquae solvuntur. — Obiectiones quibus 28.
adversarii religionis christianae demonstrationem ex martyrio factam enervare conantur, in ipsa demonstratione pleraeque iam praeclusae sunt. Ut vero inanitas rationum obiectarum penitus perspiciatur, quasdam accuratius considerare expedit.

1. Et primo quidem ad constantiam multorum aliorum hominum provocant, qui vel amore patriae moti ut milites et imprimis heroes quidam, vel errore religioso fanatico decepti vel passionum impetu abrepti cruciatus et ipsam mortem constanter pertulerunt. Nemo scilicet ex horum hominum constantia et fortitudine infert, specialem Dei interventum in tali casu admittendum esse, vel causam illorum fuisse iustam vel veram. Ergo neque ex martyrum constantia similis conclusio merito fieri videtur. — *R.* Paritas nulla est inter martyres ex una parte et quosvis heroes, milites, homines fanaticos ex altera parte; sed tot discrimina inter utrosque inveniuntur, ut his discriminibus supernaturalis martyrii christiani indoles vel maxime illustretur.

b) Imprimis quod milites attinet, qui ad libertatem 29.
honoremque patriae tuendum sanguinem et vitam profundunt, plura consideranda sunt, quibus discrimen inter eos et martyres manifeste appareat. Itaque *primo* necessitate

plerumque coguntur, cum nonnisi vel turpi fuga vel servitute indigna vel amissione bonorum vel graves solvendo poenas evadere possint; martyres vero tormenta omnia solo verbo vel nutu cum summi simul lucri spe effugere potuissent. *Secundo* milites non se exponunt morti certae sed plerumque saltem probabili tantum mortis periculo, cui quo animosius se obiiciunt, eo facilius plerumque illo perfunguntur: martyres vero cruciatibus horrendis certaeque morti se exposuerunt. *Tertio* militum mors plerumque subita est, quod dolores minuit: martyrum mors plerumque prolixa et horrenda fuit. *Quarto* martyres tormenta adibant animo tranquillo et placido et pacifico, absque ullo vindictae studio, absque ira et felle, bene affecti vel erga iudices et tortores, ipsis ex animo condonantes omnem iniuriam, humiles et de sua virtute diffidentes; milites plerumque in pericula ruunt ulciscendi studio iraque excitati, coeco animi impetu abrepti, suis confidentes viribus. *Quinto* martyres nulla lucri spe movebantur; milites amore patriae et suorum concivium, quos fortiter pugnando tuentur, spe praedae, gloriae, honoris, libertatis aliorumque bonorum temporalium alliciuntur. Ex quibus omnibus manifestum est militum fortitudinem immerito cum martyrum constantia comparari.

30. b) Deinde quod heroës quosdam constantia sua et mortis contemptu celebres attinet, ut Regulum, Scaevolam, utrumque Decium et Socratem, dicendum est, neque hos merito cum christianis martyribus comparari. *Imprimis* enim, cum christiani martyres sint innumeri, heroes illi valde rari fuerunt. *Praeterea* iidem heroes viri erant plerumque armorum usu bellique laboribus, durati, gloriae cupidi necnon patriae periculo ad magna facinora patranda quasi coacti et inflammati. Inter christianos autem martyres non solum viri, sed senes et feminae et pueri et puellae inveniuntur, qui omnes non temporalium, sed aeternorum bonorum spe atque amore movebantur.

31. c) Neque falsarum religionum sectatores, qui violentam mortem subierunt, cum christianis martyribus in compara-

tionem venire possunt. Quod facile patet, si paulo accuratius exempla considerentur quae adversarii speciatim opponunt. Itaque opponunt imprimis, quod in India orientali ad nostra usque tempora viduae a maritis relictae plurimae semetipsas igni tradunt comburendas, quod praeterea falsorum deorum cultores se ipsos mutilarunt et vulnerarunt (cf. 3 Reg 18. 28), quod deinde in eadem India nunc quoque homines ad deos placandos vel ipsam mortem appetunt idolorum plaustris se conterendos obiicientes, et quod denique Augustini tempore Circumcelliones de rupibus se praecipites dederunt.

Iamvero circa hos omnes *in genere* plura consideranda sunt. *Primo* martyres christiani omnes cuiusvis falsae religionis sectatores, qui obiiciuntur, numero longe excedunt. *Praeterea* eosdem excedunt magnitudine tormentorum, quae tolerarunt; talibus enim tamque horrendis aerumnis, quales martyres christiani sustinuerunt, nullus vel fere nullus eorum, qui oppoin solent, unquam subiectus est. *Denique* differentia quoque ingens in aliis adiunctis cernitur atque imprimis martyres christiani omnium virtutum comitatu confessionem suam exornarunt summaque libertate mortem obierunt, dum aliarum religionum sectatores ex more gentis inveterato vel ex coeco fanatismo, non vero proprie in confessionem veritatis suae religionis plerumque se morti tradiderunt.

In specie absurdum est, cum martyribus christianis 32.
comparare viduas illas, quae in India cremari solebant. Etenim *primo* istae miserae mulieres non libere, sed coactae morti se tradunt. Nisi scilicet ita agant, ex absona, sed inveterata gentis illius consuetudine in tristissimam sortem incidunt atque non solum sibi sed suae familiae quoque infamiam conciliant. Econtra violenta mors earum gloria reputatur, quare triumphali modo ante eam circumducuntur. Quae cum ita sint, viduae a parentibus coguntur, ut consuetudini patriae obsequantur *Deinde* vero nequaquam mortem patienter tolerant, sed tantos clamores tollunt, qui tantum adstantium clamoribus superentur: at-

que si, quod crebro accidit, ex rogo exsilire volunt, lignis atque postibus retunduntur et obruuntur. Neque lente sed subito atque celeriter cremantur. Ex opposito martyres christiani liberrime atque insigni cum patientia mortem obierunt; qui deficere vellent, eis honores et divitiae plerumque praesto erant. Lento igne aliisque dirissimis tormentis, ut ostensum est, plerumque cruciabantur, neque tamen impatientiae signum dederunt, neque se liberari conati sunt.

33. Longe etiam distant a christianis fanatici falsarum religionum sacerdotes, poenitentes Indici, Circumcelliones ceterique. Etenim *primo*, quae isti passi sunt vel sibi ipsi intulerunt, intuentibus atque applaudentibus multis hominibus sustinerunt, dum christiani martyres saepe in occulto vel plerumque in conspectu vituperantium et irridentium gentilium tormenta et mortem patiebantur. *Deinde* illorum passiones plerumque brevissimo tempore finiebantur, dum econtra christiani martyres diutino saepe tempore patiebantur; ad actum vero, qui momento vel brevissimo tempore perficitur, coecus mentis furor facillime abripere potest, sed patientiam in adversis non inspirat. *Praeterea* fanatici illi homines, ut poenitentes Indici non tam diversi sexus, aetatis condicionis sunt, quam martyres christiani; sed tantum fere inter adultos et homines inferiores conditionis inveniuntur; et dum christiani martyres innumeri perpetua innocentia et vitae integritate eminebant, illis multa plerumque scelera luenda sunt. *Denique* qui ex fanaticis illis sibimet ipsi tormenta inferre reperiuntur, frauues saepe hac in re exercentes alios decipere inventi sunt. Ceterum daemonem quoque in eiusmodi hominum superstitiosorum vanis spectaculis atque artificiis nonnunquam intervenire improbabile nequaquam videri potest.

34. Postremo, qui a sectis tamquam sui martyres ecclesiae catholicae martyribus opponuntur, nonnisi stulte et blaspheme cum his comparari possunt. Ita exempli causa in martyrologio anglicano a *Fox* composito coniuratores, rebelles, sicarii, ut Rogerius Acton tamquam sancti et mar-

tyres exhibentur. Atheistae vero tamquam martyres suos Caesarem Vanini necnon Iordanum Bruno. impios viros, colunt, qui non solum propter atheismi crimen, sed propter turpissima quoque contra nonestatem delicta merito ad rogum damnati sunt.

2. Dodwellus constantiam martyrum naturaliter explicari posse contendit atque in hunc finem quatuor causas adduxit. — Prima est tenax et obstinata indoles Galilaeorum, quam una cum nomine ad primos christianos transisse putat. Alteram vero causam affert primigenium rigorem christianae disciplinae et austerum vitae genus, quo christiani excercebantur aptique ad cruciatus perferendos reddebantur. Tertiam causam gloriae famaeque cupidinem numerat. Quartam denique causam addit spem melioris et aeternae vitae, quae martyrum mentem occupabat. — *R.* Tertia et quarta causa a Dodwello adductae iam supra exclusae sunt. *Prima* vero causa, indoles sc. naturalis Galilaeorum, inepte plane in medium producitur; non enim tantum Galilaei, sed ex omnibus gentibus atque nationibus christiani innumeri pro Christi fide sanguinem suum fuderunt. Quod autem nomen Galilaeorum a Celso et Iuliano contemptus causa ad Christianos translatum est, profecto non infert, christianos eiusdem indolis ac illos fuisse. Denique gratis et absurde asseritur, eiusmodi Galilaeorum indolem esse, quae par sit explicandae mirae constantiae, patientiae, fortitudini, quas martyrum historia contemplantis oculis subiicit. Neque multo magis apta *altera* causa est ad martyrium explicandum, abnegatio sc. Christianorum. Quaenam enim convenientia est inter vigilias, abstinentiam, ieiunia, quibus fideles se dabant. et illa tormenta. quibus a tyrannis afficiebantur? Si dicatur forte, illis abnegationibus voluntatem humanam corroborari, hoc concedi quidem potest: verum ex altera parte iisdem physicas vires infirmari atque ad sustinenda tormenta debiliores reddi etiam concedendum est. Praeterea multi pro fide mortem cruentam subierunt, qui nonnisi paucis ante martyrium diebus vel horis nomen Christo dederunt; imo pueri et puellae

36.

sanguinem suum pro fide christiana fuderunt. Horum autem constantia neque apparenter ista causa explicatur.

36. *3. Obiectum quoque est, iniuriosum Deo videri ponere, ipsius permissione fieri, ut qui religionem ab ipso revelatam amplectantur, suppliciis adeo atrocibus plectantur, potius igitur ex martyrio christiano concludendum esse, religionem christianam non esse revelatam. — R.* Cum Apostolo ad talem obiectionem regerere liceat: *„Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus, stultitia enim est illi et non potest intelligere“* (1 Cor. 2, 14). Tantum scilicet abest, ut ex martyrio christiano divina providentia culpari vel aversio Dei a religione christiana deduci possit, ut potius providentia Dei eiusque in religionem christianam propensio inde concludantur et illustrentur. Etenim *primo* sapienter profecto a Deo institutum est, ut praesens vita rationem probationis et viae ad terminum habeat; in quo dein termino iusta retributio fiet. Passiones itaque huius temporis, quibus boni premuntur, potius occasio meritorum sunt atque insigne amoris Dei argumentum, praesertim quia merces futura omnes praesentes passiones longe excedit. Quare Apostolus dicit: *„Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis“* (Rom. 8, 18). Unde quanta futura sit martyrum gloria, facile est coniicere: *„Beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis“* (Matth. 5, 11. 12). *Praeterea* ad Dei gloriam et religionis christianae honorem martyrium eo etiam maxime confert, quod hominibus ad oculos quasi demonstrat, nullum esse bonum creatum, quod non parvipendendum sit comparatum cum Deo summo bono eiusque cultu in religione christiana; scilicet ipsam vitam, quae est radix omnium bonorum temporalium pro Deo atque religione christiana martyres tradiderunt. *Deinde* martyrium omnipotentiam divinae gratiae insigni modo manifestat, quatenus ea homines infirmi et labiles ita roborantur atque confortantur, ut nulla vi creata a christiana religione avelli

queant; atque hinc, ut demonstratum est, praeclarum religionis christianae veritatis argumentum suppeditat. *Denique* persecutiones ecclesiae illatas ideo quoque Deus permittit, ut liberum persecutorum arbitrium servetur, atque ut a servis suis liberum obsequium sibi exhibeatur; in tali enim sancto libertatis exercitio tum dignitas humana tum Dei gloria maxime continentur. Ceterum ad totam hanc difficultatem vel quaestionem iam ab ethnicis quondam propositam praeclare respondit *Minucius Felix:* „Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas saepius disciplina virtutis est: vires denique et mentis et corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Omnes adeo vestri viri fortes, quos in exemplum praedicatis, aerumnis suis inclyti floruerunt. Itaque et nobis Deus necnon potest subvenire, nec despicit; cum sit omnium rector et amator suorum; sed in adversis unumquemque explorat et examinat, ingenium singulorum periculis pensitat, usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur.

Quam pulchrum spectaculum Deo, cum christianus 37.
cum dolore congreditur, cum adversum minas et supplicia et tormento componitur? cum strepitum mortis et horrorem carnificis irripiens inculcat (irridens insultat)? cum libertatem suam adversus reges et principes erigit? soli Deo, cuius est, cedit? cum triumphator et victor ipsi, qui adversum se sententiam dixit, insultat? vicit enim, qui, quod contendit, obtinuit. Quis non miles sub oculis imperatoris periculum audacius provocet? nemo enim praemium percipit ante experimentum: et imperator tamen, quod non habet, non dat: non potest propagare vitam, potest honestare militiam. At enim Dei miles nec in dolore deseritur, nec morte finitur. Sic christianus miser videri potest, non potest inveniri. Vos ipsi calamitosos viros ferti ad coelum Mucium Scaevolam, qui cum errasset in regem, perisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremari sine ullis

eiulatibus pertulerunt, cum dimitti praesertim haberent in sua potestate? Viros cum Mucio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri et mulierculae nostrae cruces et tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, miseri, neminem esse, qui aut sine ratione velit poenam subire, aut tormenta sine Deo possit sustinere. Nisi forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri! in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimae ad supplicium saginantur, ut hostiae ad poenam coronantur" (*Minuc. Felix,* Octav. n. 36. 37).

38. *4. Opponunt contra demonstrationem ex martyrio institutam SS. Patres, quippe qui axiomatis instar propugnaverint non poenam, sed causam facere martyrem.* Scilicet ex SS. Patrum sententia dicendum esse videatur, de vero martyrio constare non posse, nisi prius constet veram esse fidem, pro qua mors tolerata est; martyrium enim praecise mors est tolerata pro vera fide. Quo sensu *S. Augustinus* dicere videtur: „Christi martyrem non facit poena, sed causa" (Cont. Crescen. VII. c. 47. n. 51). Similiter vero rem exponit in Ps. 34. *S. Cyprianus* vero de haereticis ab ecclesia catholica avulsis scribit: „Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae, nec religiosae virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus" (De unit. eccl. n. 14.) — *R.* Sanctorum Patrum doctrina, quam his atque similibus sententiis profitentur, vera est neque tamen ea vis demonstrationis in hac thesi adhibitae tollitur. Scilicet illa Patrum doctrina ita explicatur et intelligitur.

39. a) Distinguendum apprime est inter ordinem ontologicum et logicum. In ordine ontologico fides sane prior est, quam martyrium; et proinde illa huius causa vel fundamentum est. In ordine logico autem, quamvis non semper aliquando tamen martyrium prius esse potest quam fides. Nimirum distinguendum est inter factum universale et certum atque factum singulare et dubitationi expositum. Si

de martyrio singularis alicuius hominis quaeritur vel paucorum et si res dubia apparet, inquirendum prius est, pro qua causa mors tolerata sit, ut de vero martyrio constet. Si autem de facto agitur, quod est valde universale atque iis adiunctis et notis insignitum resplendet, quibus martyrium christianum excellit, ex tali martyrio, ut supra demonstratum est, veritas religionis, quam sanguine suo martyres confessi sunt, legitime infertur.

b) Hinc SS. Patres merito reiiciunt modum procedendi illorum haereticorum, qui ex falso suorum martyrio sectae suae veritatem inferre volebant. Nam cum aliunde quoque de illarum sectarum falsitate constaret atque de ecclesiae catholicae veritate, SS. Patres recte concludebant, illa ab haereticis iactata martyria vere talia non esse i. e. haereticos non ex speciali adiutorio divino, sed propria pertinacia obstinatos mortem subiisse. Et revera violenta mors, quam haeretici quidam pro sua secta subierunt, nunquam ea adiuncta vel sigilla exhibere solet, quae supra in martyribus catholicis notata sunt. Haereticorum enim talium neque tantus numerus est neque tam varius conditione, aetate, sexu; neque haeretici iidem mortem suam iis virtutibus insigniverunt, quibus mors martyrum catholicorum resplendet; imo non leves defectus atque vitia manifestarunt, ut pertinaciam fanatismum, odium, superbiam, imprudentiam.

c) Si quis haereticus pro vero fidei articulo, quem 40.
secta eius retinuit, violentam mortem subeat, non pro sua secta, sed pro vero illo fidei articulo testimonium fert, coram Deo verus martyr est atque illa morte iustificationem, si quidem eam non habebat, recte dicitur lucrari. Coram ecclesia autem inter martyres non recensetur, quippe quia ab eius corpore actu separatus fuit. Cf. *Bened. XIV* de beatif. et canoniz. l. 3. c. 20. n. 4.

d) Denique notandum est, paucissimos haereticos pro sua secta violentam mortem subiise, sive priora sive posteriora aerae christianae saecula spectantur. Ad rem *S. Irenaeus:* „Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga

Deum, dilectionem multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium: esse enim martyrium verum sententiam eorum; nisi si unus aut duo aliquando, per omne tempus ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul baiulavit nominis et cum eis ductus est, velut adiectio quaedam donata eis" (Cont. haer. l. 4. c. 33. n. 9) Item *s. Cyprianus* persecutiones et martyria catholicae ecclesiae privilegia declarat: „Neque enim, inquit, persequitur et impugnat Christi adversarius nisi castra et milites Christi; haereticos prostratos semel et suos factos contemnit et praeterit." (Ep 61. ad Lucium pap Rom. n. 3).

41. 5. *Restat difficultas, quae contra vim probativam miraculorum moralium in genere fieri potest atque prima consideratione magis impedita et intricata apparet.* Videlicet, ut supra dictum est (th. 30. n. 27), miraculi moralis vis probativa in eo potissimum principio innititur, quod Deus errorem fovere vel ad eum impellere nullatenus potest. Iamvero contra hoc ipsum principium obiici potest, Deum quandoque in rebus morum et fidei ad errorem fovendum obligare vel impellere. Praecipit enim sequi conscientiam invincibiliter erroneam. Et deinde theologis docentibus gratiam largitur ad pium credulitatis affectum, quo quis ad falsum fidei articulum credendum allicitur. -- *Wilmers* conscientiam erroneam in re morali praesertim prae oculis habens hac ratione respondet: Notandum est in iudicio erroneo (falsae conscientiae) occurrere duo iudicia distincta. Altero iudicatur, hoc vel illud lege praecipi vel prohiberi; altero censetur, quod lege praeceptum existimatur, esse faciendum, quod prohibitum, esse omittendum. Illud iudicium est falsum nec Deum, sed hominem habet auctorem; istud est verum et exprimit legem, cuius auctor est Deus" (De ver. rel. n. 173). Verum haec responsio, quamvis, quae dicuntur, vera sint, obiectionem non plene expedit,

quippe quae instaurari potest, si v. g. in concreto ad martyrium applicetur: Etenim etiam apud haereticum pro fide sua haeretica morientem duo illa iudicia discerni possunt: primum, quo iudicat, haereticam suam fidem esse veram, alterum, quo iudicat sibi pro hac fide mortem violentam sustinendam esse. Cum vero haec ita sint, consequenter dici posset, martyres quidem in primo iudicio, scilicet fidem catholicam divinitus revelatam esse, quamvis firmissimum esset, misere errasse; in altera autem iudicio sibi pro ea fide moriendum esse nequaquam errasse, proindeque Deum eos ad hoc iudicium atque, ut secundum hoc iudicium agerent et pro fide sua mortem cruentam subirent, auxilio extraordinario impellere potuisse. Quae si vera essent, argumentatio in thesi facta esset penitus elisa. Aliter igitur respondendum est. Itaque

a) Imprimis considerandum est, Deum martyribus chri- 42.
stianis non solum gratias ad martyrium quomodocunque sustinendum adeoque peccatum vitandum necessarias dedisse; sed imo gratias plane speciales iis atque tam extraordinarias contulisse, ut cum gaudio quoque et exultatione saepe martyrium sustinerent. Iamvero favorem tam specialem haeretico suam haeresim bona forte fide et cruenta morte profitentem Deus nunquam largitus est, neque unquam largiri potest; secus enim reipsa externam haeresis professionem adeoque ipsam falsam fidem foveret et promoveret.

b) Considerandum est, quod martyres catholici ad spe- 43.
ciale auxilium divinum in martyrio sustinendo ipsis impensum tamquam ad argumentum veritatis fidei suae saepe provocarunt; atque eodem sensu tota ecclesia semper provocavit, necnon gentiles saepe cruenta ista et mirabilis fidei confessio ad religionem christianam amplectendam movit ac determinavit. Iamvero supposito tali christianorum ad martyrium provocatione et tali gentilium de martyrio christiano persuasione, si nihilominus christiana religio falsa esset, Deus martyres speciali suo auxilio confortans falsam fidem speciali modo fovisset, quod tum cum veracitate tum

cum providentia Dei aperte pugnat. Neque ullum exemplum adduci potest, quod haereticus aliquis sub talibus adiunctis, quae speciatem Dei protectionem manifestent, cruentam pro haeresi sua mortem subierit.

44. c) Considerandum est reipsa paucos haereticos pro fide sua falsa fidem subiisse, innumeros autem catholicos fidem suam cruenta morte confessos esse. Atqui ex eo praesertim, quod tantus est numerus martyrum catholicorum, et quod martyrium tamquam permanens ecclesiae charisma apparet, demonstratio supra facta processit. Per pauca igitur haereticorum martyria, etsi Deus suo auxilio in iis intervenerit, argumentatio facta nondum elideretur; Atque recte certe dicitur, divinae providentiae esse cavere. ut ne in magnum numerum haereticorum martyria excrescant, quia secus revera causa erroris exstarent. Etsi igitur in paucis et peculiaribus casibus Deus auxilio suo haereticum in morte pro fide sua sustinenda confortare posset, nequaquam tamen fieri potest, ut tales casus multiplicentur, quia secus revera homines necessario in errorem inducerentur.

45 d) Ceterum merito negari videtur, Deum unquam in ullo casu sua gratia haereticum ad mortem pro fide sua haeretica sustinendam impellere posse. Etenim quod *primo* obiectum illud falsae conscientiae iudicium in re morali attinet, disparitas videtur esse inter hunc casum et alterum haeretici martyrii. Etenim in primo casu secundum iudicium et actio, quae ex eo consequitur, non tendunt per se ad retinendum vel renovandum primum illud et falsum iudicium; quare neque gratia divina vel praeceptum Dei, quibus homo ad falsam suam conscientiam sequendam impellitur, ad fovendum vel renovandum primum et falsum iudicium tendunt; sed hoc a Deo simpliciter permittitur. In altero casu, martyrii scilicet, secundum iudicium et externa fidei professio cruenta directe et per se ad retinendum atque renovandum primum iudicium tendunt; imo non sunt, nisi renovatio et actuatio primi iudicii, scilicet fidei internae. Deus igitur ad secundum iudicium atque

ad externam fidei professionem impellens simul ad internam fidem impellit eamque fovet. Iamvero ad falsam fidem impellere eamque fovere Deus nullatenus potest; ergo haereticum ad cruentam pro fide sua mortem subeundam impellere eumque hac in re iuvare nequit. Si urgeatur tunc haereticum bonae fidei in tanto discrimine constitutum gratia necessaria privatum apparere responderi potest, si qua gratia specialis ipsi necessaria sit, Deum potius impensurum esse gratiam, qua intellectus illustratus catholicam veritatem cognoscat, quam alteram, qua voluntas in haeretica confessione confirmetur. Quod *deinde* obiectum pium credulitatis affectum spectat, quo quis ad falsum fidei articulum credendum allicitur, secure negari potest, talem pium credulitatis affectum, quem Deus gratia sua adiuvet, unquam hominem ad falsum quid credendum determinate allicere vel impellere.

Articulus secundus.

De mira religionis christianae propagatione.

Thesis 43. **Mira quoque religionis christianae propagatione tribus praesertim primis saeculis facta divina eiusdem religionis auctoritas invicte probatur.**

Cf. Wilmers, th. 110 ss. — Oltiger I, p. 850 ss. — Hettinger, p. 343 ss. — Poulpiquet, o. c., p. 121 ss.

Declaratio.

Argumentum thesis definitur et demonstratio dividitur. I. — Iam antiqui Apologetae e celerrima atque mira religionis christianae propagatione non una ratione veritatis eiusdem demonstrationem petiverunt. Et primo quidem laetissimam hanc diffusionem tamquam vaticinium manifeste impletum considerabant indeque religionis christianae divinam originem inferebant. Deinde considerantes, eandem religionem terrena emolumenta vel commoda temporalia ulla ne-

quaquam praebere, recte concludebant tot innumerorum hominum animos ad eam amplectendam moveri non potuisse, nisi apertis veritatis sigillis manifesto insignita esset. Denique considerabant gravissima impedimenta, quae eidem religioni obiiciebantur necnon media naturaliter infirma et insufficientia, quibus praecones eiusdem utebantur, atque inde inferebant, tam amplam diffusionem brevi tempore factam specialem Dei inventum manifesto arguere; sive ex propagatione tamquam ex miraculo morali argumentati sunt. Atque haec ultima demonstratio huius articuli vel praesentis thesis argumentum constituit. Eadem vero demonstratio ab adversariis duplici praesertim modo impugnatur; scilicet vel negant historicam mirae illius diffusionis veritatem vel eam ex naturalibus causis explicare conantur. Itaque tum historica huius rapidae propagationis veritas, tum supernaturalis eiusdem indoles vindicandae sunt. Quod ut clare et solide fiat, quatuor distincte et secundum ordinem explicanda sunt in quatuor distinctis assertionibus: primo, propagationem religionis christianae fuisse amplissimam simul et celerrimam: secundo plurima et gravissima per eam fuisse superanda obstacula; tertio media naturalia adhibita effectui producto fuisse prorsus improportionata; quarto, eundem igitur effectum sine speciali Dei influxu explicari non posse. In tota autem demonstratione tria potissimum priora aerae christianae saecula spectantur.

Demonstratio.

Assertio prima: Propagatio religionis christianae rapidissima simul atque amplissima fuit.

2. *1. Probatur ex actibus Apostolorum horumque epistolis.* – A primis suis initiis religionem christianam Apostolorum praedicatione rapidissime simul et amplissime propagatam esse, imprimis ipsa *sacra Scriptura* testatur, quippe quod tum in actibus Apostolorum diserte refertur tum ex epistolis eorundem manifesto colligitur. Iam prima Petri oratione paulo post Pentecosten habita ad fidem conversi fu-

ere circiter tria millia hominum. Alterius dein orationis ab eodem S. Petro eadem die habitae similis effectus fuit: *„Multi eorum, qui audierunt verbum, crediderunt: et factus est numerus virorum quinque milia“* (Act. 4, 4). Atque hic numerus quotidie augebatur, ut idem Lucas in iisdem actibus testatur: *„Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum et mulierum“* (Act. 5, 14). Atque haec iam primis fere a Pentecoste diebus acciderunt. Cum vero in civitate Hierosolymitana persecutio oriretur, discipuli Iudaeam et Samariam peragrantes evangelium ubique annuntiarunt (Act. 8, 3. 4.); imo usque Cyprum, Phoenicen, Antiochiam plures migraverunt; in qua civitate multi Christo adhaeserunt, *„ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli christiani“* (Act. 11, 18—26). Non multo post vero Apostoli in varias mundi plagas profecti sunt atque brevi tempore in toto imperio Romano, imo vel extra huius imperii limites non paucas ecclesias fundaverunt. Nondum elapso vicennio a morte Christi *S. Petrus* epistolam scribit *„electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae* (1. Pet. 1, 1.); et *S. Paulus* eodem circiter tempore ad Romanos scribit: *„Fides vestra annuntiatur in universo mundo“* (Rom. 1, 8). Atque in eadem epistola testatur, se usque ad Illyricum evangelium Christi annuntiasse. *„Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quae per me non efficit Christus in oboedientiam gentium verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi“* (ib. 15, 17 ss.). Insuper idem *S. Paulus* ante annum 65. suas scripsit epistolas ad Thessalonicenses. Galatas, Corinthios, Romanos, Colossenses, Ephesios, Philippenses, Timotheum, Titum; quod item apertum argumentum est, iam eo tempore multas exstitisse ecclesias atque longe lateque religionem christianam fuisse diffusam. Item *s. Ioannes* sub Domitiano circa finem primi saeculi septem ecclesiis scribit quae sunt in Asia et Epheso et Smyrnae, Pergamo, Thyatirae et Sardis et Philadelphiae et Laodiciae

(Apocal. 1, 11). Ergo iam Apostolorum tempore in magnum numerum christiani excreverunt

3. *2. Ex SS. Patrum testimoniis.* -- Mortuis scilicet Apostolis multitudo fidelium in immensum brevi tempore excrevit, ut imprimis ex multiplici christianorum testimonio constat. Iam enim *S. Clemens Papa* ad Corinthios scribit: „Hisce viris (Apostolis Petro et Paulo) aggregata est multitudo ingens electorum, qui multa martyria et tormenta sustinuerunt nobisque exempla facta sunt" (1. Ep. cap. 6). Et *S. Iustinus* medio saeculo secundo affirmat: „Nec ullum quidem est hominum genus sive barbarorum, sive graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine . . . . inter quos per nomen crucifixi Iesu supplicationes et gratiarum actiones non fiant" (Dial. cum Tryph. n. 117). Similiter *Irenaeus* testatur sua iam aetate in toto mundo propagatam fuisse christianam fidem: „Quamquam, inquit, dispares inter se mundi linguae sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Atque neque hae, quae in Germania sitae sunt ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt, neque quae in Hispaniis aut Galliis aut in Oriente, aut in Aegypto, aut in Africa aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent . . . Verum ut sol hic a Deo conditus in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis praedicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis cognitionem venire cupiunt illustrat" (C. haer. l. 3. c. 10). In libro ‚*Hermae pastor*' quoque egregium testimonium exstat: „Quoniam universae nationes, quae sub coelo sunt, audierunt et crediderunt et uno nomine filii Dei vocati sunt" (l. 3). Maxime *Tertullianus* in diversis operibus miram religionis christianae diffusionem praedicat et celebrat. Ita promissum in V. F. Messiam in Christo apparuisse ex amplitudine regni eiusdem comprobat atque declarat: „In quem alium universae gentes crediderunt. nisi in Christum? Cui alii credunt Parthi, Medi, Elamitae. et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam et incolentes Pontum et Asiam, et Pamphiliam, immorantes Aegyptum et regionem Africae trans Cyrenem, Romani et

gentes ceterae, ut Getulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum termini et Galliarum diversae nationes, Britannorum Romanis inaccessa loca, item Sarmatorum, Dacorum, Germanorum, Scytharum et aliarum abditarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus" (Adv. Iud. c. 7). Item celeberrimum testimonium eiusdem Tertulliani exstat in Apologetico: „Quid tamen unquam denotatis de tam conspiratis (christianis), de tam animatis ad mortem usque pro iniuria repensati, quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina secta, aut doleat pati, in quo probatur. Si enim et hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi, vel quantaecunque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis? Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?" (c. 37). Iterum alibi de eadem re his verbis testatur: „Quia iam nulla gens Dei extranea est, in omnem terram et in terminos orbis evangello coruscante" (De anima c. 49). *Lactantius* quoque testis est: „Manus suas in orientem occidentemque porrexit, ut iam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad iustitiae opera mitesceret" (De mort. persec. c. 3).

3. Ex testimoniis gentilium. — Ethnici quoque scrip- 4.
tores non obscure testantur, maximam factam esse primis saeculis religionis christianae diffusionem. *Tacitus* v. g. de Neroniana persecutione agens scribit, ingentem Christianorum multitudinem morte afflictam esse. Et *Plinius* iunior

in epistola ad Traianum imperatorem missa testatur se in Bithynia innumeros Christianos reperisse omnis aetatis, ordinis, utriusque sexus; et religionem christianam non solum civitates, sed vicos quoque atque pagos pervagatam esse, ideoque desolata prope esse templa et sollemnia diu intermissa (cf. testimonia ipsa supra th. 35. n. 10 ss.). *Suetonius* quoque testis est (cf. Vita Neron. c. 16). Denique *Seneca* S. Augustino testante scripsit: Usque eo consuetudo convaluit sceleratissimae gentis (christianae sc., quam cum Iudaea confundebat), ut per omnes iam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt" (Ap. S. Augustinum de civit. Dei l. 6. c. 11).

5. *4. Confirmatur ex consideratione historiae saeculi quarti.* — Si enim magna pars imperii Romani eo tempore nondum fuisset christiana, imperatori Constantino Magno potestas non fuisset palam se confiteri christianum, religionem christianam publice protegere et favore, nedum eandem ipsius imperii vel status religionem declarare. Quod adeo verum est, ut plures scriptores, quamvis immerito, Constantinum arguerint, quod humanae prudentiae rationibus sive causis politicis ad christianam religionem amplectandam adductus sit.

6. Cum itaque de maxima religionis christianae per tria priora saecula diffusione constet, *duo tamen praeterea animadvertenda sunt,* ut de ea rectum et verum iudicium feratur. Et *primo* quidem non tantum rudes et inculti homines, ut aliquando obiicitur, religionem christianam susceperunt, sed nobiles quoque, culti et eruditi; quod v. g. *Arnobius,* refert ex eo praecise momento credibilitatis motivum deducens: „Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi . . . quod tam magni ingenii oratores grammatici, rethores, consulti iuris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt spretis, quibus paulo antea fidebant?" (Adv. gent. l. 2. n. 5). Revera religionem christianam mox amplexi sunt sacerdotes iudaici, ut Crispus, Sosthenes, Apollo (Act. 6, 7; 18, 8. 24; 1 Cor. 1, 1.); praeterea alii Iudaei primores et exculti, ut Nicodemus, Iosephus ab Arimathaea, S. Paulus; deinde

gentiles docti et nobilis conditionis, ut Sergius Paulus Proconsul, Dionysius Areopagita (Act. 13, 7 ss.; 17, 34). Clemens Romanus, Hermas, Polycarpus, Ignatius, Glabrio, qui sub Traiano magistratum gessit, Iustinus, Athenagoras, Tatianus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Ammonius, Origenes, Aristides, Apollinaris, Quadratus, Apollonius aliique multi. Quod *Tertullianus* quoque testatur, qui christianos recenset ex palatio et senatu; et *Plinius* christianos esse omnis ordinis et conditionis commemorat (v supra n. 7) Scriptoribus vero archaelogiae christianae, ut *de Rossi* et *Kraus* aliisque referentibus iam primo et secundo saeculo familiae Romanae spectatissimae et nobilissimae necnon regii quoque sanguinis in coemeterio Callisti sua monumenta funebria habebant, ut v. g. familia Caeciliorum, Anniorum, Bassorum, Aemiliorum, Pomponiorum, Cornelii orum, Flaviorum, Antoniorum. Quapropter merito *s. Hieronymus* iam scripsit: „Discant ergo Celsus, Porphirius, Iulianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores (qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores) quanti et quales viri eam fundaverint et adornaverint; et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere suamque potius imperitiam agnoscant" (De vir. il. prodrom.). Imo eo usque urbes et superiores imprimis hominum classes religio christiana sibi subiecit, ut gentilis superstitio ultimum suum refugium in pagis apud rudem populum haberet, unde gentiles pagani dicti sunt. Brevi igitur tempore gentilitas ab ecclesia devicta et prostrata est. Ad rem iterum *Hieronymus* „Solitudinem patitur et in urbe gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus et noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras et ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat. iam Aegyptius Serapis factus est Christianus. Marnas Ganae luget inclusus et eversionem templi iugiter pertimescit. De India, Perside, Aethiopia monachorum quotidie turbas suspicimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythiae frigora fervent

calore fidei: Getarum rutilus et flavens exercitus ecclesiarum circumfert tentoria" (Ep. 107. n. 2).

7. Animadvertendum quoque est *secundo*, tempore originis religionis christianae atque subsequentibus quoque saeculis commercium diversarum inter se regionum et gentium fuisse multo difficilius et impeditius quam nostro tempore, quo tot atque tam insignia communicationis media exstant, atque maxime dissitas regiones et nationes sibi propinquiores quodammodo reddunt. Quibus consideratis sine dubio fatendum est propagationem religionis christianae primis aerae christianae saeculis factam celerrimam simul atque amplissimam fuisse.

Assertio secunda: Plura et gravissima impedimenta ecclesiae propagationi obstabant.

8. Quanta propagationi ecclesiae primis saeculis obstacula obniterentur, evidenter patet, si ex una parte ipsa religionis christianae origo et indoles, ex altera vero parte mundus ad hanc religionem convertendus consideretur. Itaque

1. Consideranda est doctrina theoretica religionis christianae. — Haec quidem in se perfecta est atque sublimis necnon humanae naturae maxime congrua; verum etiam incomprehensibilia mysteria continet, quae a Iudaeorum et gentilium superbis mentibus atque inveteratis placitis plane aliena erant. Etenim religio christiana tamquam Deum vel Deum-hominem colendum proponebat hominem, qui ex gente oriundus erat iam diu ab aliis populis despecta et odio habita, qui praeterea a propria sua gente tamquam publicus infamis ignominiosissimo crucis supplicio peremptus est; qui proinde, *„Iudaeis scandalum, gentibus autem stultitia"* erat. Revera tum apud Iudaeos tum apud Gentiles nihil crucis supplicio ignominiosius erat. Cuius rei testis est v. g. *Cicero* utpote qui hoc supplicii genus „a civium Romanorum non modo corpore, sed etiam cogitatione, oculis, auribus abesse" desiderat, „quippe cuius non modo eventus et perpessio, sed etiam conditio et exspectatio, mentio denique ipsa, indigna cive Romano et ho-

mine libero sit" (Pro Rabirio c. 5). Difficultatem augebant cetera mysteria, ut SS. Trinitatis, SS. Eucharistiae, quippe quae, quamvis allicere possint hominem probae atque innocentis vitae, homines superbos tamen et vitiis praesertim carnalibus deditos ab ecclesia potius repellunt; etenim haec mysteria a sensibus sunt remotissima, spiritualia autem a carnalibus difficulter intelliguntur. Quare eiusmodi hominibus difficillimum profecto erat, talibus mysteriis assensum adhibere, praesertim irreformabilem et super omnia firmum, qualem fides christiana postulat.

2. *Deinde doctrina practica christiana consideranda est.* 9. — Haec item in se quidem purissima et pulcherrima est hominisque naturae maxime accommodata; verum ideo, prouti mentibus puris accepta est easque allicit, ita animis vitiis corruptis naturaliter exosa atque horrori est. Etenim legem sanctissimam proponit ac bellum continuum corruptae naturae malisque cupiditatibus indicit; quod pulchre exponit *s. Augustinus:* „Dicitur avaris: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur*" (Matth. 6, 19); dicitur luxuriosis: „*qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam*" (Gal. 6, 8); dicitur superbis: „*omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*" (Luc. 14, 11; 18, 14); dicitur iracundis: „*Et qui te percutit in maxillam, praebe et alteram*" (Luc. 6 29; Matth. 5, 39); dicitur discordiosis; „*Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*" (Luc. 6, 27); dicitur superstitiosis: „*ecce enim regnum Dei inter vos est*" (Luc. 17, 21); dicitur curiosis: „*non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt*" (2. Cor. 4, 18); postremo dicitur omnibus: „*Nolite diligere mundum neque ea, quae in mundo sunt . . . quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae*" (1. Ioan. 2, 15 16). (De ver. rel. c. 3. ss.). Atque haec omnia iis persuadenda erant, qui ad doctrinam adeo sublimem amplectendam et vitam adeo

puram atque sanctam degendam longa vitiorum et corruptionis consuetudine falsisque doctrinis moralibus naturaliter penitus inepti erant.

10 *3. Considerandi sunt specialia impedimenta, quae ex parte Iudaeorum suscipiendae christianae fidei obstabant.* — Iudaei scilicet inextinguibili fere odio contra religionem christianam ardebant. Suis enim caeremoniis suaeque religioni, secundum quam gens electa erant, tenacissime adhaerebant, a societate cum gentibus abhorrebant; Messiam quidem promissum exspectabant, sed talem, qui esset rex potentissimus eosque a Romanorum iugo liberaret; a Christo humili, paupere, patiente, crucifixo plane abhorrebant. Quare quaecumque abiectissima quoque media adhibebant, ut ecclesiam Christi labefactarent. Calumnias pessimas atque maxime infames non tantum in Iudaea spargebant, sed in omnem regionem, quaquaversus inter Gentiles quoque ecclesia propagabatur, emissarios mittebant, qui contra christianos odia, contemptus, ludibria excitarent. Neque solum Apostolos violenter persecuti sunt atque Iacobum necnon Stephanum occiderunt, sed aliarum quoque posteriorum persecutionum fautores atque instigatores fuerunt; quare *Tertullianus* Synagogas *fontes persecutionum Christianorum* vocavit (Scorp. c. 10) cf. *Orig.* c. Cels. l. 2. n. 4.

11. *4. Succedunt considerandi maiora etiam obstacula, quae speciatim gentiles a religione christiana deterrebant.* — Gentiles enim vel ab omni fere religione aversi erant, ut multi docti et exculti philosophi, vel inveterata consuetudine traditis superstitionibus inhaerebant, ut plerumque rudis populus; utrique autem naturaliter a religione abhorrebant, quae adeo severe vitia, cupidinem, libidines damnat, quibus illi misere immersi erant. Accedit quod apud Gentiles superstitio inveterata arcte connexa apparebat cum artibus, scientiis, universa cultura sua necnon cum ceteris patriae suae institutis et fortuna. Christiana igitur religio, utpote nova et universalis naturaliter iis displicebat et repugnabat. Deinde auctoritas et avaritia sacerdotum gentilium admodum religioni christianae obstabat. Cum enim ab idolola-

tria auctoritatem suam atque divitias aliaquè commoda repeterent, ingenti odio novam religionem ipsorum studiis nocivam prosequebantur. Denique cum apud gentes barbaras magna feritas et socordia vincendae essent, apud gentes excultas, Graecos atque Romanos, sectae philosophorum maxime se religioni christianae opposuerunt eique continua et maxima impedimenta obiecerunt. Etenim philosophi systemata sua iactantes atque de sapientia sua superbe confisi, cum per religionem christianam suas scholas suamque doctrinam periclitari atque confundi viderent, odio exardentes christianam doctrinam verbo et scripto insectantes omni opera expugnare conati sunt. Christianos atheos esse, solem, caput asininum, vel turpiores adhuc res adorare audacter calumniabant. Fidem coecam iisdem, ignorantiam, paupertatem exprobrabant, calamitates publicas eorum a cultu paterno defectioni adscribebant atque tamquam rei publicae inimicos eos accusabant. Sic *Tertulliano* testante gentiles existimabant „omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si coelum stetit, si terra movit, si fames, si lues statim: „Christiani ad leones" (Apol. c. 40). Et *Porphyrius* peste grassante scribit: „Et nunc mirum ulli videatur, civitatem hoc morbo tot iam annos conflictari, cum Aesculapius ceterique dii hominum se consuetudini consortioque subtraxerint! Ex quo enim Iesus coli coeptus est, communem ac publicam deorum opem nemo sensit" (Apud. *Euseb.* praep. av. l. 5. c. 1.; cf. *Tertull.* Apol. c. 16.; *Minuc.* Fel. Octav. c. 29.; *Augustinus,* De civit. Dei in primis libris; *Arnobius* adv. nation. l. 1).

12. 5. *Neque praetermittenda est considcratio impedimenti maximi ponderis, quod in imperatorum et magistratuum oppositione contra religionem christianam positum erat* — De quo impedimento cum iam dictum sit in thesi praecedente, mente recolatur, quam crudeli sorte se exponerent, qui religionem christianam amplectebantur. Mala scilicet saepe tam horrenda atque acerba eos exspectabant, ut, etsi reli-

gio christiana nec ardua dogmatum nec aspera praeceptorum ratione fuisset, deterreri tamen omnes ab ea amplectenda debuissent. Et primo quidem quicunque christianam religionem amplectebatur, homo abiectus et perditus, Caesarum et magistratuum osor habebatur. Deinde promptus esse debebat ad bona omnia amittenda, quae carissima vulgo ab hominibus existimantur. Denique opus erat, ut animo comparatus ita esset, ut nec ab exilio, carcere, vinculis nec a cruciatibus ipsaque morte abhorreret.

13. *6. Denique considerandum est impedimentum, quod propagationi religionis christianae haereses obiecerunt.* — Nimirum haereses effecerunt, ut divisi inter se christiani apparerent atque ideo doctrina eorum minus fide digna videretur. Revera ex hac dissensione tum Iudaei tum Gentiles contra veritatem christianam argumentabantur, quemadmodum Celsus aliique; ut videri potest apud *Originem* C. Cels. l. 5 et *Clementem Alex.* Strom. l. 7. Imprimis Gnostici, vitiis infamibus notati propagationem religionis christianae maxime impediverunt, ut testatur *Epiphanius:* „Hoc hominum genus ad ecclesiae Dei probrum et offendiculum adornasse ac submisisse Satanas videtur: quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint, ut propter illos offensae nationes a sanctae Dei ecclesiae utilitate abhorreant, nuntiatamque veritatem ob immania illorum facinora et incredibilem nequitiam repudient" (Adv. haer. l. 1. haer. 27. n. 3).

Assertio tertia: Naturalibus mediis atque praesidiis neque tot et tanta obstacula superari, neque tanta propagatio produci potuit

14. Adversarii religionis christianae, sicuti propagationis effectum mirabilem minuere et extenuare conantur, ita eundem causis mediisque naturalibus explicare student. Recentiore imprimis tempore id plures tentarunt praeeunte *Eduardo Gibbon* quem secuti sunt *Rénan*, *F. C. Baur* aliique. Diversae vero a diversis causae naturales ad explicandam propagationem illam celerem adducuntur, quarum

potissimae sitae sunt: primo in praeconibus religionis christianae; secundo in doctrina proposita moribusque christianorum; tertio in hominum ad christianam religionem accedentium natura, conditione et animi affectionibus; quarto in adiunctis politicis atque socialibus primorum saeculorum. Iam vero per causas naturales sive singulae in se considerentur, sive omnes simul sumptae collective, propagatio religionis christianae nequaquam explicatur, quod iam demonstrandum est. Itaque

1. Mira religionis christianae propagatio sufficientem causam non habet in praeconibus eiusdem, siquidem eorum dotes naturales spectantur. — Atque hoc quidem cuivis homini manifestum esse debet, qui rem sincera mente atque praeiudiciis vacua considerat. Revera. 15.

a) Imprimis primi praecones, Apostoli spectentur. Generatim nulla dote naturali, quae eos singulari modo commendasset, inter ceteros homines eminebant, neque nobilitate neque divitiis neque doctrina vel scientia neque eloquentia, neque potentia. Pauperes erant atque humilis conditionis, simplices et inculti plerique piscatores, necnon Iudaeis atque gentibus exosi. S. Paulus quidem eatenus excipiendus est quatenus egregiis animi dotibus naturalibus praestabat; verum et ipse divitiis et potentia caruit, et quod caput est, non dotibus suis naturalibus fidit, sed nihil se scire nisi Christum et hunc crucifixum cum ceteris Apostolis professus est (1. Cor. 2. 2). Iamvero horum hominum simplicium, humilium, illiteratorum praedicatio nuda et inermis, naturalibus praesidiis destituta admirabilem triumphum egit de Iudaeorum pervicacia, de gentilium superstitione et libidine, de philosophorum calumniis et sophistica sapientia, de saevitia quorumcunque christianae fidei persecutorum. Longe enim lateque iam Apostoli per Romanum imperium et ultra gentilium superstitionem destruxerunt atque religionem christianam implantantes vexillum crucis erexerunt. Qui vero aequi iudicii vir talem et tantum effectum talium hominum naturali potentiae tribuere possit? Profecto tam pulchre quam vere ipse Apostolus

declarat: „*Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus . . . sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius*" (1. Cor. 1. 25 ss.). Atque iterum: „*Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*" (ib. 2, 4. 5). Apostolum sequentes antiqui scriptores ecclesiastici quoque ex defectu proportionis inter miram fidei christianae propagationem et Apostolorum, praeconum eiusdem, naturales dotes ad interventum divinae omnipotentiae merito concluserunt. „Si de prima Christianorum constitutione verisimilis habendus est sermo, inquit *Origenes*, dicemus, probabile non esse, Apostolos plebeios et sine litteris viros ad religionem christianam hominibus annuntiandam alia re confisos esse, quam collata sibi potestate et gratia, quae eorum praedicationis comes erat, ut annuntiata ab ipsis doctrina reciperetur" (C. Cels. l. 8. n. 47). Similiter *Eusebius* declarat: „Dum ad ipsius Verbi potentiam respicio, ut innumerabilibus hominum conventibus persuaserit atque ut ab ipsis illis ignobilissimis et aggrestibus Iesu discipulis numerosissimae ecclesiae constitutae sint, non in quibusdam ignotis atque obscuris locis, sed in clarissimis civitatibus erectae, in ipsa, inquam, aliarum urbium regina, Romana urbe . . . retro cogor necessitate quadam ad ipsius rei causam inquirendam recurrere, faterique, non aliter ipsos facinus tam audax obtinuisse, quam diviniori quadam longeque humanam superante potentia" (Dem. evang. l. 3. c. 7). Denique *Ambrosius* quoque: „Adverte, inquit, coeleste consilium; non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit, (sc. Christus), ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentiae nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis

ratio, non disputationis gratia praevaleret" (in Luc. l. 5. n. 44).

b) Deinde similiter ac de Apostolis, *de iis quoque iudi-* 16.
candum est, qui illis evangelii praecones successerunt. Dotes eorum naturales effectui producto nequaquam proportionatae erant. Multi enim religionis christianae praecones non adeo dotibus naturalibus eminuerunt vel certe, qui eminebant, non multum doctis et eruditis expositionibus sed virtuti verbo Dei insitae atque divinae gratiae auxilio innixi et confisi sunt. Porro Apologetas ceterosque scriptores ecclesiasticos libris conscriptis ad ecclesiae propagationem contulisse fatendum quidem est; verum tali causae effectum eundem maximam partem adscribere, prorsus est absonum. Libri enim illi non erant adeo diffusi neque sane a rudi populo multum legebantur. Ceterum si dotibus naturalibus praeconum christianorum, scientiae et eruditioni et libris eorum tribui possit christianae religionis diffusio, cur itaque scholae philosophicae, qui illis mediis maxime utebantur, doctrinas suas non late diffuderunt? Scilicet diffusio religionis christianae ista ratione minime explicatur.

Excipiunt aliqui opponendo zelum ardentem atque inextinguibilem evangelii praeconum, quasi ex eo mira ecclesiae propagatio naturaliter explicetur. — *R.* Ille zelus per se spectatus solus superandis tantis difficultatibus, removendis tot impedimentis, producendo tanto effectui impar erat. Deficientibus enim mediis proportionatis zelus solus non sufficit, quippe qui inopiam mediorum tollere nequit. Praeterea ipse ille praeconum christianorum zelus tam mirabilis, tam constans, tam communis, tam in omnibus difficultatibus infractus naturaliter nullo modo explicatur. Talis enim coelestis Dei et hominum dilectio, quae fortis est ut mors imo vel fortior, in nulla alia religione apparet vel potius nec umbra eius conspicitur. Quo ipsius Christi verba pertinent: *„In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem"* (Ioan. 13, 35). Revera ille mirabilis ardor, quo tot homines adeo accensi erant, ut despectis omnibus commodis et bonis temporali-

bus ad animas Christo lucrandas anhelarent et vel pro una anima lucranda vitam et sanguinem fundere parati essent, naturae viros omnes excedit et naturalem quamvis explicationem fugit. Tanta atque tam divina caritas nonnisi divinitus inspirata esse potest.

17. *2) Item mira fidei christianae diffusio non explicatur ex doctrinarum indole, quas complectitur.* — Religionis christianae adversarii contendunt, propter singularem religionis christianae cum natura humana congruitatem in nonnullis praesertim doctrinae capitibus singularem quoque hominum fuisse in eam propensionem, ideoque hac ratione celerem ecclesiae propagationem naturaliter commode explicari. Verum iam supra dictum est, religionem christianam, quamvis naturae humanae sit maxime congrua, ea tamen simul exhibere, quae humanam rationem excedunt et humanis passionibus repugnant ideoque celeri propagationi potius opponuntur. Verum ut res plane in aperto ponatur, singula doctrinae capita, ad quae adversarii provocant, paucis considerentur.

18. a) Doctrina immortalitatis et retributionis iustae in altera vita ab aliis quoque religionibus proponebatur, ut vel ex eo iam constat, quod poëtae, ut *Virgilius* in Aeneidis l. 4. impiorum poenas atque bonorum felicitatem in altera vita vividissimis coloribus depingunt. Ex hac itaque parte propagatio fidei christianae non explicatur. Imo vero beatitudo et poena alterius vitae, quales a doctrina christiana proponuntur, gentilibus potius repugnabant, si res naturaliter consideretur; quia retributio eadem, utpote spiritualis et supernaturalis, a carnalibus eorundem inclinationibus aliena prorsus erat iisque plane opposita. Quare hoc utrumque retributionis futurae dogma christianum, imprimis resurrectionis corporum, a Gentilibus potius impugnatum est, ut ex Apologetarum scriptis constat, qui toti saepe in eo sunt, ut utrumque illud dogma defendant. Cf. *Minuc. Fel.*, Octav. cap. 12.; *Athenagoras,* De resurrect. mortuor.

19. b) Quod deinde monotheismum attinet, hunc etiam Iudaei necnon philosophi plures docuerunt. Praeterea autem

Deum non solum unum natura, sed trinum quoque personis esse religio christiana confitetur, et plura alia de Deo mysteria proponit, quae a mente humana, praesertim sensibilibus dedita, valde sunt remota; quae proinde ut credantur, intellectus in captivitatem redigendus est. Quod igitur nonnulli censent, professione sc. monotheismi conversionem ad religionem christianam fuisse absolutam, plane falsum est.

c) Neque dici potest, eximiam puritatem doctrinae mo- 20.
ralis christianae hominum illius temporis naturalibus desideriis respondisse atque hac ratione naturaliter miram religionis christianae propagationem explicari. Etenim si res diiudicanda sit secundum adagium: Quidquid recipitur, secundum modum recipientis recipitur, doctrina christiana homines maxime gentiles priorum saeculorum potius repellere quam allicere debuit. Quod enim adversarii dicunt, imperatorum praesertim tempore commune fuisse purioris vitae desiderium, mera fictio est cum historia pugnans. Etenim non solum christiani, sed gentiles quoque eo tempore mores maxime depravatos fuisse testantur. Et quidem haec morum depravatio non partem tantum hominum, sed integram societatem invaserat, ut ex consideratione spectaculorum, exercitiorum cultus, ludorum popularium satis abunde constat. Quare *Tertullianus*, morum suae aetatis probe gnarus, scribere non dubitat: „Plures invenias, quos magis periculum voluptatis quam vitae avocet ab hac secta“ (De spect. cap. 2).

d) Religio christiana neque eo, quod characterem habet 21.
universalem et quod certa ratione omnium hominum aequalitatem quoad naturam, et christianorum quoad elevationem supernaturalem statuit, tam innumeros homines ad se allicere atque attrahere naturaliter potuit. Etenim quemadmodum talis aequalitatis hominum doctrina pauperes, rudes, servos allicere poterat, ita dominis nondum conversis, divitibus, primariis hominibus naturaliter invisa esse debebat. Ceterum servi quoque et generatim inferioris conditionis homines atque ii imprimis ita moribus corrupti erant, ut a

purissima Christi doctrina naturaliter multum allici non possent. Porro universalis talis character religionis gentilibus plane novus fuit et inauditus et eorum sensibus, opinionibus, propensionibus plane oppositus. Quare hinc potius difficultates et impedimenta contra religionem christianam oriebantur.

Postremo animadvertendum quoque est, nequaquam satis fuisse, ut convertendi ad religionem christianam omnia illa capita doctrinae fundamentalia, quae pleraque ad naturalem quoque religionem pertinent, quocumque modo naturali rationis lumine ducti admitterent, sed tamquam divinitus revelata ea dogmata simul cum aliis fide divina amplectenda erant.

22. *3. Item neque sola christianorum sanctitas et perfectio sive caritas eorum heroica et beneficentia ad explicandam celerem religionis christianae propagationem sufficiunt.* – Etenim

a) Haec ipsa tanta virtus, sanctitas, caritas naturalibus viribus tribui non possunt, sed nonnisi ex abundanti Dei gratia illis impertita explicantur vel intelliguntur. Quod quidem manifeste patet, si ex una parte infirmitas, inconstantia, labilitas humanae naturae lapsae, et ex altera vehementia tentationum, multiplex labendi occasio, ingens corruptio, qua circumdati erant et in qua quasi respirabant, sedulo considerentur. Praeterea idem quoque patet, si ecclesia cum sectis aliisque religionibus comparetur, quippe in quibus neque vestigia tantae sanctitatis apparent.

23. b) Praeterea haec christianorum vitae sanctimonia ad admirationem quidem multos movit, non vero adeo ad amplectendam religionem christianam; imo ab ea potius deterrebat naturaliter homines vitiis deditos et imprimis carnalibus corruptionibus absorptos, quales primis saeculis plerique gentiles vel multi saltem fuerunt. Porro adversarii religionis christianae, ut Iulianus Apostata, ex Christianorum sanctitate et virtutibus occasionem potius sumpserunt, gentiles exhortandi, ut cum christianis in vitae integritate, morum sanctimonia, virtutum quarumlibet, praecipue cari-

tatis, beneficentiae strenue aemularent; quod quidem studium successu non carere non potuit (cf. *Sozom.*, H. E. l. 5. c. 16., *Lucianum* aliosque veteres autores).

c) Quod deinde in specie caritatem et beneficentiam 24.
christianorum attinet: haec imprimis, si quidem pauperes et miseres non tamen divites allicere potuit, quia hi potius inde moveri potuerunt, ut suis divitis consulentes ab amplectenda religione christiana abstinerent. Insuper cum christiani generatim divitiis non excellerent atque ecclesiae pleraeque reditus magnos non haberent, qui ad religionem christianam convertebantur, bona temporalia sibi sperare non poterant. Quod quidem eo magis verum est, quia xenodochia, nosocomia aliaque pauperibus destinata domicilia generatim tunc tantum a Christianis plura instituī potuerunt, cum ecclesia superatis saevis persecutionibus, pace et tranquillitate frueretur. Praeterea absurde dicitur, spem bonorum temporalium eos allicere potuisse, qui religionem christianam profitendo capitis periculum incurrebant. Denique quos bonorum temporalium cupido movebat, Iudaeis potius et gentilibus se adiungere debebant; quippe qui bonis temporalibus multo magis praestabant atque largi quoque erant, quando donis gratis exhibitis homines a christiana religione amplectenda retinere poterant.

4. *Mira religionis christianae propagatio neque expli-* 25.
catur ex animorum in mirabilia et mysteriosa propensione, quae saeculo primo et secundo imprimis viguisse dicitur. — Scilicet adversarii ad nimiam hominum illius aetatis credulitatem, superstitionem, mirabilium et mysteriorum studium recurrerunt, ut miram religionis christianae propagationem eadem aetate factam naturaliter explicarent. Verum frustra, ut facile patet. Etenim

a) Propensio illa vel curiositas multo magis ab aliis religionibus ex Aegypto et Persis allatis pascebantur, nominatim per mysteria Eleusina, Isidis et Mithrae, oracula, astrologiam, magiam. Cur itaque innumeri homines se religioni christianae potius quam illis mysteriis vel astrologiae vel magiae addixerunt praesertim quia religio christi-

ana maxime vitae emendationem exigebat, non vero omnibus rerum mirabilium participationem vel arcanas cognitiones promittebat et miracula ad commoda terrena obtinenda vel aliis damna inferenda plane respuebat? haec enim omnia a cultibus illis superstitiosis asseclis suis promittebantur. Videlicet adversariorum positio mera fictio est.

26. b) Imo illud rerum mirabilium et secretorum studium religionis christianae diffusioni obstabat potius, quia fautores illarum superstitionum homines ab amplectenda religione christiana arcebant. Iactando enim sua prodigia, sua secreta suasque artes magicas religioni christianae illud praesidium eripere conabantur, quod in miraculis et prophetiis veris positum est. Qua ratione cultus Mithrae imprimis, qui in nonnullis religionem christianam imitabatur, propagationi eiusdem singulare obstaculum creavit (cf. *Iustin.* Apol. 1; *Origenes*, C. Cels. l. 7. n. 3; l. 8. n. 45 ss.).

27. c) Insuper illa gentilium superstitio eo quoque religionis christianae propagationi obstabat, quod non raro in odium et persecutiones contra christianos plebem excitabat. Cuius rei exemplum ex multis, quae exstant unum refert *Dionysius Alex.*: „Non ex imperatoris edicto persecutio coepta est, quippe quae integro anno anteverterat. Etenim infaustus quidam vates et poëta, quisquis ille fuit, commoverat iam ante atque incitaverat adversus nos gentilium turbas, ad innatam genti superstitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine stimulati omnemque ad patranda scelera licentiam nacti, hanc solam pietatem cultumque daemonum suorum existimabant, si caedibus adversus nos caevirent“ (Apud. *Euseb.*, H E. l. 6. c. 41).

28. d) Denique adversariorum positionem hac quoque ratione ad hominem argumentando repellere licet, si in specie prophetiae et miracula considerentur: Prophetiae et miracula christiana, quibus homines ad religionem christianam allecti dicuntur, aut vera fuerunt aut falsa; si vera, ergo ipsis divina religionis christianae origo probatur; si falsa, ergo sub hoc respectu christiana religio non praestabat

gentili superstitioni, ideoque inde christianae religionis propagatio non explicatur.

5. Neque ex magna romani imperii extensione mira religionis christianae propagatio explicatur. — Mirum est, quod aliqui hac ratione demonstrationem, quae huius thesis argumentum est, facile enervare posse putaverint. Etenim: 29.

a) Ex illa romani imperii extensione explicatur quidem, quod notitia religionis christianae facile longe lateque potuerit propagari. Verum aliud profecto est, notitiam habere alicuis religionis, aliud eam fide firmissima amplecti, praesertim si praeiudiciis inveteratis, innatae superbiae et malis per longam consuetudinem pastis cupiditatibus bellum indicit. Romani itaque imperii extensio impedimentum aliquod propagationi religionis christianae obstans removit; atque in hoc sane providentia divina agnosci potest atque laudari debet; verum alia impedimenta non removit, neque igitur mirae fidei christianae diffusionis proprie causa est, sed mera conditio. Cur enim secus religio iudaica sectaeque philosophicae non aeque ac religio christiana sibi populos subiecerunt, cum tamen idem ipsis ex illa multorum populorum in uno imperio adunatione emolumentum praesto esset?

b) Imo vero illa romani imperii magnitudo non una occasione religioni christianae propagandae impedimenta opposuit. Sicuti enim per eam facile notitia religionis christianae propagabatur, ita per eandem quoque ex opposito eadem facilitate calumniae contra illam sparsae et malae de ea conceptae opiniones diffundebantur. Praeterea inde quoque nocumentum religioni christianae oriebatur, quod imperatores romani subiectos sibi populos eo conciliare studuerunt, quod eorum cultum et superstitionem liberaliter foverent. Denique per extensionem romani imperii factum est, ut diris persecutionibus, quibus romani imperatores tribus primis saeculis religionem christianam impetebant, eadem ubique fere, qua late erat propagata, vehementer conturbaretur. 30.

Excipiunt quidem, a tempore saltem Constantini Magni religionem christianam imperatorum protectione gavisam, 31.

e contra autem paganam religionem eo tempore vi exstirpatam esse. — *R.* Exceptio prorsus inefficax est. Etenim primo demonstratio facta praeprimis tria priora saecula spectat; ergo etiamsi verum esset, quod obiicitur, integrum tamen maneret argumentum. Praeterea verum non est, imperatores christianos gentiles vi compulisse ad religionem christianam amplectendam; verum cultus libertatem statuerunt. Quare reipsa patricii et senatores romani plures etiam inde a Constantino diuturniore adhuc tempore superstitioni gentili adhaeserunt, imo diis altaria quoque erexerunt, atque simul tamen muneribus publicis fungebantur. Theodosius demum cultum deorum abolevit, neque tamen gentiles ad religionem christianam amplectendam coegit. Denique considerandum est hac in re non spernendum momentum, quod scilicet imperatores ex parte haereticorum saepe steterunt, atque hac ratione impedimentum, quod haereses ecclesiae propagandae opposuerunt, multum aggravarunt.

Assertio quarta: Mira religionis christianae propagatio singulari Dei auxilio et quidem imprimis Dei in hominum animos influxui adscribenda est.

32. Duo in hac assertione affirmantur: primo Deum speciali suo auxilio diffusionem religionis christianae adiuvisse; secundo hoc auxilium positum fuisse in speciali Dei in hominum animos influxu, quo ad fidei christianae veritatem perspiciendam eamque amplectendam illaesa sane eorum libertate efficaciter moverentur. Quae distinctim et separatim probanda sunt. Itaque

1. Deus peculiari modo propagationem religionis christianae adiuvit. — Etenim

33. a) id ex praecedentibus expositionibus manifeste consequitur. Omnis scilicet effectus causam proportionatam postulat; iamvero causae naturales ad rapidissimam religionis christianae propagationem explicandam non sufficiunt; ergo necessario consequitur Deum speciali auxilio propagationem adiuvisse et propagasse.

b) Confirmatur argumentum triplici consideratione. Primo consideretur iam hic, quod infra speciali demonstrationi inserviet, ingens difficultas, quae non raro habetur vel in unius hominis corrupti conversione; quanta igitur censenda est difficultas tot gentes moribus corruptas et superstitionibus infectas ad christianam fidem et vitam converterе? Comparetur deinde cum foecunditate religionis christianae sterilitas institutionis philosophicae necnon sectarum diversarum, quae pecuniis, protectione principum, aliisque subsidiis humanis saepe abundant, mutabilitas, deficientia atque cum tempore progrediens dissolutio. Denique tertio prae oculis habeatur, quod iam supra (th. 42. n. 26.) indigitatum est, propagationem religionis christianae tamquam victoriam spectari posse, quam haec fides in certamine cum superstitione pagana, cum Iudaeis, cum imperio Romano inito reportavit. Diu pugna fervebat, caedes christianorum ingentes factae sunt, torrentes fere sanguinis christiani effusi sunt, inermis quasi fides christiana erat contra hostes potentissimos et omni armorum genere suffultos. Verum patiendo vicit et splendidum triumphum egit. Profecto igitur aut principium causalitatis in discrimen vocabitur aut vero Deum ipsum ad fidem christianam propagandam cooperatum esse concedendum erit.

c) Confirmatur praeterea auctoritate testium, qui miram 34.
religionis christianae in primis saeculis propagationem praesentes oculis suis inspexerunt et accurata hominum illius temporis notitia non caruerunt. Itaque *Origenes* v. g. ad auxilium divinum tamquam causam provocat: „Si quis consideret Apostolorum Christi per singula loca discursus, in quibus ab eo missi evangelium praedicarunt, inveniet, quod et quae ausi sunt aggredi, supra hominem sunt, et quod explere potuerunt, ex Deo est. Si consideremus, quomodo homines, novam doctrinam ab eis audientes inferri; suscipere eos potuerunt, vel potius, quod saepe eis volentes inferre perniciem, divina quadam, quae eis aderat, virtute repressi sunt, inveniemus, nihil in hac causa humanis viribus, sed totum divina virtute ac potentia procuratum evi-

dentibus procul dubio signis et virtutibus testimonium reddentibus verbo et doctrinae eorum" (De princip. l. 4. c. 5). Similiter *Arnobius:* „Numquid haec fieri passim et inaniter creditis, fortuitis incursibus adsumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum est? Aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones?" (Adv. gent. l. 2. c. 5; cf. quae supra th. 41. n. 41 n. ex *Chrysostomo* allata sunt).

35. *2. Auxilium divinum illud in influxu imprimis animis hominum interno reponendum est, quo Deus eos ad religionem christianam fide et moribus amplectendam movit.* — Si iam quaeratur, quonam speciali auxilio Deus religionis christianae propagationem adeo promoverit, imprimis negandum sane non est, charismata miraculorum et donorum, quibus divinitus praecones evangelii saepe insigniti sunt, multum ad eam contulisse. Sic in ipsa Scriptura conversio multorum millium miraculis et donis supernaturalibus Apostolorum non obscure adscribitur (Act. 1, 8; 5, 14. 15; 6, 8). Praeterea historia ecclesiae testante posteriore quoque tempore integrae gentes miraculis a praeconibus fidei patratis ad religionem christianam amplectendam motae sunt, ut miraculis Augustini Angli, miraculis Bonifacii Germani necnon miraculis S. Francisci Xaverii Indicae et Iaponicae gentes. Idem S. Augustinus et S. Thomas asseverant: „Si per Apostolos Christi, inquit *Augustinus*, ut eis crederetur, resurrectionem atque ascensionem praedicantibus Christi etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit" (De civit. Dei l. 22. c. 5). Et *S. Thomas* declarat: „Esset omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua et operandum tam difficilia et ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset a simplicibus et ignobilibus hominibus" (C. g. l. 1. c. 6). Atque sane, cum miracula inter praestantissima criteria revelationis divinae reputanda sint, crebra eorum in confirmationem religionis christianae patratio non potuit non multum conferre ad conversionem hominum et religionis christianae propagationem.

Verum dicendum tamen est, auxilium illud speciale 36.
divinum ad miracula in favorem religionis christianae patrata non fuisse restrictum, sed influxum animis hominum internum quoque complexum esse, quo ad religionem christianam amplectendam efficaciter moverentur. Etenim

a) Fides christiana etiam miraculis suppositis ex multiplici ratione difficilis manet. Videlicet imprimis mysteria credenda proponit a sensu et intelligentia naturali prorsus remota; deinde obligationes naturae ingratas et adversas atque sacrificia hinc inde plane heroica postulat; denique simul, ideo praesertim, quia factum revelationis plane certum quidem, non tam evidens est, fides est assensus physice liber atque a voluntate imperatus. Voluntas autem natura sua invito tantum et difficulter intellectui imperat tum considerationem talium veritatum ingratarum tum assensum in ipsas. Quod igitur haec credendi difficultas nihilominus ab innumeris hominibus strenue superata est, explicari non potest sine speciali Dei gratia sive influxu Dei in animos credentium.

b) Si difficilis apparet religio christiana, ut est fide 37
amplectenda, difficilior etiam est, quatenus est vita et moribus exprimenda. Quod ipsa experientia docet, cum multi fidei christianae quidem firme inhaereant, moribus autem et vitae ratione doctrinae christianae se non conforment. Cum igitur innumeri homines religionem christianam non solum fide amplecterentur, sed vitam quoque suam eidem conformare sedulo et constanter niterentur, multo minus id sine speciali Dei auxilio et influxu in animos eorum fieri potuit.

c) Denique specialem Dei influxum internum arguunt subitae conversiones ad religionem christianam, quae non raro contigerunt et quarum exemplum egregium est S. Pauli conversio. In tali enim conversione, qua homo ex rabido religionis christianae inimico, subito fidelissimus eius assecla et ardentissimus defensor evadit, leges omnes morales vel psychologicae penitus suspensae et dirutae apparent; quare

tales conversiones subitae sine speciali inspiratione divina nullatenus explicantur.

38. d) Hinc *S. Thomas* quoque non solum miraculis, sed etiam inspirationi divinae ecclesiae propagationem adscribit „Huiusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes non leviter credunt, quasi doctas fabulas secuti, ut secunda Petri 1, 16 dicitur. Haec enim divinae sapientiae secreta ipsa divina sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui praesentiam et doctrinae et inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea, quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibilia ostendit, quae totius naturae superant facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, coelestium corporum mirabili immutatione, et quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione, ut idiotae et simplices, dono Spiritus Sancti repleti summam sapientiam et facundiam in instanti consequerentur. Quibus inspectis praedictae probationi efficacia, non armorum violentia, non voluptatum promissione, et quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem innumerabilis turba, non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convolavit: in qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, voluptates carnis cohibentur, et omnia, quae in mundo sunt, haberi contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire et maximum miraculum est et manifestum divinae inspirationis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito, neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus multis ante prophetarum praedixit oraculis, quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostrae fidei testimonium adhibentes“ (C. g. l. 1. c. 6).

Scholion.

39. *Obiectiones solvuntur.* — Adversarii, ut demonstrationem in praesenti thesi expositam eliminent, ad aliarum religio-

num et sectarum, Muhamedanismi imprimis, Arianismi et Protestantismi, necnon Buddhismi immensam propagationem provocare solent. Verum immerito; paritas enim tantum apparens, nequaquam vero realis est. Quod paucis exponendum est. Itaque

1) *Sicuti maxima discrepantia est inter religionem christianam et Muhamedanismum, ita propagatio quoque utriusque religionis diversa prorsus via processit.* — Quod iam *S. Thomas* recte notavit: „Hi vero, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Praecepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, in quibus in promptu est a carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quae de facili a quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint; quin potius vera, quae docuit, multis fabulis et falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum divinae inspirationi conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quae non potest esse nisi divina, ostendit doctorem veritatis visibiliter inspiratum; sed dixit se in armorum potentia missum; quae signa etiam latronibus et tyrannis non desunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus divinis, et de divinis et humanis exercitati, a principio crediderunt, sed homines bestiales in desertis morantes, omnis doctrinae divinae prorsus ignari, per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem coegit" (C. g. l. 1, c. 6). Videlicet Muhamedanismi rapida propagatio naturalis plane apparet, si paulo accurate doctrina eius, adiuncta, media propagationis considerentur.

a) Dum doctrina christiana mysteria credenda proponit 40.
a sensibus remotissima et rationi impervia, Muhamedanismi doctrina nullum mysterium docet, sed aut veritates religionis naturalis aut doctrinas absurdas quidem, sed quae sensibus et imaginationi proindeque rudibus Arabiae gentibus egregie accommodata erant. Deinde cum religio christiana concu-

piscentiae oculorum et carnis atque superbiae vitae bellum declaret, Mahumetis doctrina econtra his blanditur atque nominatim carnis concupiscentiam vel promissionibus ad futuram vitam spectantibus fovet. Denique cum doctrina christiana fanatismo nullum nutrimentum praebeat, Muhamedanismus sua de praedestinatione doctrina rudes praesertim homines coeco enthusiasmo inflammavit, quo pro fide sua non patientes, sed gladio pugnantes libenter occumberent.

b) Accedunt adiuncta Muhamedanismo propagando maxime opportuna. Mahumetes scilicet imprimis ipse egregiis dotibus naturalibus instructus fuisse videtur. Ex nobili Arabum stirpe natus, per coniugium cum illustri vidua initum divitiis praestans, forma conspicuus, ingenio callidus, moribus facetus erat. Naturalem honestatem, fidem, liberalitatem aliasque virtutes, quae hominum animos conciliare solent, prae se ferebat. Cum gloriae avidus et dominationis cupidus esset, constantia simul et audacia in agendo praeditus erat. Sicuti autem ipse Mahumetes ad novandas res aptissimus erat, ita etiam occasionem et tempus opportunissimum nactus est. Arabes enim maximam partem superstitionibus ethnicis dediti rerum stupenda ignorantia laborabant, quippe qui non disciplinis, sed mercaturae et artibus domesticis unice dediti erant. Inter ipsos autem simul magno numero haeretici christiani parum instructi necnon Iudaei fabulis rabbinicis addicti degebant. Quod inter tales homines Mahumetes assecias suae doctrinae lucrari potuerit, sane mirum non est, si iam sola doctrina supra commemorata consideretur.

c) Considerentur vero insuper media a Mahumete eiusque successoribus adhibita. Scilicet Mahumetes ipse imprimis religionem suam illius temporis et personarum adiunctis prorsus accomodavit. Superstitiosos idololatras lucratus est falsas revelationes praetexens et superstitiosos eorum ritus in suam religionem transferens. Ut Iudaeos sibi adiungeret, summa observantia de Pentateucho loquebatur, Moysen prophetam declaravit, necnon talmudicis fa-

bulis Alcoranum replevit; ut vero Christianos benevolos sibi redderet, magna cum laude de evangelio dixit atque Christum quoque inter prophetas recensuit. Insuper doctrinam unitatis supremi numinis semper salvam voluit. Passionibus vero omnium, ut dictum est, laxa sua et turpi de carnis voluptatibus doctrina, maxime adulatus est. Denique quam his mediis non iam obtinuerat, propagationem suae religionis, vi et armis efficere studuit. Dux armatae multitudinis constitutus bellis religionem suam propugnavit. Dolosis itaque artibus, fraudibus, passionum blandimentis regnum saracenium et islamica religio constituta esse intelligitur atque iisdem etiam mediis praesertim vi et armis propagata est. Scilicet primus Mahumetis in Kalifatu successor, copiis belli peritis sub ducibus rei militaris prudentibus et regnum et religionem confirmavit et stabilivit. Neque mirum est, quod dein hoc regnum sub Omaro et Othomano proximis successoribus terminos suos raptim late extenderit. Cum enim ex una parte Saraceni innumeram gentem constituerent atque luxu nullo effeminati sed a pueris ad arma ferenda edocti et nunc primum sub communi imperatore coadunati essent, ex altera parte Persia, Syria, Palaestina, Aegyptus septentrionalis aliaeque regiones, quae a primis Kalifis occupatae sunt, tum corruptione morum tum incursionibus barbarorum ac perpetuis bellis et intestinis discordiis ita exhaustae erant, ut vi resistendi pene destituae Saracenis facillima praeda cesserint. Itaque cum religio christiana per saecula vi et armis impugnaretur, Muhamedanismus e contra vi et armis fovebantur atque extendebatur.

43. 2. *Neque sectarum, ut Arianismi, Protestantismi aliarumque propagatio cum ecclesiae catholicae dilatatione merito comparari potest.* — Etenim multiplex discrimen sub respectu propagationis inter ecclesiam catholicam et illas sectas considerantis oculos percellit. Scilicet:

a) Latitudine differunt; nulla unquam secta tot gentes, tot regiones sibi subiecit, neque ulla umquam tot asseclas numeravit, quam ecclesia catholica. Atque nunc quoque,

cum sectae omnes simul vix ducentas milliones hominum complectantur, ecclesia catholica trecentas fere milliones asseclarum numerat.

b) Duratione differunt; videlicet dum sectae fines, quos primo cum oriebantur tempore attigerant, deinde vix excesserunt, ecclesia quovis saeculo fines suos dilatat atque continuo novas regiones occupat. Quam miram ecclesiae fertilitatem nostro tempore praesentes intuemur, cum in Africa praesertim integrae gentes fidem catholicam amplectuntur. Arianismus autem plane iam disparuit et protestantium secta quoad doctrinam saltem in tam plena dissolutione versatur, ut vix iam nomen Christianorum mereantur.

44. c) Mediis quoque propagationis differunt. Sectae enim mediis prorsus naturalibus, humanis, imo malis promotae sunt et propagatae, ut protectione principum, vi armorum, spe bonorum temporalium, promissione vitae licentioris, libertatis iactatione, humani ingenii ad novitates pronitate, aversione ab auctoritatis iugo, scandalis quibusdam personarum ecclesiasticarum aliisque similibus subsidiis.

d) Effectu maxime differunt. Neque enim ulla secta neque Arianismus neque Protestantismus homines, quos infecit, e vitiorum coeno ad vitam bonam virtutumque exercitium provexit, neque propagatae sunt per conversionem gentilium, verum potius per catholicorum defectionem a fide et vitae probitate. Quod iam *Tertullianus* de sectis sui temporis notavit, hoc quavis aetate valuit atque etiam nunc valet, scilicet hoc illis fuisse negotium „non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi" (De praescr. n. 42). Econtra autem fides catholica gentes paganas et barbaras edomuit, omnem eas virtutem edocuit atque innumeros ad summam sanctitatem provexit.

45. Merito *Erasmus* scripsit ad Vulturium Neocomum: „Circumspice populum istum evangelicum et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciunt ii, quos detestamini. Profer mihi, quem istud evangelium ex ommessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex

rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego multos tibi ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores." Neque vero vel de uno ostendi potest, eum sanctioris vitae ducendae causa ad sectam aliquam, nominatim ad Protestantismum defecisse; quae quidem res in se sola spectata iam magnum veritatis argumentum est.[1])

3. Buddhismi quoque propagatio naturaliter prorsus explicatur. — Etenim a) maximam credendi atque sentiendi libertatem concedit, cum nulla fere certa dogmata imponat. Fundamentalis autem, quam proposuit, doctrina naturali orientalium indoli maxime arrisit; etenim redemptionem ab omnibus malis promisit, atque in Nirwana, i. e. annihilatione τοῦ ego pigris Orientalibus tantopere ab ipsis expetitam quietem sperandam proposuit. 46.

b) A duris Brahmanismi disciplinis Orientales liberavit, exosam classium divisionem sustulit, aliter ac Brahmanismus templa et idola colere permisit, quod illis gratissimum cessit.

c) Principes, quorum dominandi cupidinem alebat, protectores et fautores habuit, imprimis Açoka, adeo egregii ingenii principem, ut illius religionis Constantinus reputatus sit.

d) Ceterum Buddhismus nequaquam diu unam religionem sive unam societatem religiosam constituit, sed progrediente tempore in varias sectas dissolutus est, quae magis ab invicem differunt, quam sectae christianae ab ecclesia catholica.

---

[1]) Protestantismi propagationem causis naturalibus, imo inhonestis et turpibus adscribendam esse, vel ipsi Protestantes sinceri et veritatis amantes concedunt. Inter alios v. g. *A. Menzel* declarat: „Den größten Teil an seiner Verbreitung hatte die Politik. Habgier und Gewalt der Fürsten, die Unwissenheit des Volkes und die Verleumdungen der alten Kirche durch die Führer der Bewegung." (Neuere Geschichte der Deutschen II. S. 86). Similiter *Fridericus II*, Borussiae rex: „Si on veut reduire les causes du progrès de la reforme à des principes simples, on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'interêt, en Angleterre celui de l'amour, et en France celui de la nouveauté." (Mémoires de Brandenbourg).

e) Denique considerandum quoque est, Buddhismum a Brahmanismo iterum magnam partem ex Indiis expulsum esse.

Articulus tertius.

De insignibus religionis christianae fructibus.

Thesis 44. Fructibus quoque insignibus, quos religio christiana praesertim in ordine morali produxit, divina eius origo luculenter confirmatur.

Declaratio.

1. *Argumentum thesis circumscribitur.* — Cum ex effectibus causa, ex fructibus arbor cognoscatur, in demonstratione christiana consideratio fructuum, quos haec religio in genere humano abundantes produxit, penitus praetermitti nequit. Cum vero eiusdem religionis foecunditas immensa fere sit, argumentum hoc latissime patet ita, ut per integros libros evolvi possit atque reipsa evolutum sit. Inter fines autem tractatus de vera religione nonnisi compendiose de eadem re agi potest. Iamvero in praesenti summa plura, quae ad idem argumentum pertinent, iam diversis locis supra exposita sunt. Etenim fructus a religione christiana producti in quatuor ordinibus inveniuntur: primo in ordine cognitionis religiosae, secundo in ordine vitae moralis, tertio in ordine vitae socialis, quarto in ordine cultus humani vel humanitatis i. e. scientiarum imprimis et artium. De his autem fere omnibus summatim quidem, sed expressis verbis dictum est supra in thesi 36. n. 4 ss., ubi ex effectibus christianismi veritas historiae evangelicae illata est. Deinde fructus speciatim in ordine religiosae cognitionis producti iam exhibiti sunt, ubi de revelationis necessitate agitur, in thesi 16.; scilicet religioni christianae debetur universalitas, certitudo et efficacia, veritas infallibilis religiosae cognitionis. Iis quoque, quae in thesi 17. de utilitate revelationis mysteriorum et in thesi 38.

de insigni Christi doctrina explicata sunt, fructus religionis christianae in ordine cognitionis religiosae, siquidem historia simul attendatur, commode illustrantur. Praeterea iisdem expositionibus iterum historia considerata ceteri quoque fructus, in ordine sc. vitae moralis, in ordine vitae socialis necnon in ordine cultus humani vel scientiarum praesertim et artium producti clara luce asperguntur. Denique ad fructus speciatim in ordine vitae moralis productos multum conferunt plura quoque, quae in praecedentibus duobus articulis de martyrio atque de fidei propagatione passim notata sunt. Quae cum ita sint, longam diversorum religionis christianae fructuum expositionem facere, neque opus est nec opportunum. Ut tamen specimen aliquod huius ex fructibus religionis christianae demonstrationis prae oculis ponatur, in praesenti fructus in ordine vitae moralis primis praesertim ecclesiae temporibus producti paulo accuratius exponentur: atque deinde ex eisdem probatio religionis christianae in forma instituetur, notata simul ratione ex ceteris fructibus argumentandi. Quare tota demonstratio duplicem assertionem complectitur: quarum prima in fructuum moralium expositione, altera in argumentatione ex iisdem ceterisque fructibus instituta versatur.

Demonstratio.

Assertio prima: Religio christiana insignes et plane admirandos fructus in ordine vitae moralis produxit.

2. Ad insignes fructus religionis christianae in ordine vitae moralis intelligendos opportunum est inprimis prima ecclesiae saecula considerare, non quidem ac si postea eius foecunditas defecerit, sed quia ex stupenda hac in re diversitate et oppositione inter humanitatem antiquam et ecclesiam nascentem et progredientem magis resplendet, ingentem commutationem in vita morali per religionem christianam effectam ad instar novae quasi creationis esse faciem terrae divino afflatu renovantis. Neque tamen posteriora saecula a consideratione penitus excludenda sunt. Ut igitur

res, quantum compendiose fieri potest, in sua luce ponatur, plura secundum ordinem considerabuntur: primo terminus a quo illius transformationis; secundo terminus ad quem eiusdem; tertio quaedam virtutes christianorum in specie; quarto permanentia huius ecclesiae foecunditatis; quinto sterilitas scholarum philosophicarum atque aliarum religionum. Itaque

3. *1. Considerandа est ingens morum corruptio, quae tempore adventus Christi ubique gentium vigebat.* — Quam profunda huius corruptionis abyssus fuerit, iam ex iis constat, quae in thesi 16. n. 12 ss. exposita sunt. Vivam eiusdem imaginem Apostolus exhibet tum 1. Cor. 6, 9 ss., tum Rom 1. 21 ss., ubi dicit: „*Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudines operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.*“ Quam descriptionem ad amussim veritati

respondere non solum scriptores ecclesiastici testantur, ut *Tertullianus*, Apol. cc. 9, 15, 46; *Cyprianus*, Ep. 1. n. 6; *Minucius Felix*, Octav. c. 28 ss.; *Augustinus*, De civit. Dei l. 4. c. 23. n. 2. et al. passim, verum etiam ipsi scriptores gentiles, ut *Tacitus* aliique (cf. *Döllinger*, Heidentum und Judentum).

Audiatur solus *Eusebius*, qui ad vivum describit, ex 4.
quanta corruptione et vitiorum colluvie religio christiana gentiles evexerit: „Nec Persae, qui semel eius (Christi) disciplinae nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt; nec Scythae, quod in eorum quoque regionem Christi sermo penetravit, humana iam carne pascuntur; nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur; nec ad mares furioso libidinis aestu mares ipsi rapiuntur, nec ceteras, quae naturae leges violant, corporis voluptates persequuntur, nec canibus atque volucribus necessariorum ac propinquorum suorum cadavera, quibus in quondam id more fuerat, obiiciunt; nec senio iam confectis, ut antea, laqueos iniiciunt, nec sibi amicissimorum carne post obitum antiquo ritu saginantur; nec maiorum instituto daemonibus tamquam diis homines immolant, nec sibi carissimos iugulant falsa pietatis opinione delusi. Haec nimirum illa sunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infecta quondam hominum vita habebatur. Ac Massagetae quidem atque Derbices, ut historiarum fide proditum est, propinquorum suorum longe miserrimos eos putabant, qui naturali fato supremum vitae diem obiissent, cuius ante propterea necessitatem occupantes, quos vehementius diligerent, eos aetate iam effoetos non immolabant modo, sed iis etiam quasi lautissimis epulis utebantur. At vero Tibareni senes maxima secum affinitate coniunctos praecipites agere: Hircani vivos eosdem ac spirantes, Caspii iam morte functos avibus, canibusque, quae mortui summopere adamassent, ipsorum ad rogos iugulare. Bactrii denique seniores adhuc superstites canibus itidem laniandos proiicere consueverant. Haec, inquam, omnia superioribus illis temporibus grassabantur, nunc autem fieri

omnino desiere, immani ac belluina tot malorum peste salutaris unius evangelicae legis viribus profligata." (Praep. ev. l. 1. c. 4).

5. *2. Consideranda est insignis virtus et vitae integritas, quam in genere humano religio christiana produxit.* — De hac laeta morum per religionem christianam restauratione testantur tum Scriptura N. T., tum scriptores antiqui ecclesiastici, tum vel ipsi gentiles religionis christianae adversarii.

a) Testatur Scriptura N. T. Haec enim imprimis tantam in Apostolis et ceteris evangelii praeconibus ut v. g. s. Stephano, post Christi ascensionem et descensum Spiritus S. exhibet vitae integritatem, tam insignem virtutem atque tam heroicam Dei et hominum caritatem, ut nihil unquam simile neque apud celeberrimos antiquae gentilitatis heroes conspici possit. Neque autem pauci tantum et primores excellebant, sed multitudinis christianae mores et virtutes praedicantur, imprimis caritas: "*Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia . . . et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat*" (Act. 4, 32 ss.). Conferri quoque possunt epistolae Apostolorum, quippe quae, quamvis aliquando defectus aliquorum et vitia vituperent, non una tamen ratione virtutum, quas christiani eo usque magnam partem incognitas magno studio exercebant, testimonium reddunt.

6. b) Testes praeterea multipliciter sunt SS. Patres ceteriique scriptores ecclesiastici. Audiatur primus *Clemens R.* vitam moresque Christianorum suae aetatis describens; „Quis apud vos diversatus virtute omni plenam firmamque ac stabilem fidem vestram non probavit? sobriamque et moderatam in Christo pietatem non est admiratus? splendidos ac liberales hospitalitatis vestrae mores non praedicavit! . . . Omnia enim sine personarum intuitu a vobis

fiebant et in Dei legibus ambulabatis, praepositis vestris subditi, et presbyteros, qui sunt inter vos, debito honore prosequentes . . . Omnes humili animo eratis, in nullo inani gloriationi dediti, aliorum iugo subiecti potius, quam alios vobis subiicientes, lubentius dantes, quam accipientes: Dei viatico contenti et ad verba eius diligenter attendentes intime recondita in visceribus servabatis, eiusque passiones vobis prae oculis erant. Sic alta et beata pax cum inexplebili benefaciendi desiderio omnibus data fuit; plena etiam super omnes Spiritus Sancti effusio facta est; sanctaque voluntate pleni, bona animi promptitudine cum pia confidentia manus vestras ad Deum omnipotentem extendistis, supplicantes ei, ut esset erga vos animo propitio, si quid inviti peccassetis. Labor omnis et contentio vestra diu noctuque pro universa fraternitate erat, ut numerus electorum eius cum commiseratione et conscientia salvaretur Sinceri inter vos invicem, innoxii et omnis iniuriae immemores eratis. Seditio omnis et scissura vobis abominanda erat; proximorum delicta lugebatis, illorum defectus vestros censebatis: propter benefacta nulla poenitentia ducti, ad omne opus bonum prompti eratis. Ornati veneranda et omnibus numeris absoluta conversatione, omnia in timore eius peragebatis: mandata et praecepta Domini in latitudine cordis vestri altius insculpebantur" (Ep. ad Cor. I, cap. 1, 2).

Simili modo *Iustinus* christianorum castitatem, miseri- 7.
cordiam, mutuam caritatem atque inimicorum dilectionem praedicat: „Qui olim, inquit, stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenito nos consecravimus Deo; qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc etiam ea, quae possidemus, in commune conferimus et cum indigentibus quibusque communicamus; qui mutuis caedibus et odiis pugnabamus et cum iis, qui tribules nostri non essent, communem focum ob diversa instituta non habebamus, nunc postquam Christus apparuit, convictores sumus et pro inimicis oramus; et qui nos iniquis odiis persequuntur, eos suadendo flectere conamur,

ut qui secundum praeclara Christi praecepta vixerint, bonam spem habeant, eadem se ac nos a dominatore omnium Deo consecuturos" (Apol. I c. 1. 4). Et alibi in eodem opere refert: „Ac multi quidem ac multae annos sexaginta nati, qui a pueris Christi disciplina imbuti sunt, incorrupti perseverant, talesque in omni hominum genere monstraturum me profiteor. Quod enim innumerabilem eorum multitudinem dicam, qui ex lasciva sese receperunt atque haec didicerunt? Non enim iustos neque castos ad poenitentiam vocavit Christus, sed impios et incontinentes et iniustos" (c. 15).

8. Item *Athenagoras* describit, quomodo a christianis vel incultis ut opificibus et mulieribus virtus dilectionis aliorum, maxime inimicorum atque erga pauperes misericordia exerceatur, dum philosophi gentiles ab harum virtutum cultu longe absint (Legat. n. 3).

Praeclara prorsus et pulcherrima vitae morumque christianorum descriptio in *epistola ad Diognet.* exstat: „Mirabilem et haud dubie incredibilem vitae suae rationem oculis nostris proponunt. Patrias proprias inhabitant, sed tamquam inquilini. Omnia cum aliis habent communia ut cives, et omnia patiuntur ut peregrini. Omnis peregrina regio eorum est patria et omnis patria peregrina. Uxores ducunt ut omnes et liberos procreant; sed non abiiciunt foetus. Mensam communem habent, non vero lectum. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt, sed coeli cives sunt. Obsequuntur legibus latis, et vitae suae genere leges superant. Amant omnes et omnes eos persequuntur. Ignorantur et condemnantur; morte afficiuntur et vivificantur; mendici sunt et multos ditant; rebus omnibus indigent, et omnia illis redundant; dedecorantur et inter dedecora afficiuntur gloria; fama eorum laceratur, et iustitiae eorum testimonium perhibetur; maledicitur eis, et benedicunt; contumelia afficiuntur, et honorem deferunt; bona facientes ut improbi puniuntur; dum puniuntur gaudent, tamquam vivificentur; adversus eos tamquam alienigenas Iudaei bellum gerunt, et Graeci eos persequuntur;

causam inimicitiarum autem osores dicere nequeunt (c. 5). Atque ut semel omnia complectar, quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani. Anima dispersa est per omnia corporis membra, et christiani per mundi civitates. Habitat quidem anima in corpore, sed non est e corpore, sic et christiani in mundo habitant, sed e mundo non sunt. Invisibilis anima in visibili corpore custoditur; sic et christiani in mundo degentes conspiciuntur, sed invisibilis eorum est pietas. Caro animam odio prosequitur et bello nulla affecta iniuria, quia voluptatibus frui prohibetur; et christianos odit mundus nulla affectus iniuria, quia illi voluptatibus repugnant. Anima carnem amat, quae ipsam odit, et membra; et christiani amant osores. Inclusa quidem est anima corpore, sed ipsa corpus conservat; et christiani detinentur quidem in mundo sicut in custodia, sed ipsi mundum conservant. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat; et christiani ut inquilini corruptibilia inhabitant incorruptibilitatem coelestem exspectantes. Anima quoad cibum et potum male tractata melior fit, et christiani suppliciis affecti quotidie numero crescunt. Deus illos tam insignem tenere locum voluit, quem illis nefas est defugere" (c. 6).

9. *Tertullianus* quoque gentilium vitiis criminibusque honestatem atque virtutes christianorum opponit: „Vestros . . . contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis praesidetis, qui sententiis elogia dispungitis. Tot a nobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus aut corruptor aut lavantium praedo, quis ex illis etiam christianus adscribitur? Aut cum christiani suo titulo offeruntur, qui ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper aestuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiae saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic christianus nisi plane tantum christianus, aut si et aliud, iam non christianus" (Apol. c. 44).

10. Item *Minucius Felix* de sancta christianorum vivendi ratione gloriatur: „Sic nos denique non notaculo corporis

ut putatis, sed innocentiae ac modestiae signo facile dignoscimus sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odisse non novimus: sic nos quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohaeredes. Vos enim nec invicem agnoscitis, et in mutuo odio saevitis, nec fratres vos nisi sane ad parricidium recognoscitis" (Octav. c. 31) Et iterum paulo post: „Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus, et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente praeferimus; non eloquimur magna, sed vivimus; gloriamur nos consecutos, quod illi summa intentione quaesiverunt, nec invenire potuerunt" (ib. c. 38).

11. Pariter *Lactantius* philosophiae sterilitati christianae religionis foecunditatem opponit: „Quod ipsi (philosophi gentiles) facere non potuerunt, sola haec efficit doctrina coelestis, quia sola sapientia est. Illi sc. persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cuiusquam cupiditates opprimunt, iram temperabunt, libidinem coërcebunt, cum ipsi et cedant vitiis et fateantur plus valere naturam? Dei autem praecepta, quia et simplicia et vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus effrenatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; iam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris et mortis: iam cruces et ignes et (Phalaridis) taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: iam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniustum, insipientem, peccatorem: continuo agnus et prudens et innocens erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinae sapientiae vis est, ut in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat" (Instit. div. l. 3. c. 26).

Item *Cyprianus* vitae christianorum virtutibus deditae testimonium reddit: „Nos, inquit, qui philosophi non verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapientiam, sed veritate praeferimus, qui virtutum conscientiam magis, quam iactantiam novimus, qui non loquimur magna, sed vivimus quasi servi et cultores Dei“ (De bono pat. n. 3)

Denique *S. Augustinus* quoque non semel de egregiis 12.
virtutis et sanctitatis fructibus agit, quos in fidelibus religio christiana produxit; imprimis vero in opusculo de moribus ecclesiae catholicae, ubi v. g. c. 30. ss. anachoretarum, coenobitarum, clericorum illustria virtutum exempla refert et praedicat. Quam descriptionem et laudem hic referre cum longum sit, ea solum audiantur, quibus Augustinus testatur, apud christianos in urbibus pluribus communi domo et vitae ratione utentes caritatem omnibus aliis dominari: „Caritas praecipue custoditur; caritati virtus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur; coitur in unam conspiraturque caritatem; hanc violare tamquam Deus nefas dicitur; huic si quid resistit, expugnatur atque eiicitur; hanc si quid offendit, unum diem durare non sinitur. Sciunt ita commendatam esse a Christo et apostolis, ut si haec desit, mania, si haec adsit, plena sint omnia (c. 33, n. 73). Similiter alii Patres et Apologetae nostrae religionis impavidi coram ethnicis et imperatoribus Christianorum innocentiam atque virtutem laudibus extulerunt.

Excipitur tamen suspecta apparere haec SS. Patrum 13.
testimonia, quippe qui, cum ipsi totō animo religioni christianae adhaererent, hac in re aequi iudices vix reputari possint. — Respondetur vanam esse obiectionem. Etenim nunquam SS. Patres tam fidenter virtutes christianorum praedicare potuissent, nisi reapse plurium christianorum sanctitas in omnium oculos incidisset. Gentiles enim certo certius ipsos manifesto contradictionis et falsitatis convicissent. Ceterum tota historia illa SS. Patrum testimonia confirmat, docens, per religionem christianam ingentem morum commutationem et emendationem factam esse.

Denique accedit, quod SS. Patrum relationes vel Gentilium testimoniis confirmantur. Revera

14. c) Gentilium quoque testimonia exstant, quibus non obscure de christianorum virtute et sanctitate testantur. Huc pertinet imprimis famosa *Plinii Iunioris* ad Traianum de Christianis data epistola, quae iam supra relata est (Thes. 35. n. 13). Deinde *Lucianus* de morte Peregrini agens christianorum mirabilem caritatem exhibet. Narrat scilicet, christianos illi in carcere incluso magno studio quaecunque servitia exhibuisse, viduas et orphanos iam primo mane eum visitasse, primores apud ipsum sponte pernoctasse atque pios cum eo sermones habuisse, imo e longinquo plures venisse, ut eum iuvarent, consolarentur, defenderent, pecunias ei darent; generatim enim christianos tantam in eiusmodi casibus beneficentiam ostendere, ut nulli rei parcant. Praeterea *Iulianus Apostata* quoque christianorum virtutis et sanctitatis testis exstat. Caritatem enim christianorum atque vitae sanctimoniam suis in exemplum proponit: „Quid causae est, inquit, cur non potius convertamus oculos ad ea, quibus christianorum religio crevit, id est ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, et ad sanctimoniam quam simulant. Non turpe profecto est, cum nemo ex Iudaeis mendicet, et impii Galilaei non suos modo, sed nostros quoque alant" (Ep. ad Arsacium ap. *Sozom.* H. E. l. 5. c. 16). Idem Iulianus martyrum constantiae et alacritatis testis exstat; etenim contra christianos aperte „movere bellum manifeste nolebat; omnes enim, dicebat, ad martyrium quasi ad alvearium apes volabunt" (Ap. *Chrysost.* orat. in Iuventin. et Maximin. n. 1). Denique Gentiles valde efficaciter sane de singularibus christianorum virtutibus eo testati sunt, quod omni conatu saepe eos ad opposita vitia pertrahere conati sunt. Ad rem *Tertullianus:* „Ad leonem, inquit, damnando Christianum potius quam ad leonem, confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari" (Apol. c. 50). Eodem Tertulliano testante Christiani gentilibus nulla re magis erant

„noscibiles, quam de emendatione vitiorum pristinorum“ (Ad Scap. cap. 2); et degeneres Christiani ab ethnicis quasi digito demonstrabantur, unde patet, a Gentilibus morum integritatem velut proprium quid Christianorum consideratam fuisse. „Ipsi in colloquio, inquit, si quando adversus nos, cur ille, inquitis, fraudatur, si abstinentes christiani? cur immitis, si misericordes? adeo testimonium redditis, non esse tales Christianos, dum cur tales sint, qui dicuntur Christiani retorquetis“ (Ad nat. l. 1. c. 5). Itaque Gentiles quoque ipsi non una ratione certam suam de Christianorum vitae integritate et sanctitate persuasionem prodiderunt.

Excipiunt opponentes degeneres et vitiis depravatos 15
multos quoque christianos fuisse. — *R.* Fuerunt sane sed hi facti expositi splendorem vix imminuunt. Recte sane *Tertullianus:* „Sufficit et hoc ad testimonium nominis christiani, si non omnes, si non plures. Necesse est in corpore, et quantum velis integro aut puro, ut naevus aliquis effruticet. . . . . Maior boni portio modico malo ad testimonium sui utitur; cum tamen aliquos de nostris malos probatis, iam hoc ipso Christianos non probatis“ (Ad nat. l. 1. c. 5) Scilicet *primo* mali illi christiani contra suae religionis praecepta vitiis dediti non efficiunt sane, ut in ceterorum insigni virtute et sanctitate salutaris religionis christianae influxus non conspiciatur. *Praeterea* christianorum plurium vitiis et criminibus unum hoc efficitur, eos religionis influxui apud alios efficaci et salutari per suam culpam se subtraxisse. Qui enim christiani in vitia relapsi sunt, similes iis aegrotis merito computantur, qui remediis aptissimis, quibus antea usi erant, despectis in morbum relabuntur. *Denique* christianorum plurium vitia et crimina comparari nequeunt cum omnis generis flagitiis sceleribusque, quae inter gentiles passim grassabant. Quod *Origines* testatur scribens: „Ecclesiae Dei a Christo edoctae, si cum populorum conciliis, quibuscum habitant, comparentur, in mundo tamquam lumina sunt. Ecquis enim non fateatur, eos qui in ecclesia deteriores sunt, et in meliorum

comparatione peiores, praestantiores esse multis eorum, qui in popularibus coetibus vivunt" (C. Cels. l. 3. c. 29).

16. *3. Considerandum est, christianos in earum virtutum specialium exercitio maxime eminuisse, quae tum gentilibus vel theoretice ignotae erant, tum vero eorum corruptioni efficacissima remedia afferebant.* — Amori proprio scilicet vel egoismo, qui forma quasi gentilitatis erat et veluti radix reliquae corruptionis, christiana religio efficacissimum remedium opposuit amorem Dei, quae virtus, cum ne nomen quidem eius ethnicis compertum esset, christianorum velut anima et vita est. Hic vero amor Dei cum religione christiana et per eam homines ingrediens eos non tantum a vitiis, quemadmodum ferrum ignis, emendavit, sed admirandae perfectionis et sanctitatis foecundus fons fuit. Quam heroicum gradum ille amor in primae aerae christianae fidelibus attigerit et quam pulchram aliarum virtutum catervam pedissequam habuerit, stupendo exemplo SS. Martyres imprimis ostenderunt. Superbiae deinde gentili christiana religio virtutem oppósuit humilitatis, quae quidem virtus, cum ex verissima Dei et sui cognitione sponte efflorescat, gentilibus item plane ignota erat. Doctrina vero christiana eam efficacissime edocuit exemplar proponens sicuti aliarum virtutum ita huius imprimis, ipsum Christum Deum-hominem, quippe qui *„cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis"* (Phil. 2, 6 ss.). Revera ubicunque religio christiana radices egit, haec quoque virtus efflorescebat, ita ut innumeri fere christiani sponte pristinis honoribus et dignitatibus renuntiarent et ex amore Christi humilis humilem et ignotum vitam degerent. Item concupiscentiae oculorum religio christiana sanctam paupertatem opposuit et contemptum rerum caducarum, quae virtus in prima aera christiana egregie enituit imprimis in anachoretis, coenobitis aliisque multis christianis. Innumeri enim chri-

stiani pauperem Iesum paupertate sua imitari et colere sancto amore studebant. Tum contra libidinis carnalis pestem religio christiana sanctum castitatis amorem in hominum cordibus implantavit, cuius insignes fructus sunt pudor, coniugii sanctitas, feminae in eum gradum, quem Deus ipsi destinavit, restitutio, ac denique lilium virginitatis, insigne religionis christianae decus. Quam sancte has virtutes innumeri christiani coluerint, item historia testatur et exemplis illorum illustrat, qui ipsi morti sanctam corporis et animi integritatem praeferebant. Denique inhumanitati gentilium atque in inimicos odio doctrina christiana sanctum proximorum etiam inimicorum amorem opposuit, qui ex Dei amore sponte efflorescit, atque individuo nexu cohaeret. Quod tantus erat imprimis mutuus christianorum amor, ipsi saepe gentiles admirati sunt. De qua re praeclarum *Tertulliani* testimonium exstat: „Vide, inquiunt (ethnici), ut invicem se diligant; ipsi enim invicem se oderunt; et ut pro alterutro mori sint parati: ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erant" (Apol. c. 39). Quod inimicorum amorem attinet, apud Gentiles plane incognitum, haec habet *Athenagoras*: „Quaenam, inquit, sunt illa placita, in quibus enutrimur? *Ecce dico vobis, diligite inimicos vestros.* Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud reges philosophos causam dicens, in sermonem magno clamore exaudiendum liberrime erumpam. Quinam enim vel ex his qui syllogismos resolvunt, ambigue dicta dissolvunt, et voces, unde dictae sint, explanant . . . . quinam, inquam, ex his ita puri insontesque vivunt, ut inimicos non modo non oderint, sed etiam diligant; ac iis, qui priores maledixerunt, non modo non maledicant, quod tamen moderatissimum videtur, sed etiam benedicant, et pro illis precentur, qui ipsorum vitae insidiantur" (In legat. pro Christ. n. 11).

17. *Excipitur* virginitatem apud gentiles quoque in honore habitam esse atque virginibus christianis virgines vestales opponunt. — *R.* Multiplex discrimen est inter utrasque virgines atque christianae virgines vestalibus multipliciter

praestant; etenim, ut recte notat *Hurter*, „primo haec fuerunt paucae (primum 4, dein 6), illae innumerae; secundo horum virginitas fuit honoribus et commodis compensata, illarum vero iniuriis et martyrio exposita; tertio harum virginitas non fuit perpetua; poterant post certum exactum tempus (post annum 30.) inire matrimonium, illarum fuit perpetua; quarto harum virginitas fuit coacta ac poenis custodita, illarum vero plane spontanea omnique seductioni exposita. De quo discrimine disserunt *Ambrosius* l. 1. de virgin. c. 4; ep. 18. n. 11 ss.; et *Prudentius* adv. Symmach. l. 2. v. 1054 ss." (Comp. I[13] p. 102 nota) cf. *Weiss*, Apol. T. I diss. 16.

18. *4. Consideranda est perpetua mirae huius religionis christianae foecunditatis per omnia saecula continuatio.* — Revera religio christiana non solum primis ecclesiae saeculis populos gentiles ex turpibus idololatriae erroribus et vitiorum atque corruptionis coeno ad sanctam suam doctrinam morumque integritatem convertit, sed continuo et successive per subsequentia saecula Europae et Americae omnes, necnon plures Africae, Asiae, Australiae gentes barbaras eadem ratione reformavit. Atque hac quoque aetate apud gentes ethnicas a praeconibus christianis simul cum doctrina christiana sancta vitae ratio et morum integritas miro studio nec minus miro saepe successu implantantur et diffunduntur. Testes sunt v. g. gentes Africanae, quae nimis diu erroribus pessimis obstrictae et moribus foedissimis perversae nunc plures ad fidem christianam convolant et simul cum fide christiana morum integritatem et virtutes sectantur. Neque unquam in ecclesia catholica heroicae illae virtutes defecerunt, quae prima aera in eadem efflo-ruerunt. Quod v. g. speciatim amorem proximorum attinet, plurimi quavis aetate excelluerunt, qui bonis temporalibus quibusvis, voluptatibus et commodis licitis quoque heroico amore renuntiantes et Christum imitantes miseriae aliorum temporali ac praesertim spirituali sublevandae se totos atque vitam ipsam impenderunt. Singulari hac caritate, qua pro aliorum hominum etiam non christianorum salute vel ipsa

vita impenditur, quavis aetate ordines religiosi eminuerunt, quippe quorum plures in aegrotis, peste infectis, leprosis colendis et inserviendis vitae suae institutum posuerunt atque ad hoc caritatis officium sponte susceptum implendum a nullo incommodo, a nullo labore, a nullo periculo, imo nec a morte ipsa refugerunt. Cuius heroicae caritatis a christianis cuiusvis conditionis, aetatis, sexus, exhibitae pleni sunt annales ecclesiae catholicae. Quandocumque nova necessitas, miseria, calamitas oriebatur, illico caritas christiana ad sublevandum, adiuvandum, sucurrendum praesto erat. Exemplo sunt nostro tempore in imperio Sinensi infantes miseri, qui a parentibus inhumanae reiecti et certae morti traditi a catholica caritate colliguntur et corpore et anima salvantur. Exemplo item sunt leprosi in Oriente, quorum ab omnibus derelictorum saluti corporali et spirituali procurandae sacerdotes catholici cum certa praevisione infectionis et praematurae mortis heroica caritate ad omnium admirationem se totos impenderunt.

19. 5. *Considerandum est, nullam unquam scholam philosophicam neque sectam religiosam ullam cum ecclesia catholica a longe comparari posse relate ad illam fructuum moralium foecunditatem.* — Revera si sub hoc respectu ecclesia cum scholis philosophicis sectisque comparetur, mira eius foecunditas prae illarum sterilitate necessario oculos considerantis percellit. Nimirum

a) Philosophia imprimis in paucis suis asseclis ad summum naturalem quandam honestatem et sapientiam produxit: ad moderationem quandam in voluptatibus sensibilibus servandam vel maiores excessus vitandos aliquos determinavit et induxit; constantiam, fortitudinem, patriae amorem quadantenus promovit. Virtutes vero, quae sunt maxime insignes, quippe quibus Deus peculiari modo honoratur, homo ipse nobilitatur et Deo maxime assimilatur necnon vita socialis multum promovetur, ut caritatem Dei, dilectionem proximi etiam inimicorum, humilitatem, spontaneam virginitatem ne theoretice quidem cognoverunt vel agnoverunt. Praeterea non ad Deum summum bonum et ultimum finem,

sed ad propriam suam vel patriae gloriam et utilitatem tamquam ad solum finem exercitium illarum virtutum direxerunt adeoque idem intrinsecus vitiarunt. Denique philosophia in paucis tantum illos effectus quadantenus bonos produxit, in reliquos vero imprimis in vulgum nullum influxum exercuit. Quare inefficax prorsus erat ad corruptionem sanandam (cf. th. 16. n. 15 ss.).

20. b) Quod deinde sectas christianas ab ecclesia separatas attinet, iam supra (th. 43. n. 44.) dictum est, eas potius catholicos pervertere, quam ethnicos barbarosque ad christianam fidem convertere. Quod vero virtutes christianae apud sectas a pluribus exercentur, id quidem ex iis ecclesiae doctrinis et subsidiis provenire facile perspicitur, quae catholicam fidem abiicientes sectae retinuerunt. Ceterum in nulla secta sancti exstiterunt, ex quo splendidissimo ecclesiae insigni infra specialis demonstratio instituetur. Ex eiusdem religionis christianae reliquiis illa quoque residua morum humanitas provenit et explicatur, quae apud populos modernos adhuc viget, quamvis magnam partem fidem christianam abiecerint. Quod quidem historia luculenter confirmat, quippe quae docet, eo magis integras gentes in morum corruptionem et barbariem relabi, quo magis veritatem relinquunt atque abiiciunt.

Assertio secunda: Admiranda haec religionis christianae foecunditas fructuum moralium tam insignium nonnisi ex divina virtute supernaturali explicatur.

21. Haec assertio iisdem fere argumentis manifesta redditur, quibus assertio quarta thesis praecedentis demonstrata est. Itaque rationes demonstrationis breviter innuisse sufficiet.

1. Probatur ex comparatione cum aliis doctrinis religiosis et moralibus. — Ut in prima assertione expositum est, nulla unquam exstitit religio vel doctrina, quae, cum de moribus reformandis et virtutibus in hominum animis implantandis agitur, vel a longe cum religione christiana comparari possit. Revera vitae moralis reformatio, quam

religio christiana operata est, ad instar novae creationis menti contemplanti apparet. Iamvero religio christiana naturalibus mediis et subsidiis prae aliis religionibus et societatibus non excelluit. Quare, ut mira illa foecunditas explicetur, necessario concludendum est ad divinam virtutem, quae supernaturali suo influxu doctrinam christianam foecundam reddidit. Merito igitur Ecclesia ad illam morum per doctrinam christianam reformationem verba Psalmistae accommodat: *„Emittes spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae"* (Ps. 103, 30).

2. Ex ipsa natura illius morum reformationis. — 22. Videlicet stupenda illa morum reformatio multo sane difficilior apparet, quam congrua religionis naturalis cognitio; atqui haec generi humano secundum vires suas naturales spectato moraliter impossibilis est, ut ex demonstratione supra (th. 16) facta constat; ergo multo magis impossibile est, ut illa morum reformatio per vires naturales hominum efficiatur. Quod vel eo magis dicendum est, quod illa morum emendatio non in paucis solum neque in iis tantum, qui innatam quasi ad virtutem dispositionem habebant, neque raro tantum facta est; sed in innumeris hominibus, apud gentes ferocissimas quoque et quavis aetate mirabiles illos fructus religio christiana produxit. Quare in stupendo hoc effectu omnipotentis gratiae influxus manifesto se prodit. — Hic ea quoque imprimis pensari debent, quae in praecedenti thesi de subitis conversionibus animadversa sunt (n. 37).

3. Confirmatur auctoritate testium. — Divinae omnipo- 23. tentiae effectum in illa morum reformatione SS. Patres quoque conspexerunt et admirati sunt. „Si quis posset, inquit *Origines*, a vitiorum colluvie, a libidine, a nequitia, a contemptu numinum animos avertere tantique operis specimen in centum hominibus dedisset, quos revocasset ad meliorem frugem; hunc nemo iure dixerit sine Deo centum illos homines a tantis vitiis liberasse" (C. Cels. l. 1. n. 26). Atque iterum declarat: „Divinitatis testes sunt tot ecclesiae hominum, qui a vitiorum colluvie aversi conditori se totos

addicunt et in omnibus illi placere student" (ib. n. 47). Item *Prosper* gratiam divinam omnipotentem effectus illius causam celebrat in carmine de ingratis: „Sic prius immites populos urbesque rebelles, vincente obstantes animos pietate, subegit. Non hoc consilio tantum hortatuque benigno suadens atque docens, quod normam legis haberet gratia; sed mutans intus mentem atque reformans vasque novum ex fracto fingens virtute creandi" (v. 333 ss.). Imo vero iam ipse Apostolus miram illam hominum conversionem resuscitationi mortuorum pulchre comparat atque divinae gratiae divitias in ea resplendentes conspicit: *„Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae, in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostrae, facientes voluntatem carnis, et cogitationum, et eramus natura filii irae, sicut et ceteri: Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cuius gratia estis salvati) et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in saeculis superrenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis salvati per fidem et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus"* (Eph. 2, 1—10).

24 *Conclusio:* Cum itaque mira religionis christianae foecunditas manifesto specialis prorsus divinae gratiae effectus sit, haec eadem religio Dei ipsius testimonio, quippe quod in tali singularis foecunditatis miraculo morali continetur, vera esse declaratur. — Verum alia quoque ratione ex fructibus, quos tum in ordine vitae moralis tum in aliis ordinibus Ecclesia producit, veritas eius atque divina origo infertur. Scilicet religio christiana vel Ecclesia multiplicis atque mirabilis perfectionis in decursu undeviginti saecu-

lorum principium exstitit. Iamvero quod mendacium, fallacia, fraus est, absurde diceretur principium esse perfectionis verae et stabilis. Ergo religio christiana nequit esse mendacium, fraus et fallacia; ergo vera est et divinae originis, cum hanc eadem sibi ipsi vindicet eique miram suam foecunditatem attribuat. Ad rem *Origines:* „Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita et malitia quotidie magis ac magis minuatur" (C. Cels. l. 2. n. 50).

Scholion.

Obiectio quaedam repellitur. — Huc pertinet obiectio, **25.** qua nulla magis recentiore tempore contra religionem Christi sive Ecclesiam urgetur. Accusant eam nimirum, quod in ordine vitae socialis et culturae humanae nocivum potius influxum exerceat, progressui pertinaciter refragetur atque prosperitati temporali tum individuorum tum regnorum multipliciter noceat. Atque haec ex ipsa interna indole Ecclesiae catholicae provenire contendunt. Eo enim, inquiunt, quod praesentem vitam ut exilium, aeternitatem vero ut patriam considerat, terrena despicere atque sola aeterna sectari docet ideoque homines ad saecularia negotia ineptiores reddit; quia libertatem nimis restringit, necessario activitatem quoque humanam minuit, homines abiectos reddit, scientias at artes impedit, atque generatim culturae progressum continuo inhibet ac reprimit. Cum vero Protestantismus ex adverso procedat atque imprimis libertatem et individualismum foveat, maxime culturam tum in singulis tum in nationibus promovet; qua ratione factum est, ut tum singuli catholici prae singulis Protestantibus, tum nationes catholicae prae nationibus Protestanticis inferiores appareant et misere tabescant. — *R.* Tota ista obiectio speciem solum quandam veritatis habet, reipsa autem cumulum confusionum atque calumnarium continet. Quod cum multis ostendi possit, pauca hic adnotasse sufficiat. Itaque

1. Primo considerandum est prosperitatem temporalem **26.** nequaquam a sola religione sed a multis aliis simul causis

et conditionibus pendere. Quod iam inde manifestum est quod retenta eadem religione prosperitas individuorum et populorum maxime variatur. Qui itaque ex minore catholicorum prosperitate ad falsitatem religionis catholicae continuo concludunt, perabsurde procedunt. Multo arctiore et quadantenus necessario nexu cum religione cohaeret vita religiosa et moralis hominum; in hac autem, ut demonstratum est, ecclesia catholica omnibus aliis religionibus et sectis quoque christianis incomparabiliter praestat.

27. 2. Inepta calumnia est, quod Ecclesia vitae sociali, culturae humanae, prosperitati temporali noceat atque progressui inimica sit. Haec omnia potius ecclesia promovet et recte ordinat, necnon ad veram humani generis perfectionem et felicitatem dirigit. Quod quidem manifesto patet ex doctrinae christianae excellentia et cum humana natura congruitate, quae supra (thes. 38.) expositae fuere. Praeterea huius rei testis est historia, utpote quae docet per solam Ecclesiam gentes barbaras Europae, Americae aliasque edomitas esse atque ad veram et summam culturam adductas.

28. 3. Ecclesia quidem vere vitam praesentem ut exilium et futuram ut patriam considerat, neque tamen ideo impedit omnem curam prosperitatis temporalis, sed inordinatam solum, immoderatam et iniustam prohibet, atque hac ipsa ratione verae felicitati et prosperitati quoque temporali maxime consulit. Cuius rei testes sunt nationes catholicae, quae dum vere Ecclesiae eiusque doctrinae deditae erant, prosperitate temporali quoque maxime floruerunt, ut Hispania saeculo 16. et 17., Lusitania eodem tempore aliaeque eodem vel alio tempore nationes. Quod vero coelestium cura, quam Ecclesia inculcat, ad negotia rei publicae catholicos reddat ineptos, insignis stultitia est, siquidem recta, iusta, christiana talium munerum administratio spectatur, ut res ipsa postulat. Recte iam *Augustinus* eos, qui inepta hac ratione christianam religionem impetebant, strenue his verbis repellit: „Qui doctrinam Christi, inquit, adversam dicunt esse rei publicae, dent exercitum talem,

quales doctrina Christi esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana: et audeant eam dicere adversam rei publicae" (Ep. 138, n. 15).

4. Aeque falsum est, quod ecclesia iniuste veram liber- 29
tatem restringat; arbitrae solum licentiae, qua passionibus frena laxantur et paulatim tum individua tum regna corrumpuntur et in interitum vergunt, constanter et fortiter se opponit, atque falsam illam independentiam prohibet, qua debita legitimae auctoritati obedientia detrectatur atque omnis ordo in fundamentis ipsis concutitur. Neque igitur activitatem humanam impedit, sed recte ordinatam et ad bonum iustumque finem directam multum fovet. Quod iterum historia testatur tum si singuli homines tum si universae nationes spectantur. Annon expeditiones crucigerorum v. g. et Hispanorum atque Lusitanorum cursus, quibus novas terras inveniebant et simul religioni christianae atque culturae subiiciebant, stupendae activitatis argumentum sunt? Porro proterva prorsus calumnia est religionem catholicam homines reddere abiectos servos. An vero ignorant adversarii eum, qui legitimae auctoritati se subiicit, Deo ipsi servire? Qui autem Deo servit, vere liber est et regnat: „Deo servire regnare est." An abiecti fuerunt tot sancti martyres, tot ss. doctores et confessores, tot heroes in omni virtute, tot mirabiles humanitatis benefactores, quos Ecclesia peperit et enutrivit? Annon potius abiecti sunt, qui legitimae auctoritatis iugo excusso passionibus suis et licentiae tamquam vilia mancipia inserviunt? Profecto coeco odio et quasi diabolico delirant, qui ita obiicientes contra Ecclesiam insultant. Denique non magis verum est, quod Ecclesia libertatem iusto magis restringendo scientiarum, artium, culturae progressum inhibeat. Ecclesia enim, quod scientias, artes et reliquam culturam attinet, nihil unquam inhibet, quod non aut veritati, sive naturali sive supernaturali, aut bonitati morali repugnet. Non igi-

tur veram libertatem restringit, sed absurdam et criminosam licentiam cohibet, non verae scientiae, verae arti, verae culturae, vero progressui nocet, sed falso norum et fucato simulacro adversatur, atque hac ratione veram culturam, quantum potest, contra aberrationes tuetur. Imo Ecclesia quavis aetate scientias, artes, universam culturam quam maxime promovit, cuius rei testes scholae sunt, collegia, universitates, quas erexit, instituta scientiarum, quae fundavit, subsidia, honores, quos hominibus doctis contulit et alia plura, quae historia ecclesiastica recenset.

30. 5. Quod speciatim comparationem inter Protestantismum et Ecclesiam vel inter Protestantes et Catholicos institutam attinet, plura animadvertenda sunt ad rem recte intelligendam et iuste iudicandam. *In genere imprimis* dicendum est Protestantismum per se maxima incommoda culturae humanae attulisse et nonnisi per accidens eam in aliquibus promovisse. Cum enim reformatores peccato originali libertatem humanam penitus corruptam et rationem, cui infallibilem Scripturae s. intelligentiam adscribebant, absurda contradictione plane obscuratam ponerent, Protestantes prima sua aetate contra scientias, artes, culturam furiosa mente perniciosum bellum gesserunt maximamque culturae ruinam effecerunt. Deinde vero, cum reactione exorta principium suum formale, secundum quod individualis ratio suprema norma veritatis tum supernaturalis tum naturalis est, magis magisque practice exsequerentur et urgerent, germen dissolutionis tum in theologium tum in philosophiam induxerunt; qua ratione factum est, ut theologia Protestantium rationalismo infecta atque penitus iam dissoluta sit, philosophia autem subiectivismo, scepticismo, nihilismo corrupta tabescat. Hinc ipsa protestanticae plebis fides magis magisque corrumpitur et disparet, spes bonorum aeternorum deficit, fames prosperitatis temporalis unice fovetur et continuo crescit, Socialismus et Pessimismus orti sunt et necessario invalescunt ac denique nova barbaries instat. Hi sunt fructus, quos Protestantismus ex natura sua atque ex interna indole seu per se produxit

Per accidens vero Protestantismus culturae humanae emolumenta aliqua attulit eamque, materialem imprimis, quadantenus promovit. Eo enim, quod fidem destruxit, hominum animos a coelestibus et aeternis ad terrena et temporalia bona convertit; atque hinc multi his mutabilibus et corruptibilibus bonis unice intenti totis viribus in culturam materialem promovendam, felicitatem temporalem acquirendam, divitias accumulandas continuo incumbunt. Praeterea Protestantismus eo, quod Scripturam s. statuit unicum fidei fontem, atque rationem individualem unicum huius interpretem, studia biblica eatenus promovit, quatenus plures ad Scripturam pervestigandam impulit atque determinavit; simul autem hac ratione unitatem fidei, imo ipsam fidem destruxit, necnon inspirationem, authentiam atque sic totam Scripturam s. iterum destruxit et sustulit et consquenter studiis biblicis veris ipsum fundamentum subtraxit. Itaque iisdem viis, quibus Protestantismus culturam et progressum per accidens fovit, iisdem homines per se a religione christiana, a Christo, a Deo abduxit atque ea ratione culturam et progressum radicitus vitiavit eorumque dissolutionem et corruptionem induxit; quod evidens signum est, Protestantismum non esse veram Christi religionem sed potius fundamentalem atque plenam ab ea defectionem. Quibus animadversis *iam in concreto* inter Catholicos et Protestantes sub respectu culturae institui potest comparatio paucis momentis exhibitis.

a) Si imprimis artes pulchrae spectentur, absurde pror- **31.**
sus Protestantes Catholicis superiores dicuntur. Qui v. g. inter poetas christianos eminent, catholicam fidem professi sunt, ut Dante, Calderon, Lope de Vega, Racine, Corneille, et probabilissime Shakespeare. Iam cum his, ut vel ipsi docti et sobrii iudicii Protestantes concedunt, poetae protestantes, ut Klopstock, Voss aliique nulla ratione aequiparari possunt. Qui vero magis ad illos catholicos poëtas principes accedunt, Goethe, Lessing, Schiller, Protestantibus immerito accensentur, cum omnem christianam religionem aversarentur vel indifferentes circa eam essent. Similiter

in arte plastica et pictura qui maxime eminent, catholici fuerunt, ut Raphael, Michel Angelo, Murillo, Cornelius, Overbeck, Führich aliique. Protestantes vero nec tot nec tanti in hac arte magistri extiterunt. Item in arte musica prae aliis praestant Palaestrina, Orlando Lasso, Beethoven, Mozart, Haydn, Liszt, Haendel, uterque Bach. Iamvero ex his duo posteriores tantum Protestantes fuerunt, dum ceteri omnes catholici erant.

32. b) Neque quod inventiones diversas attinet, Catholici prae Protestantibus inferiores ulla ratione apparent. Americam aliasque plures terras incognitas viasque maritimas Hispani et Lusitani invenerunt. Pulvis nitrosus, ars typographica, electricitas aliaque plurima, quae maxime culturam materialem promoverunt, catholicorum inventa sunt.

33. c) Multo minus etiam in scientiis primariis, in philosophia et theologia catholici inferiores dici possunt. Imo reipsa multum praestant. Etenim cum magnis illis ingeniis S. Thoma, B. Alberto, Suario, aliisque etiam recentioribus, ut Kleutgen, recentiorum acatholicorum philosophorum nullus aequiparari potest. Praeterea, quod caput est, philosophia catholica systema constituit, quod perfici sane potest et progressui patet: simul vero tum in se firmitate sua, pulchritudine, profunditate oculos considerantis percellit, tum etiam cum veritate revelata harmonice conspirat. Econtra philosophia protestantica, quae cum revelatione conspiret, frustra quaeritur; et quae systemata acatholica exstant, absurdis subiectivismi, scepticismi, materialismi, pantheismi erroribus infecta sunt et tabescunt. Similiter theologia protestantica adeo subiectivismo et rationalismo corrupta est, ut neque nomen theologiae iam mereatur, sed potius ut historica disciplina consideranda sit. Econtra theologia catholica nunc quoque integrum fundamentum suum, veritatem revelatam, servavit, eam explicat, evolvit, in mirabile systema cum veritatibus naturalibus componit, atque quiete, solide, recta via progreditur. Profecto sub hoc respectu est, cur Catholicis Protestantes invideant.

d) Quod aliquas scientias easque potissimum vel unice 34
inferiores magisque materiales attinet, Protestantes quidem in regionibus aliquibus numero imprimis praestare videntur. At vero hoc fidei catholicae vitio vertere perabsurdum est; facile enim res aliunde explicatur. Scilicet hoc inde provenit, quod a guberniis protestantes non raro praeferuntur et proteguntur atque mediis, institutis, muneribus instruuntur, quae ad scientiarum cultum multum conferunt vel simpliciter necessaria sunt. Catholicis econtra per saecularizationem instituta scientifica, universitates, et generatim bona sua maximam partem erepta sunt. Deinde generatim protestantes ditiores esse quam catholicos concedi quidem potest. Si vero hinc aliqui argumentum veritatis Protestantismi petunt, nescio an stultitia et vesania ulterius progredi possint. Secundum hanc sc. argumentandi rationem religio iudaica ipso Protestantismo multum praestaret. Si vero principiis Christi inhaereatur, qui beatos praedicat pauperes spiritu, ii potius veram religionem sectari dicendi sunt, qui aeternis magis intenti quam temporalibus non adeo divitias quam virtutes sectantur atque consequuntur.

e) Quod denique Protestantes plures saepe de potentia, 35.
divitiis, progressu materiali regnorum protestanticorum prae catholicis gloriantur, indeque suam sectam commendare et confirmare volunt, valde ineptum est. Etenim *primo* verum non est regna protestantica ut talia generatim sub illis respectibus prae catholicis eminere. Suevia enim et Dania, quae regna integre Protestantismo subiecta sunt, nullatenus catholicis regnis praestant, imo his non una ratione inferiores sunt. Belgium autem, quod maximam partem catholicum est, mercatura, commerciis, quaestus negotiis, divitiis nulli regno, si res relative spectetur, secundum est. Neque Francogallia vel Monarchia Austriaco-hungarica aliis regnis, quae protestantica esse reputantur, reipsa simpliciter et in omnibus inferiora censeri possunt. Regna vero, quae magis potentia nunc eminere videntur, immerito protestantica dicuntur. Russia enim schismatica est, non protestantica; Statuum unitorum Americae sepentrionalis incolae partim

in infinitas fere sectas divisi sunt, maximam autem partem nullam religionem profitentur; Ecclesia autem catholica ibidem plures quam ulla alia secta asseclas habet, sc. 10—12 milliones. Anglia protestantica sane est, sed magis magisque ad Ecclesiam accedere et reverti videtur; atque radices potentiae huius imperii usque ad catholicam eius aetatem ascendunt. Neque regnum germanicum simpliciter protestanticum dici potest, cum v. g. inter coetus politicos primatum prorsus teneat factio catholica, i. e. ‚Centrum'. *Deinde* vero etsi regna aliqua protestantica potentia politica emineant, penitus absurde inde ad praestantiam vel veritatem sectarum protestanticarum concluderetur vel quidquam contra Ecclesiam catholicam inferretur. Secus enim stulte dicendum esset cum prosperitate regnorum religionis quoque, quam profitentur, veritatem mutari, et cum v. g. saeculo 16. vera esset religio catholica, quia regna catholica, ut Hispania, Lusitania, tunc maxime florebant, nunc iam falsam evasisse, cum aliqua regna catholica a potestate sua exciderint et infirmiora evaserint. Dicendum pariter esset saeculo 10. Muhamedanismum fuisse veram religionem. Nemo autem est, qui non videat, quam stulta et absurda talis illatio foret. *Porro* insana calumnia est regna catholica propter suam religionem a pristina potentia et prosperitate excidisse; contrarium enim potius verum est. Scilicet imperia catholica tum reipsa maxime florebant, cum sincere fidei catholicae adhaerebant eamque fovebant, atque Ecclesiae auctoritate agnita in amica cum ea coniunctione consistebant. Quod igitur regna catholica quaedam inferiora et regna acatholica superiora esse videantur et partim sint, ex aliis causis provenit, quam ex religionis professione, ut v. g. ex situ geographico, ex naturalibus soli divitiis, ex unitate vel diversitate nationali aliisque plurimis conditionibus et causis. Imprimis autem considerandum est, quod sectae massonicae aliaeque ordinis politici et religiosi eversionem molientes societates secretae praecipue vel unice monarchias catholicas machinationibus suis perniciosis impetiverunt, protestanticis autem regnis pepercerunt, imo cum eis amico

foedere saepe collaborarunt. Etenim sectae illae impiae non in Protestantismo neque in regnis protestanticis, sed in Ecclesia atque catholicis regnis adversarios suos conspexerunt, quibus divictis iam nihil consiliis suis resistere posse persuasum habent. *Denique* rem accurate consideranti regnorum acatholicorum potentia non adeo est firma et solida, sed aliqua ex iis tamquam statuae ingentes aereae cum fictilibus pedibus apparent, quae facile corruere periclitantur. Et revera cum defectio a fide et inde consequens corruptio magis magisque ipsam plebem protestanticam inficiat, ipsa fundamenta illorum regnorum paulatim concutiantur atque radices roboris ac potentiae corrodantur necesse est. Nisi igitur fides christiana restituatur, neque temporalis potentia et prosperitas solidae et diuturnae esse poterunt. Atque haec pauca de comparatione inter Ecclesiam et sectas sub respectu culturae instituta sufficienter ostendunt, obiectivam et sobriam historiae tum anteacti tum praesentis temporis considerationem in laudem potius, encomium et gloriam ecclesiae cedere, quam in vituperium. Sub hoc quoque respectu adagia valent: ‚In cruce salus', et ‚stat crux. dum volvitur orbis.' — Cf. *Balmes,* Protestantismus und Katholizismus; *Chateaubriand,* Le génie du christianisme; *A. Weiss,* Apologie; *J. Janssen,* Geschichte des deutschen Volkes. — *Esser-Mausbach,* t. III, p. 2.

Articulus quartus.

De religionis christianae conservatione.

Thesis 45. Quemadmodum mira religionis christianae propagatione, ita etiam admirabili inter et pericula et tam saevas procellas conservatione divina eius indoles aperte manifestatur.

Declaratio.

Summa argumenti et divisio thesis. — Argumentum in hac thesi evolvendum maximam analogiam habet cum eo, 1.

quod supra ex religionis christianae propagatione expositum est, formaliter tamen ab eo differt: quare propria et distincta thesi declarandum est. Iam SS. Patres praeter propagationem Ecclesiae conservationem quoque eiusdem admirantur, verbis magnificis celebrant, atque eam tamquam manifestum veritatis sigillum divinitus impressum declarant. Eloquenter illam Ecclesiae firmitatem imprimis *Chrysostomus* saepe extollit, ut v. g.: „Nihil Ecclesiae par est. Ne mihi commemores muros et arma; muri enim deteruntur, Ecclesia vero nunquam senescit. Muros barbari demoliuntur; Ecclesiam ne daemones quidem vincunt. Quod haec non sunt iactantiae verba, res ipsa testatur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt! Ecclesia vero coelos transcendit. Talis est Ecclesiae magnitudo; vincit impugnata, insidiis appetita superat, contumeliis affecta splendidior evadit, vulnera excipit nec ulceribus cadit, agitata fluctibus non demergitur: procellis impetita naufragium non patitur, luctatur nec prosternitur, pugilatu certat nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? Ut illa splendidius tropaeum erigeret" (Hom. de capto Eutropio n. 1). Iamvero nunc post tot saeculorum procellis refertorum decursum multo magis quam SS. Patrum tempore illa Ecclesiae firmitas resplendet ideoque argumentum multo luculentius praebet; quare specialem considerationem meretur. Ut vero tota vis huius argumenti eluceat, expositionem eius vel thesis demonstrationem duabus assertionibus complecti iuvabit; in prima ipsa mira illa religionis christianae conservatio et firmitas exponenda est, in secunda vero ostendetur, eam divinae solum potentiae adscribi posse, ideoque luculentam religionis christianae confirmationem praebere.

Demonstratio.

Assertio prima: Religionis christianae inter tot pericula et procellas conservatio ut factum historicum plane extraordinarium atque admirabile apparet.

2. Admirabilis plane indoles diuturnae huius Ecclesiae conservationis optime perspicitur et oculos percellit, si paulo

accuratius considerentur procellae, insectationes, violentae impugnationes, pericula, bella, quae gloriose sustinuit et superavit.

1. Imprimis adversarii Ecclesiae externi eius interitum maxima vi et aperta violentia moliti sunt. — Hic spectandae sunt cruentae Ecclesiae persecutiones trium praesertim priorum saeculorum, in quibus imperatores Ecclesiam ferro et igne exstirpare conati sunt. Verum postea quoque potentes huius saeculi interitum eiusdem vi et armis moliti sunt. Vixdum enim persecutiones illae priorum saeculorum cessaverunt, cum iam iterum existentia Ecclesiae in discrimine versabatur. Nimirum quod contra Constantinum Licinius gerebat bellum religionis erat contra religionem christianam susceptum; id enim intendebat Licinius, ut Deus christianorum crucifixus a diis gentilium devinceretur. At devictus est Licinius et cum ipso paganismus. Verum denuo, adhibitis omnibus mediis, aperta vi, fraude astuta atque pessimis artibus interitum Ecclesiae moliebatur Iulianus Apostata, qui omnem conatum adhibuit, ut gentilem superstitionem in antiquo splendore restitueret; verum in cassum laboravit atque moriens exclamasse fertur: „Vicisti Galilaee." Ecclesia autem refloruit atque nova incrementa novumque vigorem coepit. Deinde cum in magna illa populorum migratione nationes barbarae septentrionales imperium romanum occidentale invaderent et plane contererent, religio christiana tamen non est deleta neque devicta; ipsos barbaros victores devicit atque edomuit sibique et cruci subiecit et super ruinis antiqui imperii Romani imperium novum et splendidum romano-germanicum fundavit atque exstruxit. Illa vero omnia pericula magnitudine ingens interitus periculum excedit, quod minabatur religioni christianae invasione islamica. Ferro atque igni Islamismus dominationem suam in Asia Minori, Africa septentrionali, in Hispania, in Europa orientali extendebat, imperium orientale capta urbe Constantinopolitana evertit, atque ceteras quoque Europae partes invadere atque subiugare iterum iterumque moliebatur. Attamen neque huic atroci tempestati Ecclesia

succubuit. Homines atque gentes, quas per Islamismum perdidit, abunde compensatae sunt per conversionem populorum germanicorum, slavorum, transmarinorum. Quibus solis discriminibus consideratis illaesa Ecclesiae firmitas admirationem provocet, necesse est.

3. 2. *Alterum ingens periculum Ecclesiae haereses creaverunt.* — Quanta in his sit vis ad corrumpendum et evertendum tum per se patet tum historia discitur. Nimirum eo magis Ecclesiae periculosae erant, quod passionibus humanis, principum opibus aliisque mediis vel pessimis ad Ecclesiam insectandam et diruendam utebantur. Arianismus v. g. imprimis regnante Constantio, imperatore despotico, per mendacia et fraudes necnon apertam vim, ut exilium, neces episcoporum, tum in ecclesia orientali tum in occidentali fere praevaluisse videtur. Multi episcopi a Sede Romana seiuncti erant et tam late haeresis serpebat, ut *s. Hieronymus* scribat: „Ingemuit totus orbis et arianum se esse miratus est." (Adv. Lucif. n. 19). Verum etiam ex hoc pernicioso discrimine invicta Ecclesia atque vegetior prodiit. Imo tempore eodem, quo magnae illae haereses Arianismi, Nestorianismi, Monophysitismi vigebant, magni Ecclesiae Patres et Doctores floruerunt, qui Ecclesiam invicte defendebant atque novae scientiae, scientiae theologicae, fundamenta posuerunt, ut v. g Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius Hieronymus, Augustinus. Deinde aliis haeresibus praetermissis maxima et infernali quasi vi Ecclesiam impetivit Protestantismus. Nihil ab ipso non tentabatur ad Ecclesiam in fundamentis concutiendam: falsa scientia, mendacia, fraudes aliaque impia media ad haeresim hanc propugnandam adhibebantur, atque non in uno loco, ut in Anglia imprimis ad catholicos labefactandos cruentae primae aerae christianae persecutiones renovabantur. Tot vulneribus saucia erat Ecclesia, ut naturaliter interitus eius videretur certus atque inevitabilis. Attamen frustra exspectatus est. Intus reformata plane revaluit atque novo vigore refloruit, quod ad oculos demonstrant fides iterum roborata, mores

emendati, scientia sacra reflorescens, ortus novorum ordinum religiosorum intra Ecclesiam, atque imprimis ingens Sanctorum numerus ex quolibet statu, genere, conditione, qui inde a reformatione ecclesiam exornarunt. Et quemadmodum ad intus reformata est, ita ad extra quoque novas acquisitiones maxime mirabiles fecit. Sanctus Franciscus Xaverius cum sociis suis in solo oriente fere tot homines et gentes ecclesiae aggregavit, quot in Europa amiserat; atque insuper in America quoque recenter inventa integrae nationes catholicam fidem susceperunt.

4. *3. Alius christianae religionis adversarius Caesaropapismi nomine notus item ecclesiae innumera et immania pericula suscitavit.* — Nimirum reipublicae gubernatores postularunt, ut Ecclesia auctoritati civili subdatur atque ab eius placitis pendeat. Atque eo usque saepe arrogantiae et iniustitiae processerunt, ut ipsam internam ecclesiae vitam invaderent et hanc secundum arbitrarias suas opiniones regulare vel potius immutare et corrumpere vellent. Et sane si quod mente agitabant et adhibitis opibus efficere conabantur, universim et constanter ad exitum perducere potuissent, in miserrimum statum ecclesia redacta esset et paulatim penitus defecisset. Agedum consideretur hoc discrimen Ecclesiae subeundum, quantum et quam crebrum fuerit. Toto fere tempore, quo civitates christianae durant, cum hoc periculoso adversario congredi et sine intermissione luctari debuit. Revera historia Ecclesiae ad hodiernum usque diem pugnis atque passionibus abundat, quas pro libertate sua atque independentia subiit. Hanc enim inimici aperti et occulti, principes legitimi atque rebelles et illegitimi quibusvis mediis adhibitis expugnare conati sunt. Ex duobus fere milibus annorum potestates civiles, tum catholicae tum acatholicae, gubernia monarchica et democratica, principes praesertim potentissimi, ut Fridericus Barbarossa, Henricus IV., Napoleo I., Iosephus II., Guilelmus I. vel diplomatiae artibus vel fraudulentis pollicitationibus vel astutis adulationibus vel aperta vi Ecclesiam sibi subiicere vel eam in ecclesias nationales dividere conati

sunt. Atque in his perniciosis conatibus doctos et plebem, scriptores et professores, societates occultas et comitia publica, imo saepe vel ipsius cleri membra fautores atque adiutores habebant. Verum etiam hi conatus irriti fuerunt. Hodiedum Ecclesia perstat in sua unitate, universalitate, constitutione atque invicta perdurat.

5. 4. *Accedit Ecclesiae perniciem intentans adversarius domesticus, naturae scilicet perversae inclinationes atque humana corruptio.* — His enim Christiani quoque lacessuntur iisque superati diversis temporibus plurimi pravis moribus infecti sunt atque plures quoque torpore atque rerum divinarum neglectu tabuerunt. Imo quod gravius est et magis periculosum fuit, aliquando et praesules Ecclesiae, quos sal terrae esse oportebat, vitam degebant a norma christiana alienam, turpem et abiectam, adeo, ut admiratio animum subeat, talia vulnera ab infidelibus et indignis filiis ecclesiae inflicta non habuisse exitum lethalem. Neque tamen unquam ecclesia plane concidit nec penitus degeneravit, sed imminens periculum superavit atque tepore excusso ab intus semper reformata et regenerata priorem vim vitalem denuo novo vigore exprompsit. Quod imprimis apparet, si illae historiae periodi considerentur, in quibus corruptio maxime vigebat et invalescebat, ut saeculis quinto et sexto, decimo et undecimo, decimo quinto et decimo octavo. Etenim his quoque temporibus, cum morum depravatio imminens periculum denunciare videretur, Ecclesia mira denuo foecunditate novos flores novosque fructus admirabilis sanctitatis progerminavit atque serpenti corruptioni tamquam muros insuperabiles opposuit. Ita saeculo quinto et sexto ascesis christiana tum in solitudinibus deserti, tum in monasteriis, tum in publica vita refloruit mirumque splendorem longe lateque spargens corruptionis tenebras magis magisque dissipavit. Testes sunt SS. Paulus, Antonius, Pachomius, Basilius, Benedictus monachi; testes praeter innumeros fere monachos et moniales sancti pontifices et episcopi ut Leo I., Gelasius, Gregorius I., Martinus I., Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Eusebius Vercellensis, Caesarius Arelatensis;

testantur sanctae matronae et reginae et imperatrices, ut Monica, Anthusa, Macrina, Pulcheria, Theodolinda, Bertha. Saeculo decimo et undecimo quoque contra periculum corruptiones, quod Ecclesiae imminebat, ex ipso eius gremio succursus veniebat. Sancti enim religiosi ut Bruno, Romualdus, Gualbertus, sancti Pontifices et episcopi ut Gregorius V., Benedictus VIII., Nicolaus II., Gregorius VII., Petrus Damiani aliique, sancti reges et reginae ut Henricus II., Mathilda, Kunigunda pluresque alii strenue adlaborarunt ad restaurandam vitam moralem et disciplinam ecclesiasticam; atque hac ratione una ex splendidissimis historiae ecclesiasticae periodis adducta est. Saeculo decimo quinto quoque ex ipso ecclesiae sinu reactio contra serpentem corruptionem prodiit. Non pauci sancti viri sanctaeque mulieres degenerationi in ipsam Ecclesiam gliscenti totis viribus obstiterunt eamque a contagione mundana liberare adlaborarunt. Sufficit commemorasse SS. Laurentium Iustiniani, Bernardinum, J. Capistranum, Vincentium Ferrerium, Kasimirum, Lidwinam, Franciscam Romanam. Ipsa vero novatorum saeculi decimi sexti deformatione saeviente Concilium Tridentinum reformationem Ecclesiae instituit, quam vera regeneratio adeoque una ex splendidissimis historiae ecclesiasticae epochis subsecuta est. Denique idem fere dicendum recurrit de saeculo decimo octavo et subsequente. Ecclesia non consenuit neque senescit unquam; imo quando periculum defectionis atque interitus summum esse videtur, revalescit atque novo vigore novos flores novosque fructus mira foecunditate producit. Iamvero illa vis inexhausta, ille immarcescibilis vigor, illa stupenda foecunditas, quibus Ecclesia ab intus contra imminentem corruptionem se reformat et regenerat, phaenomenon constituunt adeo extraordinarium atque mirabile, ut nihil in humanis a naturalibus vel a longe par vel simile inveniatur.

6. *5. Deinde bellum implacabile contra Ecclesiam gerunt societates clandestinae.* — Etenim eo spectant exsecrandae illae sectae, ut religione christiana ex animis exstirpata, purus putusque naturalismus homines occupet et teneat. In anti-

quitate id egerunt sectae gnosticae et manichaeae aliaeque, quae ex istis pullularunt. Recentiore aetate huc pertinent imprimis sectae Massonum, Illuminatorum, Carbonariorum aliaeque plures. Quae omnes nefastae sectae nulli labori parcunt et quibusvis mediis vel turpissimis utuntur, ut religionem christianam in animis labefactent atque exstirpent. Sic student, ut politica potestas ipsis serviat contra Ecclesiam, ut leges ferantur ei adversae, ut iura eius restringantur atque abrogentur, ut separatione inducta inter Ecclesiam et statum politicae institutiones quaevis ab ea avellantur, ut matrimonium, iuventutis educatio, scientiarum cultura et directio auctoritati Ecclesiae penitus subtrahantur et iis principiis tradantur atque regantur, quibus christianae religioni in animos aditus penitus intercludatur. Deinde ecclesiam omnibus contumeliis impetunt, eam inimicam esse veri progressus veraeque felicitatis temporalis absurde calumniant; ad contemptum ecclesiae in animis suscitandum doctos inducunt, ut fidem cum scientia pugnare proclament, atque eo rem perducere conantur, ut falsa persuasio invalescat, viri exculti et eruditi nomen neminem habere posse, nisi abiecta fide catholica omnia Ecclesiae instituta aspernetur. Cum deinde persuasum habeant, animum bonis terrenis absorptum et voluptatibus fractum facile fidem abiicere, quae abnegationem docet et mortificationem, et viam salutis cruce signatam esse praedicat, ideo rerum terrenarum cupiditatem inflammant, alliciunt voluptatibus omnis generis, atque conscientiae morsum et stimulos exstinguunt et hac ratione assequuntur, ut plurimi naturalismi praedae sint et novus paganismus societatem deformet. Quantum hic adversarius valeat et contra Ecclesiam laboret, oculis fere experiri quisque et conspicere potest. Nihilominus tamen, quod totis viribus conatur, Ecclesiam destruere nec valuit nec valet. Ecclesia contra hunc quoque adversarium invicta perstat et quos in uno loco filios perdit, in alio multo maiore numero recuperat.

7. 6. *Denique maxime semper falsi nominis scientia adhibita est ad fidem catholicam expugnandam.* — Falsae enim

scientiae armis iam usus est contra Ecclesiam Gnosticismus, Manichaeismus, Pelagianismus; et imprimis Nestoriani ceterique haeretici errores christologicos defendentes philosophia contra doctrinam catholicam abusi sunt. Omnes sc. haeretici isti de suis systematibus tamquam vere scientificis gloriati ecclesiasticam fidem tamquam rudem atque incultam et philosophiae oppositam impugnarunt atque ludibrio habuerunt. Medio aevo deinde fidei christianae oppositus est Pantheismus Scoti Erigenae, superstitio astrologiae atque maxime Abaelardi Rationalismus. Iterum Humanismus saeculo 15. contra doctrinam christianam tum theoreticam tum practicam bellum atrox et periculosum gessit: eam scilicet cum gentili superstitione commiscebat atque ex utraque tamquam elementis disparatis quidem, sed non oppositis religionem aliquam universalem efformare satagebat. Denique cum fine saeculi 18. scientia imprimis philosophica magis magisque revelationi inimica evasit atque omnibus modis eam expugnare conata est. Et quidem adeo ista philosophia fidei inimica invaluit, ut mox systemata philosophica christianae doctrinae plane opposita, ut Empirismus, Deismus, Rationalismus, Scepticismus, Sensualismus, Materialismus, Idealismus per vices in scholis dominatum obtinerent. Et cum philosophia deinceps ceterae quoque scientiae, imprimis scientiae naturales et historicae ad revelationem christianam impugnandam falso sane quidem, sed subtiliter et astute conversae sunt. Verumtamen quod antiquis haereticis non successit, neque recentiores Ecclesiae adversarii scientia abutentes efficere potuerunt. Etsi enim multi catholici quoque falsis doctrinis infecti ab Ecclesia defecerint, Ecclesia tamen ipsa illis erroribus nullatenus superata nec corrupta est, sed falsis doctrinis strenue proscriptis, nova potius post Concilium Vaticanum et satis splendida periodus scientiae ecclesiasticae inaugurata est.

8. Itaque per totam saeculorum christianorum durationem imprimis a fine penultimi saeculi scientia antichristiana atque impia litteratura omni vi et conatu adlaborarunt, ut fidem christianam obscurarent, corrumperent, exstinguerent.

Verum etsi doctrinae antichristianae atque principia irreligiosa passionibus humanis atque naturae corruptae blandiantur, etsi opera litteraria anticatholica novitate saepe et stili elegantia delectent atque celebritate auctorum et scientiae eruditionisque apparatu hominum oculos ad se convertere valeant: nihilominus doctrina christiana in Ecclesia catholica integra prorsus servata est atque intemerata. Evoluta quidem est atque continuo evolvitur, explicatur, perficitur; nunquam vero commutatur, nec pervertitur nec corrumpitur. Econtra autem philosophia et haereses oppositum prorsus spectaculum oculis praebent. Nova enim philosophiae antichristianae systemata quotidie fere succedunt pristinis, atque haereses quoque continuo variantur, ita ut historia philosophiae et haeresum non sit nisi continuarum variationum historia, ut iam *Bossuet*, quod Protestantismum attinet, in opere ‚Histoire des variations des Eglises protestantes' praeclare demonstravit. Nunc vero Protestantismi doctrina per recentiorem antichristianam philosophiam penitus infecta est atque plena eiusdem dissolutio instat vel potius iam exstat. Iamvero intemerata illa doctrinae catholicae integritas per tot saecula mediis in aliarum doctrinarum dissolutionibus caste conservata profecto mirum est spectaculum, quippe quod divinae quasi immutabilitatis speciem exhibens considerantis oculos suapte natura et sponte percellit.

Assertio secunda: Admirabilis illa christianae religionis conservatio divinae solum omnipotentiae adscribi potest ideoque luculentam religionis christianae confirmationem praebet.

9. Haec veritas iam ex primae assertionis demonstratione manifesta esse merito dici potest: ut vero perspicua prorsus appareat, ad tria momenta attentio dirigatur oportet:

1. Humanae vires et naturales tanto et tam mirabili effectui pares non esse facile conspiciantur. — Re enim vera vires, quae contra religionem christianam exsertae

sunt, longe maiores sunt viribus humanis et naturalibus, quae assignari in religione christiana possunt. Considerentur ex una parte Ecclesiae hostes atque bella, quae contra Ecclesiam gesta sunt eorumque adiuncta, et ex altera parte Ecclesia et eius arma. Itaque ex una parte primo hostes Ecclesiae fuere et sunt innumeri: in eius interitum conspirarunt Iudaei et Gentiles, Haeretici et Schismatici, Muhamedani et increduli, principes potentissimi et respublicae et denique non minime filii degeneres et rebelles. Dein impugnatio Ecclesiae erat amplissima: nulla enim regio, nullum ecclesiae dogma, nullum institutum ab impugnatione immune mansit. Tum arma omnis generis fuerunt atque efficacissima: potentia usi sunt adversarii, scientia, pecunia, fraudibus, calumnis, mendaciis, corruptione et seductione, adulatione, vi aperta et insidiis et machinationibus occultis. Maxime periculosa erant arma internorum dissidiorum et schismatum, quibus haeretici pugnabant, cum talibus dissidiis regna quoque firmissima atque civitates ceteroquin inexpugnabiles everti soleant. Denique duratio huius impugnationis perpetua fuit, cum Ecclesia a suo exordio fere semper persecutionem habuerit comitem. — Iam ex altera parte considerentur Ecclesia eiusque arma. Principium et civilis auctoritatis protectione plerumque destituta est neque cetera adversariorum arma adhibere potest. Vim enim vi repellere, malum pro malo reddere, fraudibus et occultis machinationibus uti nequit. Sola patientia pugnat et victoriam refert: „Hoc enim Ecclesiae proprium est, inquit *Hilarius*, ut tunc vincat, cum laeditur, tunc intelligatur, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur" (De Trinit. n. 7. n. 4). Ergo cum effectus omnis postulet causam adaequatam, dexteram Omnipotentis suam coelitus protegentis Ecclesiam agnoscamus oportet (Cfr. *Hurter* opusc. 15. p. 162. nota).

10. *2. Firmitate sua atque constantia Ecclesia ab omnibus institutis humanis essentialiter differt.* — Revera sub hoc respectu Ecclesia ab institutis humanis discrepat, ut coelum et divina a terra et humanis differunt. Instituta enim hu-

mana suorum auctorum mutabilitatem participant. Impugnationibus fortiorum hostium succumbunt atque nullo vel hoste impugnante paulatim senescunt et collabuntur, praesertim si ex diversis et disparatis elementis componuntur. Sic imperia potentissima et florentissima brevi tempore a sua magnitudine delapsa perierunt; ipsa ecclesia ab exordio suae existentiae iam plurium imperiorum potentissimorum, ut imperii romani, romani-germanici, muhamedanici aliorumque vel plenum interitum vel enervationem et imbecillitatem conspexit. Systemata quoque philosophica unum post aliud collabuntur atque antiquae haereses iam penitus fere disparuerunt. Insuper quae res et institutiones humanae diutius durant, multipliciter temporis decursu mutari solent et in oppositas saepe converti. Et societates humanas imprimis se immutando, se accommodando, adversariis indulgendo existentiam suam prolongare saepe videmus. Denique quae societates religiosae immutabilitatem quandam prae se ferunt, ut coetus schismaticus Orientalium, vita carent et foecunditate, atque inertia tabescunt et paulatim et ipsa collabuntur et dissolvuntur. — Iam consideretur ex adverso Ecclesia. Immutabilitatem cum laeta vita et foecunditate coniungit adeo, ut divinae immutabilitatis et foecunditatis pulchra imago appareat. Ex duobus annorum millibus essentialem suam constitutionem immutatam et integram conservavit. Nunquam ita temporibus vel adversariis se accomodavit, ut vel minimum articulum ex sua doctrina vel legibus fundamentalibus reliquerit. Saepe contigit, ut ex innumeris articulis suae doctrinae relinquendo unum tantum, vel in casu peculiari unam tantum legem fundamentalem suspendendo integros populos in suo sinu retinere potuisset; verum tamen ne minimum apicem depositi ab ipsa conservandi tradidit. Constans et invicta perdurat, et quod magis adhuc mirum apparet, simul in suo sinu complectitur et retinet gentes moribus, cultu, indole diversissimas et sibi invicem facile inimicas, qua diversitate plerumque societatum humanarum unitas et existentia ipsa periclitari solent. Cum hac vero mirabili fir-

mitate et constantia fertilitatem quoque miram coniungit: nova semper novis necessitatibus beneficentiae, virtutum, doctrinae instituta accomodat; nunquam senescit, sed continuo quasi reflorescens et reviviscens novos semper sanctitatis et cuiuslibet bonitatis et perfectionis flores et fructus progerminat atque ad maturitatem perducit. Profecto haec ecclesiae constantia et firmitas simul cum vigore, vita et foecunditate coniunctae in media rerum humanarum vicissitudine singulare prorsus et mirabile exhibent spectaculum. Iamvero effectus tam diversus ab omni effectu naturali et tam miro modo omnia opera et instituta humana excedens absurde humanis consiliis et humanae activitati adscriberetur. Ergo ecclesia ab eo originem suam ducat necesse est, „*apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbratio*“ (Iac. 1, 17.), et qui de seipso ait: „*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt*“ (Matth. 24, 35).

3. Quod ex ipsa rei natura patet, divinae scilicet om- **11.** *nipotentiae opus esse Ecclesiae conservationem, auctoritate quoque confirmatur.* — Primo enim ipsa s. Scriptura hanc Ecclesiae firmitatem et invictam constantiam tamquam divinae omnipotentiae opus multipliciter praenuntiat. Huc iam pertinent plura Veteris Foederis vaticinia, imprimis Danielis prophetia 2, 40 ss. Scilicet Ecclesia illo lapide significatur, qui secundum Danielis visionem regna Assyriae, Babylonis, Persarum, Romanorum concussit atque in temporum fine Antichristi quoque regnum concutiet. „*Suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum*“ (44). Ad Ecclesiae invictam firmitatem inter alia plura haec quoque Psalmi 88. de Davide eiusque regno pertinent, quod est Ecclesia: „*Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea: neque profanabo testamentum meum, et quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in aeternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in*

coelo fidelis" (34—38). Item in Novo Foedere non semel praedictum est, Ecclesiam tamquam Dei regnum et divina virtute suffultam usque in finem saeculi permansuram esse. Sic Angelus ad B. Virginem missus eique Incarnationem annuntians, de regno Christi, quod est Ecclesia, declarat: „*Dabit ei Dominus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis*" (Luc. 1, 32. 33). Et Christus ipse clare praedixit nunquam fore, ut Ecclesia ab adversis potestatibus vincatur et collabatur, verum semetipsum sua protectione cum ea permansurum esse in aeternum: „*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam*" (Matth. 16, 18). Et iterum: „*Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes docete omnes gentes . . . et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. 28, 18—20). Atque pluries adhuc eadem veritas sive a Christo sive ab Apostolis praedicatur.

12. *Pariter* SS. Patres in Ecclesiae conservatione et invicta firmitate opus divinae protectionis conspexerunt. Quam persuasionem enuntiant imprimis verba Christi ad Petrum: „Tu es Petrus etc." commentantes, nec non aliis pluribus occasionibus. Audiatur *Augustinus*: „*Non inclinabitur in saeculum saeculi. Fundavit terram super firmitatem eius*' i. e. firmavit Ecclesiam super fundamentum Christum. Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus, qui antequam veniret ab nos et carnem susciperet, ‚*omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil*' (Ioan. 1, 3), qui omnia continet maiestate et nos bonitate? Non nutante Christo non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt, qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?" (In ps. 103. serm. 2. n. 5). Deinde stabilitatem Ecclesiae mediis in procellis impugnationum pulchra comparatione illustrant; scilicet cum navi fluctibus iactata non tamen submersa eam comparant, ut v. g. *Auctor anonymus* operis imperfecti in Matthaeum: „Navigat Ecclesia instructa fidei gubernaculo felici cursu

super saeculi huius mare, habens gubernatorem Deum, remiges Angelos, portans omnium sanctorum choros, erecta in medio salutari arbore crucis, in qua evangelicae fidei velis suspensis, flante Spiritu S. ad portum paradisi et securitatem quietis aeternae deducitur" (Hom. 23. in Matth. 8. inter opera spuria S. Ioan. Chrysostomi). Eandem comparationem diligenter expolit *S. Hippolytus Martyr:* „Mare mundus est, in quo Ecclesia velut navis pelagi salo, fluctibus iactatur, nec tamen naufragio perit, quippe cum solertem gubernatorem Christum secum habeat. Fert vero etiam in medio erectum adversus mortem tropaeum, quae videlicet crucem Domini secum portet. Est enim eius prora oriens, puppis vero occidens, cavitas mediaque capacitas meridies, clavi duo Testamenta, circumextenti funes Christi caritas, quae Ecclesiam adstringit; linum, quod secum fert, lavacrum est regenerationis, quae fideles renovat, unde sunt illa praeclara. Venti loco adest Spiritus ille e coelis, quo fideles consignantur Deo. Habet pariter illi comites et ferreas anchoras, sancta nimirum Christi mandata, quae ferri robur ipsum praeferant. Quin et nautas a dextris atque sinistris habet, sanctorum angelorum more assistentes, quorum ope continetur atque munitur Ecclesia. In ea scala, quae in altum ad antennam subvehit, imago est salutaris Christi passionis, fideles trahens, ut in coelos conscendant. Signa super antennam in altum sublata prophetarum, martyrum et apostolorum in Christo regno quiescentium stipatus ordo" (De Christo et Antichristo n. 59). Cf. *Chrysost.* supra thes. 41 n. 20 ss.

Scholion.

Obiectiones quaedam residuae solvuntur. — Post expo- 13.
sitionem factam obiectiones adversariorum sine negotio a quolibet solvi possunt. Speciminis vero gratia unam vel alteram hic referre expedit.

1. Imprimis obiicitur Iudaismum iam diutius quam Ecclesiam, Mohamedanismum vero fere aeque diu conservari, necnon varias quoque sectas ultra mille annos superstites

esse: conservationem igitur Ecclesiae vel naturaliter explicari, vel ad ceterarum quoque religionum divinum originem concludendum esse. *R.* Differentia magna est inter conservationem Ecclesiae ex una parte atque falsarum illarum religionum ex altera parte. Primo enim quod Iudaismum attinet, hic quidem revera divinae providentiae dispositione conservatur, non autem ex favore divino erga ipsum, sed potius ut mira eius existentia religionis christianae veritas ad omnium oculos demonstretur. Quae demonstratio duobus potissimum continetur; scilicet primo in eo, quod ss. libros conservant, et in eo secundo, quod continuo in iis iustitia divina vaticiniis annuntiata in conspectu omnium adimpletur, de quibus supra dictum est. Dein de Muhamedanismi conservatione similiter dicendum est ac de eius propagatione. Sicuti vi et armis et passionum illecebris ac fanatismo propagatus, ita iisdem mediis conservatus est. Insuper nullis persecutionibus impetitus est. Denique vita et fecunditate iam plane destitutus est, misere tabescit et plenam ruinam minatur. Tandem quod sectas diversas attinet, eadem fere valent, quae de Muhamedanismo modo notata sunt. Dum scilicet Ecclesia plerumque persecutionibus, insectationibus, bellis atque procellis exposita erat, illae profunda pace frui solent, potentia principum, guberniorum aliorumque potentium subsidiis proteguntur. Deinde Ecclesia multo latius patet quam omnes sectae simul, innumeras atque diversissimas gentes complectitur, dum sectae plerumque nationales sunt. Praeterea sectae continuo mutantur et dissolvuntur, ut Protestantismus v. g. qualis nunc est, toto coelo sit diversus ab eo, qui olim fuit; Ecclesia vero in essentialibus immutata plane est et immutabilis. Denique cum Ecclesia iuvenili vigore et foecunditate novos semper in ordine religioso flores et fructus progerminat, sectae ex adverso senio et inertia et sterilitate conficiuntur.

14. *2. Obiiciunt Ecclesiae conservationem sapienti eius et solida constitutione sociali explicari, quatenus scilicet principio auctoritatis tota societas catholica innitatur.* — *R.* Con-

cedendum sane est Ecclesiam suam firmitatem constitutioni suae partim debere; at vero falso hinc concluditur eam naturaliter conservatam esse, verum potius concludendum est ipsam eius constitutionem non esse quidquam humanitus inventum, sed divinitus communicatum. Deinde hoc ipsum, quod auctoritates principium et reliqua Ecclesiae constitutio a fidelibus constanter tum theoretice tum practice agnoscitur, naturaliter non explicatur; cum enim nulla vi, nullis commodis terrenis, nullis passionum illecebris ad hanc agnitionem compellantur vel alliciantur, sed his omnibus potius ab ea arceantur, solius divinae gratiae influxu in intellectum et voluntatem explicari potest, quod tot innumeri homines constanter et fideliter Ecclesiae adhaerent. Denique nullatenus sola constitutione vel solo auctoritatis principio explicatur, quod Ecclesia violentis persecutionibus, astutis insectationibus et multis artibus ab adversariis contra eam dolose adhibitis non succubuerit. Principium enim auctoritatis omnes istos insultus neque impedivit neque superare potuisset sine speciali divinae providentiae cooperatione, quae miro modo adversa quoque in iteratum Ecclesiae triumphum convertit, atque in hunc finem teste historia non modo miracula moralia sed vel physica etiam patrat. Itaque interno gratiae in animos influxui et providentiae divinae externae protectrici mira Ecclesiae stabilitas adscribenda est. Haec autem Dei de Ecclesia sua sollicitudo hominum de eiusdem prosperitate curam superfluam profecto non reddit; Deus enim hanc ipsam hominum operam vult, insigni beneplacito prosequitur, eandem per se insufficientem suo auxilio efficacem reddit atque ad finem perducit. Quare haec debet esse unica fidelium cura, ut in Ecclesiae adversitatibus tum inconcussa fiducia divinum auxilium sperent, tum vero etiam totis viribus ad Ecclesiam liberandam et promovendam strenue adlaborent.

Articulus quintus.

De mysterio amoris et odii in Christum tamquam argumento divinae religionis christianae originis.

Thesis 46. **Duplex mysterium quoque ad demonstrandam divinam religionis christianae originem multum valet, mysterium scilicet amoris in Christum et odii contra ipsum.**

Declaratio.

1. *Praevia de praesentis argumenti indole et momento notitia.* — Singulare prorsus et mirabile historiae spectaculum illud est, quod ab origine religionis christianae humanum genus universum magis magisque in duas partes valde diversas vel in duo fere castra sibi adversa divisum esse apparet. Nimirum Christus cum in terris degebat, amorem omnium hominum unquam existentium sibi ut debitum expostulavit et amorem quidem tam perfectum, tam heroicum, qualis soli bonitati subsistenti sive ipsi Deo debetur; atque hunc sibi amorem ab innumeris hominibus continuo et in perpetuum impensum iri aperte significavit. Simul vero praedixit, multos se suamque ecclesiam odio prosecuturos esse et quidem odio perpetuo, intenso, ardenti. Hoc vero vaticinium quam mire adimpletum sit, nemo est qui non videat. Continuo enim Christus ab aliis amatur sincero, intenso, ardenti, heroico, summo amore; et ab aliis odio habetur et odio quidem saepe acerbo, vesano, furioso, inextinguibili. En spectaculum sane singulare et mirum, quippe quod circa nullum alium hominem in terris iam non degentem contingere videmus. Porro duplex hoc spectaculum, utpote quod naturaliter adaequate explicari nequit, in praesenti thesi ad demonstrationem religionis christianae adhibendum est; quae demonstratio, etsi cum argumentis iam evolutis analogiam quandam habeat, propriam tamen expositionem meretur, cum considerantis animum potenter illustrare atque afficere queat. Idem hoc argumentum innuisse Blasium Pascal ferunt atque Napoleo I., cum a po-

testate sua delapsus et devictus exul in insula S. Helenae degeret et at considerationes religiosas animum magis converteret, ipsum in colloquiis cum exilii sociis proposuisse et ingeniose evolvisse fertur. Ex recentioribus auctoribus *Stentrup* (apol. th. 32) necnon *Bougaud* (Christentum und Gegenwart II p. 525) argumentum hoc exposuerunt. Iam in praesenti thesi prioris praesertim auctoris expositione supposita argumentum ita evolvetur, ut in prima parte mysterium amoris, in altera odii mysterium consideretur.

Demonstratio.

I. p. Mysterio amoris divinitas Christi necnon divina religionis christianae origo demonstratur.

Tribus gradibus vel considerationibus huius partis de- 2.
monstratio perficitur. Primo Christus tamquam obsequium debitum sibi expostulavit, ut ab omnibus hominibus super omnia ametur atque hunc sibi amorem impensum iri praedixit. Secundo Christus quem postulavit et praedixit amorem amplissime consecutus est. Tertio mirus hic amor postulatus, praedictus et obtentus divinitatis Christi christianaeque religionis certum argumentum est. Itaque

1. Consideretur, qualem quantumque amorem Christus sibi impendendum postulaverit et praedixerit. — Inter diversa hominum officia nullum Christus expressius praedicavit, nullum instantius commendavit, quam omnium erga se amorem super omnia. Et quidem

a) Christus voluit, *ut ab omnibus omnino ametur,* non solum ab iis, qui eadem cum ipso aetate vivebant, sed ceterorum quoque, qui quavis post ipsum aetate victuri erant. Imprimis in sermonibus ante passionem suam habitis hunc sui amorem iterum iterumque enixe inculcavit: *„Si diligitis me, mandata mea servate. . . . . Qui habet mandata mea et servat ea, ipse est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. . . . Si quis diliget me, sermonem meum servabit. . . . Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado*

ad Patrem . . ." (Ioh. 14, 15 ss.). „*Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*" (Ioh. 15, 9). Haec autem verba non solum ad Apostolos sed ad omnes quoque in futuro tempore discipulos referenda esse, ex ipso eorundem tenore intellegitur. Ceterum in oratione sacerdotali deinde Christus Patrem coelestem rogat, ut omnes credituri sicut cum invicem, ita cum ipso amore coniuncti sint et maneant: „*Non pro eis* (Apostolis) *autem rogo tantum, sed et pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint . . . Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti . . . Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis*" (Ioh. 17. 20 ss.). Idem confirmatur verbis Christi de amore sibi super omnia exhibendo iam adducendis.

3. b) Christus voluit, *ut ille erga se amor principem omnino locum in christianorum vita teneat.* Scilicet postulavit, ut super omnia ametur, ut itaque amori erga ipsum quivis alius amor etiam legitimus postponatur et quidem ille quoque, quo parentes, cognatos, amicos, imo nosmetipsos amamus. „*Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*" (Matth. 10, 37). „*Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*" (Luc. 14, 26). Profecto amorem his verbis postulat super omnia, amorem, quo unus Deus amandus est secundum illud: „*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua*" (Matth. 22, 37). Amorem igitur erga se cardinem et summam voluit esse vitae hominum. Hoc amore singulos homines impulsos voluit totis viribus id sectari, ut ipsius mores imitentur, ipsius vitam in se exprimant, atque abiectis omnibus, quorum summa cupiditate corrupta natura affecta est, crucem

amplecterentur et viam cruce signatam prosequerentur. *„Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam“* (Matth. 16, 24. 25). Denique hunc erga se morem in proximos redundare voluit: *„Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis“* (Ioan. 15, 12. 13).

Notetur per transennam, Apostolos quoque eundem, quem Christus ipse sibi postulavit amorem eidem vindicasse: *„Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maran Atha“* (1 Cor. 16, 22).

c) Christus *praedixit, amorem quem postulavit sibi re-* 4.
ipsa impensum iri. Et sane haec praedictio in ipsis illis verbis simul contineri intelligitur, quibus hunc amorem a fidelibus postulavit, siquidem simul vaticinia considerentur, quibus item Christus stabilitatem Ecclesiae eiusque invictam constantiam praedixit. Ecclesia enim ipsa permanente ab omnibus fidelibus tam enixa illa amoris erga ipsum petitio vel postulatio profecto non impleri non potest. Praeterea recte huc referuntur diserta Christi verba, quibus asseverat, se ignem venisse mittere in terram et velle, ut accendatur: *„Ignem veni mittere in terram et quid volo, nisi ut accendatur“* (Luc. 12, 49); et altera, quibus cruce sua et passione se homines attracturum esse praedixit: *„Et ego, cum a cruce exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum“* (Ioan. 12, 32). Denique tamquam virtutem specialem et distinctivam discipulorum suorum talem proximorem caritatem praedixit, quae cum amore ipsius Christi individuo nexu cohaeret atque ex eo efflorescit: *„Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem“* (13. 34).

2. Quem sibi postulavit et praedixit amorem Christus 5.
amplissime consecutus est. — Revera christiana religio vero aliquo sensu nihil aliud esse perspicitur, quam amor ipsius

Christi, qui in humano genere vivit, floret et viget. Ubicunque illa consistebat, ibi hic amor effloruit, atque hominum animos accendere et inflammare coepit. Mira illa atque stupenda fructuum moralium foecunditas amoris erga Christum effectus est. Interrogentur martyres quid ipsos moverit, ne tormentis et cruciatibus cederent, sed ut magno et alacri animo acerbas passiones cruentamque mortem sustinerent; continuo respondebunt: Amamus Christum atque ex hoc amore vitam et sanguinem libenter profundimus. Ita v. g. *S. Ignatius* profitetur, quomodo ex amore Christi exultans ad martyrium properaverit: „Nunc incipio, Christi esse discipulus, nihil de his, quae videntur, desiderans, ut Iesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiae, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio et tota tormenta diaboli in me veniant tantum, ut Christo fruar" (Ep. ad Rom. n. 5). Si sanctos confessores sanctasque mulieres interrogemus, cur mundi fastum, divitias terrenas, voluptates temporales pedibus conculcaverint, et vitam humilem, pauperem atque saepe aerumnosam thesauri instar habuerint, cur diurnos nocturnosque labores susceperint ad alios iuvandos, item respondebunt: Amamus Christum. „Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi" (Off. non Virg. Resp. 8. in III. Noct.). Et si ex virginibus quaeratur, cur spretis mundi deliciis omnibusque naturae commodis et amore coniugali amplexae sint vitam duram et asperam et in abnegatione sui suam quasi felicitatem repererint, et ipsae ex toto corde respondebunt: Amamus Christum. „Amo Christum, inquit *S. Agnes*, in cuius thalamum introibo, cuius mater virgo est, cuius pater feminam nescit. Quem cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotione committo. Ipsi sum desponsata, cui angeli serviunt, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur." (Offic. S. Agn., Resp. 3. in I. Noct.). Et si ex evangelii nuntiis apud barbaras gentes scitamur, cur omni-

bus quae hominibus cara esse solent, parentibus, amicis, patria relictis a nullo labore, nullo incommodo abhorreant, imo nec sanitati nec vitae in evangelio propagando parcant, item omnes respondebunt: Charitas Christi urget nos; amamus Christum. Hoc amore incensus S. F. Xaverius adeo flagrabat studio Christo animas lucrandi, ut continuo orando ingemisceret: „Da mihi animas, Domine, cetera tolle!“ Denique si stupens mens historiam perlustrat caritatis christianae, si opera grandia et innumera contemplatur, quorum foecunda fuit, si illorum numerum considerat ingentem, qui vitam suam totam caritati devoverunt et sui ipsorum obliti id unum agunt, ut suppetias ferant pauperibus, aegrotis, captivis et omnis generis miseris, nihil est, quod eos incitet, corroboret, sustentet et soletur, quam amor Christi. Hi omnes operibus suis proclamant: Amamus Christum. Profecto si mirabilia ea sunt, quorum causa fuit christiana religio: omnibus mirabilior est amor, qui proprium fuit et etiamnum est principium eorum omnium.

Hanc igitur mirabilem in Christum caritatem vere et 6.
pulchre descripsit Apostolus: *„Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro“* (Rom. 8, 35 ss.).

3) Amor ille a Christo postulatus, praedictus et obtentus egregium divinitatis Christi et veritatis religionis christianae argumentum suppeditat. — Quod elucet, sive postulatio sive praedictio, sive ipse in se effectus consideratur. Itaque

a) Ipsa illa postulatio mirum menti consideranti spec- 7.
taculum sistit. Etenim inauditum est et quovis exemplo caret, quod aliquis homo eorum, qui ipso mortuo victuri

sunt, non solum memoriam et admirationem, sed omnino amorem plenissimo sensu postulet. Magis quoque inauditum est et mirum quod aliquis homo omnium prorsus hominum, qui unquam exstituri sunt, amorem postulaverit. Et sane homo quidem naturaliter amari vult; sed contentus est, si a paucis amatur, a parentibus et cognatis, ab amicis, ab uxore; neque multum curat, ut ab hominibus futuro tempore viventibus ametur. Neque ulli religionis fundatori praeter Christum in mentem venit, posterorum hominum omnium amorem postulare. Porro magis adhuc inauditum est et mirum, quod aliquis homo ab omnibus non quemcunque, sed eum velit amorem, quo ipse rex et dominus cordis humani et totius vitae centrum constituatur ita, ut hunc amorem bonis quibuscunque creatis plane praeferant. Profecto si quis homo talem tantumque amorem a toto genere humano postulet, is necessario ab omnibus aut stultus et vecors et impius habendus aut vero Deus credendus est. Atqui plane evidens est ex vitae Christi imagine supra (th. 37 n. 6 ss.) paucis delineata, eum non fuisse stultum, vecordem, impium. Ergo Christus cum talem tantumque amerem enixe postulaverit, Deus esse credendus est, atque religio ab ipso instituta divinam originem habere censenda est.

8. b) Praedictio tantae charitatis in futuro exhibendae rationem verae prophetiae habet. De veritate sc. eiusdem vaticinii historica supra dictum est. Consideretur vero insuper in specie, amorem illum longo saeculorum cursu nunquam evanuisse; quod profecto admirationem rei auget. Etenim tempore labente omnis amor decrescere solet et paulatim penitus evanescit: immo amor humanus, etsi perpetuus promittatur, non raro paucis diebus arescit vel in odium convertitur. Amor autem Christi continuo potius crescit atque speciem aeterni praebet. Praeterea constat quoque de veritate philosophica illius vaticinii; etenim tantam illam innumerorum hominum in Christum charitatem naturaliter praevideri nequaquam potuisse, ex ipsa huius amoris mira et supernaturali indole manifestissimum est.

Cum igitur praedictio illa Christi evidenter verae prophetiae rationem habeat, sub hoc respectu quoque amor idem Christi divinitatem Christi eiusque religionis probat.

c) Amor ille ab innumeris hominibus Christo impensus, si in se spectatur, ex legibus humani cordis naturalibus explicationem non habet, sed supra omnes tales leges evectus miraculum stupendum morale constituere perspicitur. Etenim naturalis hominis amor primo in praesentia amati tum locali tum temporali multipliciter innititur et brevi tempore durare solet; amor vero erga Christum ab his limitibus prorsus exemptus est. Imo cum in vita sua mortali et hominibus praesens a paucis tantum amaretur, post mortem innumeri eum homines ardenti et sancto amore complectuntur: atque per saecula amor idem inextinguibiliter perseverat. Praeterea naturalis hominum amor ad cognatos, amicos, concives coarctari solet; amor erga Christum vero universalis est, nulla iam est gens in qua non sincerus et ardens Christi amor efflоruerit; in sancto Christi amore universarum gentium homines concertant. Denique naturalis amor id efficere non solet, ut homo constanter malis naturae corruptae inclinationibus resistat; sancto vero Christi amore homines adeo corroborantur, ut innumeri animo constanti et heroico abnegationi, mortificationi, magnanimo quarumlibet virtutum exercitio inhaereant. Amor igitur ille erga Christum tantus, tam universalis, tam constans et heroicus naturaliter explicari nequit, sed supernaturalis apparet et donum divinitus infusum esse facile perspicitur. Iamvero prorsus repugnat et plane absurdum est, Deum animis hominum amorem supernaturalem inspirare erga hominem deceptorem et falsae religionis fundatorem; ergo Christus verus Dei legatus immo verus Dei filius est, atque religio ab ipso fundata divino veritatis sigillo insignitur. 9.

d) Denique amor ille mirus erga Christum in genere humano per viginti fere saecula iam vigens triumphos egit splendidissimos atque fructus suavissimos produxit. Destructo enim regno peccati et mendacii faciem terrae ad 10.

instar novae creationis renovavit. Fructus enim illi grandes atque egregii, quos religio christiana nunquam deficiente fecunditate saeculorum decursu produxit, huic amori adscribendi sunt. Ipse ss. Martyres ceterosque Sanctos incitavit eisque animum ac vires dedit ad mirabilia illa fortitudinis, constantiae, humilitatis caritatis erga proximos, contemptus temporalium et terrenorum, aestimationis coelestium ac aeternorum opera, quae adeo in iis merito admiramur. Quapropter amor ille Christi fons perennis verae magnitudinis pro hominibus semper fuit et etiamnum est. Iamvero amor, qui fructus tam insignes et praestantissimos et nobilissimos produxit, non potest non esse bonus et verus et obiecto suo conformis. Ergo Christus, qui super omnia illo amore amatur, ipsa bonitas subsistens vel Deus est, eiusque religio divina haberi debet. Pone enim amorem illum suo obiecto non proportionari: iam vitiatus erit, falsus et perversus; et tunc, quod vitiatum est, falsum et perversum, per viginti fere saecula omnis verae sapientiae, sanctitatis, perfectionis exstitisset fons et principium; et qui omnium iudicio sapientissimi et sanctissimi fuerunt, stultissimi et maxime impii habendi essent. Atqui talis conclusio plane stulta foret, quippe qua principium causalitatis penitus destrueretur; foret impia quoque, quia eadem facta desperandum plane foret de ipsa bonitate providentiaque divina.

2. p. Item odii mysterio, quod contra Christum eiusque ecclesiam viget, divinitas Christi et divina Ecclesiae indoles demonstrantur.

11. Mysterio amoris exposito iam considerandum venit odii mysterium, quod ad argumentum ex amoris mysterio desumptum confirmandum applicatum multum valet. Primo autem ipsum factum paucis exponendum est, et deinde ex facto supposito formalis demonstratio instituetur. Itaque

1) Factum istius odii paucis exponitur. Mirum sane spectaculum est, quod ex una parte innumerorum hominum amor erga Christum exhibet; sed magis fere adhuc considerantis animum admiratione percellit spectaculum alterum

odii scilicet, quo ex altera parte multi contra Christum eiusque ecclesiam continuo exardent. Etenim *primo* istud odium vel obvie tantum consideratum iniustum esse et ipsi naturae humanae eiusque perfectioni oppositum esse conspicitur. Quid enim in Christo, quid in ecclesia invenitur, quod talè tantumque odium merito provocare possit? Scilicet, quod de Christo ipso scriptura asseverat: *„Pertransiit benefaciendo"* (Act. 10, 38), hoc ad ecclesiam quoque, corpus eius mysticum, merito applicatur. Nón enim nisi bona humano generi attulit et continuo affert; nulla necessitas nec animi nec corporis est, cui non succurrat; e barathro corruptionis et defectionis homines evexit et continuo sustentat, atque recta via ad veram felicitatem manuducit; robur infirmis, solatium moestis, omnibus spem et pacem donat. *Praeterea* odium illud perenne est atque perpetuo sine intermissione durat. Scilicet ipsum illud odium, quo Christi adversarii eum mortalem vitam inter homines degentem prosecuti sunt et denique cruci affixerunt, perpetuam durationem nactum est, et ita perseverat, ut non tantum opus Christi vel corpus eius mysticum ecclesiam attingat, sed contra ipsam eius personam quoque continuo dirigatur. Atque hoc plane mirum apparet. Quis enim hominum diu post mortem odio habetur? Tempore progrediente omne odium evanescere et exstingui solet. Etiam monstra humani generis, ut Tiberius, Nero aliique, nunc iam odio non habentur, sed ad summum despiciuntur. Christum vero etiam nunc multi homines inexstinguibili fere odio prosequuntur. *Deinde* singulare illud odium eatenus quoque apparet, quatenus contra nullos alios religionum fundatores eorumque instituta viget; Muhamedanismi enim, Buddhismi, Brahmanismi aliaeque religiones spernuntur quidem plerumque, sed odio communiter non habentur. Neque simile odium unquam inventum est nec invenitur adversus sectas quamvis malas, impias, irrationales. *Denique* praeterquam quod illud odium contra Christum et ecclesiam maximam extensionem habet, eo quod totum fere mundum Christo non adhaerentem complectatur, insuper

maxime intensum est et efficax: scilicet non tantum theoreticum est vel sterile, nec constat tantum aliqua displicentia vel platonica aversione, sed continuo variis modis in actum prodit: atque mox in secretas contra Christum eiusque ecclesiam machinationes et coniurationes, mox in apertas saevasque persecutiones prorumpit. En profecto odium mirum et singulare, quo Christus et ecclesia eius vere tamquam signum apparent, cui contradicatur.

12. *2) Odio illo accurate considerato non una ratione argumentum ex amore desumptum confirmatur.* — Tribus praesertim modis ex odio illo argumentatio institui posse videtur, scilicet considerando illud primo in suis effectibus, secundo in suis causis, tertio ut vaticinium impletum. Itaque

a) Considerentur effectus eiusdem odii. Si enim istud Christi ecclesiaeque odium esset bonum, si obiectivo rerum ordini congrueret; tunc fructus quoque bonos hominumque naturae consentaneos produceret, dum amor Christi econtra, utpote in ea hypothesi malus et impius, ad malum homines perducere deberet. Iamvero contrarium omnino contingere historia testis est. Sicut enim amor Christi, ut supra demonstratum est, generi humano innumerorum beneficiorum atque insignis perfectionis causa exstat, ita odium Christi et ecclesiae virtutes exstinguit, corruptionem seminat et fovet, ipsam vitam socialem paulatim pessumdat atque tum singulorum hominum tum integrarum gentium ruinae causa exstitit atque exsistit. Nisi itaque absurde asseratur, quod est verum et bonum et rerum ordini obiectivo consentaneum, causam esse vitiorum, corruptionis, miseriae atque ruinae; fatendum manifesto erit, odium in Christum et ecclesiam malum esse et rerum ordini obiectivo oppositum. Unde manifesto consequitur, bonum itaque esse et veritati conformem amorem Christi et ecclesiae.

13. b) Considerentur causae illius odii. Scilicet Christum et ecclesiam odio habere et persequi volunt non homines boni, sed mali; non homines virtutis studiosi, sed homines vitiis dediti; non homines passiones suas et mundana desideria abnegantes, sed homines mundo eiusque concupiscentiis,

superbiae, voluptatibus dediti. His enim cum omnibus vitiis Christi doctrina, ubicunque inveniuntur, bellum implacabile declarat. Quare psychologice omnino, quo magis pura est et sancta Christi doctrina et ecclesiae disciplina, eo magis ab iis, qui passionibus suis indulgent, odio habetur. Quod eo magis valet, quia ecclesia non tantum theoretice peccata, vitia, corruptionem, spiritum mundanum damnat, sed practice et efficaciter omni conatu iis resistit atque influxu suo tum vitam singulorum, tum familias, tum totam societatem pervadit. Hinc intelligitur, cur falsae religiones sectaeque falsae tanto odio ac Christus et ecclesia expositae nunquam sint. Aut enim malis passionibus blandiuntur easque fovent, aut saltem efficaciter eas non impugnant. Neque in hominibus vitiis et passionibus deditis odium illud impediri potest per beneficiorum considerationem, quae Christus et ecclesia ipsis impenderunt. Etenim ea aut passionibus obcoecati non considerant aut vero consideratio eorum odium ipsum magis adhuc excitare solet; videlicet quo maiora illa beneficia sunt, eo magis sane malorum vita damnatur, conscientia exstimulatur, impotentia convincitur et demonstratur; eo magis vero psychologice odium quoque exstimulari et exardescere potest. Qua ratione ipsum quoque Dei odium in furorem excrescere potest. Iam vero, cum haec ita sint, facile est videre, quanta hinc confirmatio divinitatis Christi atque ecclesiae efflorescat. Videlicet odium illud sub hoc respectu consideratum manifeste ostendit, Christi et ecclesiae causam non esse aliam quam causam ordinis moralis, ipsius bonitatis et sanctitatis, immo Dei ipsius: atque hanc causam efficacissime ab ecclesia promoveri. Atqui si ita est, Christus Deus est atque ecclesia divinitus instituta.

c) Denique accedit, quod hoc odium a Christo ipso 14.
praesertim praedictum est atque haec praedictio indolem verae prophetiae habet. Et indoles quidem verae prophetiae inde manifesta est, quia de actionibus liberis hominum agitur in futuro ponendis, a quibus multae rationes eos absterrere deberent, et quia praedictio eadem simul per-

petuam ecclesiae stabilitatem supponit, quia secus neque odium illud perseveraret; ecclesiae autem stabilitas tamquam divinae omnipotentiae opus a solo Deo praevideri potest. Praedictio vero illius odii non semel a Christo imprimis facta est.

5. Huc pertinent v. g., quae ad Apostolos eorumque successores principes ecclesiae imprimis diriguntur, Matth. 10, 17 ss.: „*Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus . . . et eritis odio omnibus propter nomen meum . . . Non est discipulus super magistrum nec servus super dominum suum; sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius: et servo, sicut dominus eius*“: deinde Ioan. 15, 18 ss.: „*Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus . . . Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum . . . Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt et oderunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis*“; denique Luc. 21, 17, 18: „*Et eritis odio omnibus propter nomen meum; et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.*“ Praeterea huc spectant, quae magis fideles in communi et totam ecclesiam spectare videntur, Matth. 5, 11. 12: „*Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete ex exultate, quoniam merces vestra copiosa et in coelis*“; deinde verba Simeonis sensus, Luc. 2, 34. 35: „*Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël: et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*“; denique 1. Pet. 2, 7. 8: „*Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis, quem reprobarunt aedificantes, hic fac-*

tus est in caput anguli: ut lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo nec credunt, in quo positi sunt." Quibus omnibus aperte significatur, ex vaticiniis ipsius Christi aliisque, cum odio in ecclesiam odium in ipsum Christum individuo nexu coniunctum esse; immo odium in corpus Christi mysticum ex odio in ipsum Christum tamquam ex motivo et causa impellente progerminare.

Scholion.

De ratione quadam argumentandi ex mysterio odii. — **16.** Stentrup loco supra citato demonstrationem ex mysterio odii instituturus prius animadvertit, odium illud in Christum et Ecclesiam explicari non posse, si solae leges psychologicae naturales considerentur, quia scilicet Christus et Ecclesia generi humano nonnisi beneficia contulerint: et deinde hac ratione argumentando pergit: „Verum quidem est, eam (i. e. Ecclesiam) corruptae naturae cupiditatibus bellum indicere, at haec ipsius ratio explicaret quidem, si repelleretur ac contemneretur, sed odii illius, quod diximus, perpetui, universalis et furialis declarationem minime continet. Non in ipso homine, sed extra hominem huius odii causa quaerenda est. In illo nempe reponenda est principio, quod vero ac bono, qua tali, contrarium est et adversatur Deo omnique ei, quod a Deo originem habet. Eiusmodi autem odium est manifestum divinitatis religionis christianae argumentum." — Sed talis argumentatio valida esse vel certa saltem vix dici potest. Etenim primo odium illud satis probabiliter psychologice explicatur, ut supra factum est, vel saltem demonstrari satis certo non potest, odium idem esse contra leges psychologicas, quibus ceteroquin amor humanus et odium regi solent. Praeterea si argumentatio illa supra allata certo valida esset, eadem naturaliter diaboli existentia demonstraretur, quod an recte dici possit, merito dubitari videtur. Ceterum concedi potest, supposita diaboli existentia eiusque hominum insectatione ex revelatione praesertim cognita odium illud ex eius instigatione quoque partim explicari, si tamen causae eiusdem supra productae non excludantur.

Articulus sextus.

De sanctorum et charismatum insigni, quo christiana religio refulget.

Thesis 47. Divina religionis christianae origo denique serie quoque non interrupta sanctorum et charismatum duratione non intermissa, quibus eadem refulget, egregie demonstratur.

Declaratio.

1. *Momentum praesentis demonstrationis et divisio thesis.* — Demonstratio religionis christianae, quae postrema in praesenti thesi iam exponenda est, specialem gravitatem habere merito iudicatur. Primo enim nulla alia demonstratione magis, immo neque aeque forte divinus favor atque divina praedilectio erga ecclesiam ad oculos demonstratur et in omnium conspectu ponitur, quam demonstratione petita ex sanctorum et charismatum insigni, quo eadem refulget. Quare haec via demonstrationis christianae valde efficax esse apparet. Praeterea eadem omnium intelligentiae est imprimis accommodata, ut Concilium Vaticanum declarat (c. 3. de fide), quia in factis supernaturalibus illis, quae ecclesiam exornant, facile quisque sanae rationis et voluntatis bonae specialem interventum divinum peculiaremque ecclesiae approbationem divinitus factam cognoscere potest; e contra alia argumenta, ut v. g. illud, quod ex doctrina christiana petitur, maiorem intellectus formationem intensiusque studium praerequirunt, ut vim suam exerere possint. Denique praesens demonstratio vel praeea quoque ex miraculis evangelicis desumpta eatenus praestat, quatenus haec demonstratio innititur non in factis diu praeteritis, quae si veritas eorum historica spectatur, difficulter saepe extra omnem dubitationem ponuntur, sed de iis factis agit, quae non intermissa longa per multa saecula serie ad hodiernum usque diem perdurant atque ab omnibus facile verificari queunt. Quare merito iudicatur, hanc demonstrationem esse viam facillimam simul atque tutissi-

mam, qua plerique homines ad firmam de revelationis divinae exsistentia et ecclesiae veritate persuasionem perveniant. Iam itaque, ut argumentum praesens breviter quidem, sed pro dignitate sua atque gravitate accurate exponatur, in prima thesis parte de non interrupta sanctorum serie agitur, quibus quovis saeculo ecclesia refulget; in altera vero parte de non intermissa charismatum serie agendum est, quibus omnibus omnino saeculis ecclesia resplenduit atque hodiedum in omnium oculorum conspectu insignita est.

Demonstratio.

I. p. Christianae religionis vel ecclesiae catholicae divina indoles atque infallibilis veritas ex serie non interrupta sanctorum demonstratur.

Huius partis argumentum cum iis coincidere videri 2.
posset, quae supra (th. 44.) de fructibus religionis christianae exposita sunt. Verumtamen non una differentia inter utrumque argumentum est; scilicet primo ibi consideratio ad prima praesertim ecclesiae saecula restricta est, hic vero sanctitas ufi continuum etiam nunc perseverans ecclesiae insigne considerатur. Praeterea illic generatim magis fructus morales considerati sunt, hic vero in specie multorum christianorum summa illa moralis perfectio consideratur, quae sanctitas vocatur. Denique aliae insuper differentiae sunt, quae ex ipsa expositione manifestae erunt. Iam probatur prima pars duabus assertionibus; in quarum prima historice series sanctorum non interrupta in ecclesia exsistens asseritur, in altera ex hoc ipso facto demonstratio struitur.

Assertio prima: Ecclesia non interrupta serie sanctorum insignita est.

1. Probatur ex consideratione innumerorum testimoniorum, 3.
quae hac de re ex quavis ecclesiae aetate exstant. — Scilicet in quavis ecclesiae aetate sanctos exstitisse, testimoniis coaevis innumeris fere refertur. Iam vero talia testimonia in genere certam fidem mereri, dubitari non potest. Etenim primo sanctitas certo cognosci potest. Scilicet in eo est

sanctitas, quod virtutes christianae, imprimis amor Dei et proximi in gradu heroico exercentur. Talem autem heroicam virtutem cognosci posse certum prorsus est. Quamvis enim virtus magis in internis sensibus, affectionibus, habitudinibus exsistat, quam in externis actionibus, sensa tamen interna in operationibus externis atque aliis signis sponte et psychologice necessario se produnt et manifestant. Neque obstat, quod hinc inde aliquis homo tantus esse possit hypocrita, ut alios fallat atque ab ipsis falso sanctus habeatur; etenim vix unquam talis hypocrita per longum tempus viros graves et prudentes fallet atque absurdissimum est putare omnes sanctos fuisse hypocritas. Praeterea vero de multorum servorum atque servarum Dei sanctitate testantur viri omnino fide digni, i. e. viri, quibus nullo modo scientia defuit: viri docti, prudentes, cauti, optime versati in vita spirituali, qui non neglexerunt inquisitionem et observationem, qui confidenter atque amice cum iis, de quibus testati sunt, egerunt, qui igitur eos optime noverunt. Viri deinde testantur, quibus nullo modo defuit veracitas i. e. viri tales, qui sibi religioni ducunt quodvis mendacium vel in re levissima vitare; quanto igitur magis in re maximi momenti in re sanctissima veraces esse supponendi sunt. Si itaque de sanctitate multorum christianorum non constet, omnis fides humana et historica nutaret, quia vix unquam alias testes tam veraces, tam incorrupti interveniunt.

4 *2. Probatur ex actis SS. a. Bollandistis editis.* — Sepositis legendis popularibus SS. et praetermisso etiam opere hac de re a Görres conscripto (‚Mystik') ut in pluribus minus critico, iure merito hic provocare licet ad insigne opus „acta SS." a Bollandistis editum, quorum methodus, ut historica et scientifica ab omnibus historicis etiam a christianis agnoscitur. Qui nunc princeps et eorum et insignis historici nomen habet, Ch. de Smedt principia scientiae criticae et historicae expressit in opusculo: Principes de la critique historique. Nisi vero per haec principia, quae in magno illo opere servari solent, ad securam certi-

tudinem historicam perveniatur, tali certitudini valedicendum esset, quod ridiculum atque absurdum est.

3. Ex causis beatificationis et canonizationis. — Scilicet 5. ad certitudinem sanctitatis multorum christianorum vindicandam prorsus sufficit provocare ad eas, quae Romae usu veniunt, causas beatificationis et canonizationis. Nullus enim ab ecclesia inter Beatos et Sanctos refertur, cuius sanctitas vel heroica virtus iuridica actione evidenter probata non sit. Iam vero talis inquisitio certitudinem de sanctitate servorum Dei generatim magis certam reddit, quam quodlibet fere aliud factum historicum; etenim causae illae vel severius, accuratius, cautius instituuntur, quam causae iudiciales saeculares. Cuius rei argumentum praebent libri Benedicti XIV. de beatificatione et canonizatione servorum Dei necnon acta illarum causarum. Ceterum ponatur aliquando in illis causis subrepsisse errorem: nonne tamen ridiculum est, etiam humano modo rem considerando, de pluribus, de omnibus dubitare? Cur igitur non dubitatur de iudiciis saecularibus? Multo magis certe in illis quam in his error est exclusus: quia testes in illis magis quam in his solent esse religiosi, abhorrere a mendacio et periurio tamquam gravissimis peccatis: minus quoque ad periurium alliciuntur, quia nullum inde ipsis commodum provenire potest. Itaque si iudiciis illis ecclesiasticis fides detractari possit, a fortiore saecularibus iudiciis abneganda est; quod quidem quam absurdum sit nemo non videt.

Itaque historice nihil magis certum est, quam in ec- 6. clesia innumeros exstitisse in decursu saeculorum Sanctos et quidem quavis aetate exstitisse, ita ut ecclesia non interrupta sanctorum serie tamquam egregio insigni refulgeat. His autem quos historia refert sanctis annumerandi sunt innumeri alii, qui ignoti manserunt. Etenim Sancti hominum laudes atque famam publicam non ambunt, verum se atque virtutes suas ab oculis hominum libenter abscondere solent. Iam quanta hinc ecclesiae gloria atque commendatio accedat, facile patet, si ex una parte natura corrupta et in malum prona et ex altera parte insignes illae ipsae

virtutes considerentur, quibus Sancti excelluerunt. Cum scilicet natura humana corrupta triplici concupiscentia carnis, oculorum, superbiae vitae vehementer attrahatur et sensibilibus atque terrenis inhiet, in Sanctorum vita haec concupiscentia devicta et oppressa apparet atque mens solis caelestibus et divinis inhaeret necnon admirandae virtutes resplendent, ut: heroica caritas Dei et proximorum, quae fortior est quam ipsa mors; heroica abnegatio sui et strenuus mundi eiusque illecebrarum contemptus; profunda humilitas parque et inconcussa in Deum fiducia necnon placida in omnibus adversis patientia; stupenda generositas et magnanimitas Apostolorum: mirabilis ss. Martyrum constantia; heroica castitas innumerarum virginum. Egregia enim ratione in Sanctis illa apparent, quae Apostolus tamquam Spiritus fructus recenset: *„Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis“* (Gal. 5, 22 ss.).

7. Deinde vero insigne hoc spectaculum, quod in serie non interrupta Sanctorum miramur, magis adhuc resplendet, si mira consideretur sapientiae cum sanctitate coniunctio, quae in Sanctis christianis apparet necnon religioni christianae plane propria est. Quaedam dumtaxat nomina recensere satis erit, quae huius rei praeclarum specimen praebent. Scilicet huc v. g. pertinent Irenaeus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus inter Graecos; Iustinus, Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ephraemus, Damascenus in Asia: Hieronymus, Cyrillus, Methodius inter Slavos; Arnobius, Cyprianus, Augustinus inter Afros; Isidorus, Hildephonsus, Ignatius inter Hispanos; Hilarius, Prosper, Paulinus, Bernardus, Franciscus Salesius inter Francogallos; Albertus Magnus, Rabanus Maurus, Petrus Canisius inter Germanos; Ambrosius Magnus, Thomas, Bonaventura, Alphonsus M. de Liguori inter Italos; Beda, Richardus, Sco-

tus inter Anglos. Qui omnes, multis aliis, qui referri possent, praetermissis non solum in virtutibus christianis excelluerunt, sed tamquam sapientiae quoque et scientiae luminaria inter aequales suos eminuerunt.

Assertio secunda: Ex hac non interrupta Sanctorum serie divina Ecclesiae indoles luculenter confirmatur.

8. Argumentatio hic instituenda partim fere eadem est ac ea, quae supra (th. 44), ubi de fructibus religionis christianae agebatur, iam instituta est. Quare breviter argumenta innuisse sufficiet. Itaque

1) Probatur ex naturali impotentia morali hominum observandi totam legem naturalem. — Quod iam dictum est aliquoties, hic imprimis pensandum est. Homines naturaliter perfectam et congruam religionis naturalis cognitionem sibi acquirere nequeunt. Ergo multo minus eam naturalibus viribus perfecte exercere possunt, cum scilicet tali exercitio maiora impedimenta obstent, quam soli cognitioni. Ergo iterum multo etiam minus solis viribus naturalibus ad tam insignem et heroicam sanctitatem homines pervenire possunt, qualis in Sanctis ecclesiae conspicitur, quippe quae perfectissimum religionis naturalis exercitium longe excedit. Confirmatur inde, quod inter gentiles, quamvis plures virtuti studerent, nullus invenitur, qui virtutes, imprimis caritatem Dei et proximi, in gradu heroico exercuerit. Ergo Deus speciali auxilio et favore Sanctos ecclesiae fovere dicendus est, et hanc quidem suam gratiam tam large in Ecclesia impertit et diffundit, ut in eadem Sancti nunquam defecerint, sed cuiusvis aetatis, sexus, conditionis, vitae status, quovis Ecclesiae tempore inveniantur. Atqui hac ratione Ecclesiae membra prae aliis hominibus Deus non foveret nec sane fovere posset, nisi religio, quam profitentur, vera esset, praesertim cum haec ipsa religio se ut unice veram generi humano proponat; secus enim errorem religiosum foveret, quod cum veracitate divina et sanctitate prorsus pugnat; ergo.

9. *2) Ex habitudine inter effectum et causam necessario requisita.* — Mirum Sancti christiani ad eximiam suam sanctitatem pervenerunt theoretice et practice religionem vel doctrinam christianam profitendo. Ergo ipsa haec doctrina necessario est sancta et vera, nullatenus vero mendax, erronea, mala. Etenim ipsi causalitatis principio repugnat, ut quod malum est et mendax et erroneum, sit causa tantae praesertim bonitatis et sanctitatis; ergo.

10. *3) Ex absurdis, quae secus sequerentur.* — Multipliciter absurdum est religionem, in qua tanta innumerorum hominum sanctitas effloresceit, perversam esse atque falsam. Scilicet primo in hac hypothesi prorsus impossibile esset, ad cognitionem verae religionis pervenire, quod cum sanctitate et providentia divina evidenter pugnat. Si enim illi homines, in quibus tanta sanctitas cum tanta sapientia coniuncta erat et qui nulli labori, nulli conatui peperce-runt atque instanter orarunt, ut voluntatem Dei cognoscerent eique placerent, nihilominus circa religionem erraverunt, quis quaeso sibi iam de assecuta vera cognitione religiosa blandiri posset? Profecto nemo et reliquum iam nihil esset, nisi purus putusque scepticismus religiosus. Praeterea in eadem hypothesi contradictio poneretur in ipsa sanctissima Dei voluntate. Etenim si in errorem omnium funestissimum, cuiusmodi et falsae et mendacis religionis professio, incidere homines possunt, qui nec infidelibus renuentibus omnium sanctissimi fuerunt, qui accensi summo in Deum amore omnibus huius vitae bonis contemptis, unice Dei gloriam et animarum salutem quaesierunt; tum mira contradictione Deus iisdem hominibus amorem quidem verum donavit, veram autem cognitionem denegavit; quod sane contradictiorum agendi modum in Deo argueret. Ceterum ipso facto quoque haec absurda agendi ratio a Deo exclusa apparet, quia, ut iam dictum est, mira sanctitatis et sapientiae coniunctio in sanctis christianis conspicitur. Haec enim sanctitatis et sapientiae coniunctio Dei donum esse evidenter cognoscitur. Non enim casui vel privatae industriae adscribi potest, quia eadem con-

iunctio frequens est et quia nunquam in aliis, quam in sanctis christianis invenitur. Cum itaque Sanctorum sapientia Dei donum sit, ab hac sapientia verae religionis cognitio absurde excluderetur; ergo.

Excipiunt contra demonstrationem factam, alias quo- 11.
que religiones suos habere Sanctos. — R. *Primo* quod attinet eos, qui obiiciuntur, aliarum religionum Sanctos multipliciter deficit certitudo historica; fabulosa enim pleraque sunt, quae de talibus hominibus narrantur; nihilominus circa ea maxime creduli sunt adversarii, dum, si de Sanctis christianis agitur, maxime critici sunt. *Deinde* vero, quae de vita illorum hominum historice certa sunt, cum heroicis Sanctorum christianorum virtutibus ineptissime comparantur. Vera enim sanctitas in heroico Dei et proximorum amore imprimis posita est; non igitur in immoderata atque irrationali proprii corporis castigatione neque in omnium sensorum et affectuum naturalium etiam nobilissimorum exstirpatione, sed in eorum ad finem ordinatione atque relate ad amorem Dei subordinatione invenitur. Quare ridiculi sunt et absurde agunt, qui monachos buddhisticos vel ascetas Muhamedanicos cum Sanctis christianis comparare non verentur.

2. p. Item ex miraculorum charismate in Ecclesia perseverante divina eius indoles manifesto demonstratur.

Praesentis partis argumentum maximam sane analo- 12.
giam habet cum argumento supra (q. 7. a. 3.) tractato, miraculis sc. Christi, atque iisdem plane principiis innititur; verum tamen propriam considerationem non una ratione meretur; videlicet miraculorum charisma in religione christiana perseverans ostendit eandem non tantum origine esse divinam, sed integram et incorruptam hanc suam divinam indolem perpetuo conservasse; praeterea vero, cum sola ecclesia catholica miraculorum charismate insignita sit, eodem argumento evincitur hanc ecclesiam solam esse veram religionem a Christo fundatam. Iam duabus item assertionibus haec pars probatur; in quarum prima histo-

rica facti veritas stabilitur, in altera vero ex eodem facto argumentatio instituitur.

Assertio prima: Ecclesia ab origine sua ad nostros usque dies miraculorum charismate continuo insignita est.

13. Cum miraculorum, quae decursu saeculorum in ecclesia patrata sunt, numerus prorsus ingens sit, huius loci sane non est, completam eorum relationem exhibere; quare demonstrare diversis ecclesiae temporibus miracula patrata esse atque nonnulla eorum nominatim exhibere satis erit. Aetatem vero ipsam apostolicam in hac expositione seponimus, cum a Protestantibus ipsis plerumque concedatur, ea aetate atque imprimis ab ipsis Apostolis multa miracula patrata esse. Itaque

1. Probatur, miraculorum charisma in antiquitate vel prioribus ecclesiae saeculis viguisse. — Id quidem a Protestantibus plerumque negatur, ne scilicet ecclesia catholica, quam tempore postapostolico ortam esse dicunt, divinitus comprobata esse videatur, atque ne subsequentium quoque temporum miracula etiam admittere cogantur. Verum factum iis testimoniis confirmatur, ut eodem negato quodlibet aliud eiusdem temporis factum merito in dubium vocari possit. Itaque

14. a) Imprimis SS. Patres frequenter magnoque consensu testantur, in ecclesia viguisse charisma, quo nominis Iesu invocatione daemones e corporibus obsessorum expellebantur. Ex innumeris fere testimoniis aliqua iuvat producere Itaque *Iustinus* v. g. fidenter ad frequentiam illius facti contra Iudaeos provocat: „Id quod vobis etiam nunc facile est ex his, quae in omnium oculis geruntur perspicere, si velitis. Nam per nomen ipsius illius Filii Dei et omnis creaturae primogeniti, qui ex virgine natus est, et homo perpessionibus obnoxius factus, et sub Pontio Pilato a populo vestro crucifixus et mortuus est, ac resurrexit ex mortuis et ascendit in coelum, daemonium quodlibet adiuratum vincitur et subiicitur. Si vero per nomen quodlibet eorum, qui apud vos fuerunt aut regum aut iustorum aut

prophetarum aut patriarcharum, a vobis adiurentur, nullum subicietur daemonium" (Dial. c. Tryph. n. 58). Quibus similia alibi quoque eadem confidentia profert: „Hoc ipsum ex his, quae sub aspectu vestro fiunt, intelligere potestis. Complures si quidem daemonum intemperiis correptos homines per orbem omnem et hanc vestram urbem, quos alii adiuratores et incantatores et venefici vestri curare non potuerunt, permulti hominum nostrorum, christianorum inquam, per nomen Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurantes sanarunt atque etiam nunc sanant exarmantes atque exigentes, qui illos obsederunt, daemones" (Apol. 2. n. 6)

Accedit insigne *Tertulliani* testimonium: „Edatur hic 15.
aliquis, ita imperii praesules alloquitur, sub tribunalibus vestris, quem daemone agi constet. Iussus a quolibet christiano loqui spiritus ille tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Atque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur . . . nisi se daemones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est, virtus illi sua assistit; nihil suspicari licebit. Magia autem aliqua eiusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis." Deinde postquam hinc conclusit Christianorum Deum esse solum verum Deum, ita prosequitur: „Atqui omnis haec nostra in illos dominatio et potestas de nominatione Christi est et commemoratione eorum, quae sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in Deo et Deum in Christo subiiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu deque afflatu nostro contemplatione et repraesentatione ignis illius correpti etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis praesentibus erubescentes. Credite illis, cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides prona est adversus semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes" (Apol. c. 23).

16. *Lactantius* quoque testis est: „Iustos autem, inquit, id est cultores Dei, metuunt (daemones), cuius nomine adiurati de corporibus excedunt; quorum verbis tamquam flagris verberati non modo daemones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt illa, quae in templis adorantur et quod plerumque coram cultoribus suis faciunt, non utique in opprobium religionis et honoris sui, quae nec Deo, per quem adiurantur nec iustis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis saepe ululatibus editis verberari se et ardere et iam iamque exire proclamant: tantum habet Dei cognitio ac iustitia potestatis" (Div. instit. l. 2. c. 16).

17. Denique audiatur *Athanasius:* „Haec autem, quae dicimus, non in solis verbis consistunt, sed ipsa etiam experientia praeclarum veritati dat testimonium . . . Veniat et quisquis ea, quae diximus, experiri cupit, atque in mediis ipsis daemonum praestigiis et oraculorum fallaciis ac magiae prodigiis, signo crucis, quae apud ipsos ludibrio est, utatur solumque Christum nominet, mox videbit, quam cito per ipsum fugentur daemones, cessent oracula, ars omnis magica veneficiaque evanescant" (Orat. de incarn. Verbi Dei n. 48). Conferatur hac de re *Hurter,* opusc. SS. PP. I. dissert I. „Daemon vel invitus testis divinae originis religionis christianae"; ubi plurima alia testimonia vel allegantur vel indicantur.

18. b) Non solum autem daemonum eiectiones in antiqua ecclesia contigerunt; sed alia quoque miracula etiam insigniora frequenter patrata sunt. Quod clare a pluribus et insignibus testibus refertur. Ita *S. Irenaeus* v. g. de miraculis sua aetate patratis haec testatur: „In illius (Christi) nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt miracula ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in ecclesia. Alii autem et praescientiam habent futurorum et visiones et dictiones propheticas. Alii

autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos restituunt. Iam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia . . . per singulos dies in opitulationem gentium perficit" (Adv. haer. l. 2. c. 32 n. 4) Deinde in ecclesia sola, non vero apud haereticos hoc miraculorum charisma vigere testatur: „Super haec arguentur, qui sunt a Simone et Carpocrate et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus facientes ea, quae faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones et universa fraude, plus laedentes, quam utilitatem praestantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim caesis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugare praeter eos, qui ab ipsis imittuntur, si tamen et hoc faciunt; neque debiles aut claudos aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos; quemadmodum saepe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum, quae a foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare. Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit et Apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea, quae est in quoque loco, ecclesia universa postulante per ieiunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum), ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis, agnitionem eius, quae ab eis dicitur, veritatis" (Ib. l. 2. cap. 31: n. 2).

19. *Origenes* quoque indubia testimonia exhibet: Contra Celsum agens, postquam de Christi et Apostolorum miraculis tractavit, haec addit: „Quin et etiamnum apud christianos nonnulla supersunt illius Spiritus Sancti, qui columbae specie apparuit, vestigia. Nam daemonia eiiciunt, morbos curant et volente Verbo futura praevident „(l. 1. n. 46). Atque iterum asserit, miraculorum charisma a Iu-

daeis ad Christianos translatum esse: „Videre est Iudaeos, ex quo Iesus advenit, omnino derelictos, nec quidquam iam habere eorum, quae olim illis digna veneratione videbantur, nullum signum ullam eis adesse divinitatem. Non enim amplius eis sunt prophetae, non miracula; cum contra apud Christianos etiamnum miraculorum aliquantum supersint vestigia, immo maiora, quam apud illos fuerunt, aliquando fiant; et si hac in re quid ponderis habet nostrum testimonium, ipsi vidimus" (ib. l. 2. n. 8). Denique miraculis invocatione nominis Iesu patratis utitur ad religionis christianae veritatem demonstrandam: „Quidam (fidelium) in iis, quos curant, significant, se per hanc fidem mirificum quidquam accepisse; quippe nihil aliud in eos, qui curatione opus habent, invocant, quam supremum Deum Iesuque nomen, adiuncta de isto historia. His et nos vidimus multos gravibus incommodis liberatos, alienatione mentis, insania aliisque sexcentis, quae neque homines, neque daemonia sanaverant" (l. 3. n. 24).

20. Deinde *Hilarius* quoque charismatis miraculorum sua aetate in ecclesia vigentis testis exstat: „Non enim negari iam Christus, quin Christus sit, potest neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiae volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc apostolorum et martyrum per virtutum operationes sepulchra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus confitentur, hunc punitorum daemonum resonant mugitus" (de Trinit. l. 11. n. 3).

21. Item *Augustinus* clare testatur, charisma miraculorum in ecclesia sui temporis perseverasse. In opere de civitate Dei l. 22. c. 8. n. 1 ss. multa miracula refert, quae ipsius aetate patrata sunt et quorum vel ipse testis sive ocularis sive auritus fuit; atque haec deinde inter alia animadvertit: „Quid faciam? Urget huius operis implendi promissio, ut non hic possim omnia commemorare, quae scio: et procul dubio plerique nostrorum, cum haec legent, dolebunt me tam multa praetermisisse, quae utique mecum sciunt. Quos iam nunc, ut ignoscant, rogo; et cogitent, quam prolixi

laboris sit facere, quod me hic non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quae per hunc martyrem, i. e. gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum, de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari; et ea non debere multorum notitiae deperire. Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem regium coepit esse ista memoria, et multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis, quae mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum pervenerant, quando ista conscripsi. Calamae vero, ubi et ipsa memoria prius esse coepit et crebrius dantur, incomparabili multitudine superant" (ib. n. 20). Denique singulari quodam miraculo iterum exposito declarat: „Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per qos vult et quemadmodum vult, qui et illa quae legimus fecit: sed ista nec similiter innotescunt, neque ut non excidant animo, quasi glarea memoriae, crebra lectione tunduntur. Nam et ubi diligentia est, quae nunc apud nos esse coepit, ut libelli eorum, qui beneficia praecipiunt, reticentur in populo, semel hoc audiunt, qui adsunt, pluresque non adsunt, ut nec illi qui adfuerunt, post aliquot dies, quod audierunt, mente retineant et vix quisquam reperiatur illorum, qui ei, quem non adfuisse cognoverit, indicet quod audivit" (ib. n. 21).

Denique audiatur *Basilius* quoque, qui Gregorii Thau- 22.
maturgi elogium faciens de innumeris miraculis testatur, quae hic Sanctus patraverit: „Ceterum Gregorium magnum et illius voces quo loco ponam? Annon cum apostolis et prophetis? Virum, qui eodem spiritu, quo illi versatus, quique sanctorum vestigiis per omnem vitam inhaesit, quique evangelicae conversationis vigorem, quamdiu vixit praestitit. Equidem hoc dixerim, iniuria affecerimus veritatem, si non animam illam annumeremus iis, qui Deo iuncti sunt.

qui velut insignis magnaque lucerna in Ecclesia Dei resplenduit, qui e Spiritus ope tremendam habuit adversus daemones potestatem. Tantam vero sermonis gratiam acceperat ad obedientiam fidei inter gentes, ut acceptis non plus septemdecim christianis universum populum et urbanum et rusticanum per cognitionem adiunxerit Deo. Ille et fluminum aquas in diversum vertit, praecipiens illis in magno nomine Christi; et paludem exsiccavit, belli causam praebentem fratribus avaris. Ceterum praedictiones de futuris eiusmodi sunt, ut nihilo sit inferior ceteris prophetis. Sed omnino perlongum fuerit viri percensere miracula: qui propter donorum excellentiam, quae in ipso operabatur Spiritus in omni virtute et signis ac prodigiis, ab ipsis veritatis hostibus alter Moyses apellabatur. In tantum in illo in omnibus tum dictis tum factis, quae per gratiam peragebantur, veluti lumen quoddam refulgebat, coelestis virtutis indicium, quae ex occulto assectabatur illum. Huius adhuc etiamnum magna est apud eius regionis homines admiratio, novaque ac semper recens memoria sic infixa est ecclesiis, ut nullo tempore obsolescat" (De Spiritu S. c. 29. n. 74).

23. Iam si haec testimonia, quae multum augeri possunt, sine praeiudicio considerentur, sine dubio tamquam *historice plane certum* apparet, miraculorum charisma in antiqua ecclesia splendide refulsisse. Etenim testes huius rei exsistunt plurimi diversorum temporum et diversarum regionum vel nationum. Iidem testes insuper auctoritate maxime eminent et fide plane digni sunt. Videlicet sanctitate simul et doctrina ita excelluerunt, ut plerique inter Patres et Doctores ecclesiae vel Sanctos saltem computentur. De veracitate igitur eorum vel scientia absurde dubitaretur. Confirmatur adhuc multum eorum auctoritas, si adiuncta, in quibus testantur, recte considerentur. Etenim facta referunt, quorum ipsi testes oculati fuerunt, facta item publica et saepe repetita. Atque adeo de horum factorum veritate persuasum ipsis erat, ut contra Iudaeos et Gentiles confidenter ad ea provocarent, quin ullo modo timerent,

ne falsitatis convincerentur. Denique accedit, quod ipsi Gentiles miraculorum a Patribus assertorum veritatem negare non sint ausi, sed magicis artibus ea adscripserint; immo multi iis tamquam signis divinis perculsi et illuminati ecclesiae se adiunxerunt. *Veritas enim philosophica* quoque illorum miraculorum indubia esse conspicitur, si tum auctoritas testium tum eadem miracula in se accuratius considerentur. Merito igitur *Thomassinus* de miraculis reliquiarum virtute patratis disserens haec eloquitur: „Quid agimus? Aut adiicienda et his fides est, aut tota fides christiana difflanda atque hominum mentibus expungenda omnino est. Si quos enim fidei nostrae antesignanos, Theologiae nostrae principes, Ecclesiae lumina profitemur esse, non paucos eorum tantum, sed omnes penitus eos anilibus fabulis deludi ac praestigiis dementari potuisse agnoscimus, quo Theologia nostra, quo Ecclesia evadet? Sed quando haec miracula tam cognata sunt et pene gemella ac contexta iis, quae in Actis Apostolicis prodita sunt, qui illis mendacii inurunt infamiam, his quoque, si simulationis fucus omnis abstergatur, fidem abiudicabunt?“ (Theologic. dogm. T. 1. de Incarn. l. 12. c. 4).

c) Propriam considerationem meretur miraculum Tipa- 24.
sense, quippe quod non una ratione eminet et peculiarem celebritatem nactum est. Cuius miraculi tum veritas historica tum philosophica facile et certo probari potest. Itaque:

Primo testes huius facti plures diversae conditionis, diversae indolis et ab invicem independentes referendi sunt. Primus sit Vandalicae persecutionis historiographus *Victor Vitensis,* qui rem ita refert: „In Tipasensi vero quod gestum est, Mauritaniae maioris civitate, ad laudem Dei insinuare festinem. Dum suae civitati arianum episcopum ex notario Cyrillae ad perdendas animas ordinatum vidissent, omnis simul civitas evectione navali de proximo ad Hispaniam confugit relictis paucissimis, qui aditum non invenerant navigandi. Quos arianorum episcopus primo blandimentis, postea minis compellere coepit ut eos faceret arianos. Sed fortes in Domino non solum suadentis insa-

niam irriserunt, verum etiam publice mysteria divina in domo una congregati celebrare coeperunt; quod ille cognoscens relationem occulte Carthaginem adversus eos direxit. Quae cum regi innotuissent, comitem quendam cum iracundia dirigens praecepit, ut in medio foro, congregata illuc omni provincia, linguas eis et manus dextras radicitus abscidisset. Quod cum factum fuisset, Spiritu Sancto praestante ita locuti sunt et loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, et ibi reperiet unum de illis, subdiaconum Reparatum, sermones politos sine ulla offensione loquentem; ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, et praecipue regina mira eum reverentia veneratur" (Hist. persec. Vandal. l. 5. n. 6).

25. Succedit alter testis *Aeneas Gazensis*. Hic in dialogo, qui Theophrastus inscribitur, postquam miraculum idem retulit, se tamquam testem ocularem rem exhibere asseverat. Scilicet crimine relato ita pergit: „Illi vero ipsius naturae conditorem implorant, qui recentiorem eis naturam die tertia post largitur, non quidem dato alterius linguae, sed facultatis sine lingua articulate, quam unquam antea, quod vellent, eloquendi munere. Ipse ego eos viros vidi et loquentes audivi, et vocem adeo articulatam esse posse miratus sum: instrumentum vocis inquirebam, et auribus non credens oculis iudicandi munus remisi, atque ore aperto linguam totam radicitus evulsam vidi, ac stupefactus mirabar, non sane quo pacto vocem conformarent, sed quomodo conservati essent. Dicit medicorum doctrina, contestatur etiam et natura, quia linguae incisio interfectio est eius a, quo inciditur."

Item *Marcellinus* in chronico ut testis ocularis rem refert: „Theodorico et Venantio coss. (a. 484.) totam per Africam crudelis Hunerici Vandalorum regis in nostros catholicos persecutio importata est . . . Nempe tunc idem rex Hunericus unius catholici adolescentis vitam a nativitate sua sine ullo sermone ducentis linguam praecepit excidi, idemque mutus, quod sine humano auditu Christo

credens fide didicerat, mox praecisa sibi lingua locutus est, gloriamque Deo in primo vocis suae exordio dedit. Denique ex hoc fidelium contubernio aliquantos ego religiosissimos viros praecisis linguis, truncatis manibus apud Byzantium integra voce conspexi loquentes."

Deinde illustris testis ocularis est *Iustinianus* impera- 26
tor, cuius testimonium sollemne depositum est in celeberrimo eius opere, sc. in corpore iuris civilis (cod. Iust. titul. 27): „Imperator Caesar Flavius Iustinianus, Alamannicus, Gothicus, Franciscus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor a Triumphator, semper Augustus, Archelao Praefecto praetorio Africae. Quas gratias aut quas laudes Domino Deo nostro Iesu Christo exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua proferre. Multas quidem et antea a Deo meruimus largitates, et innumerabilia circa nos eius beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egisse cognoscimus. Prae omnibus tamen hoc, quod nunc omnipotens Deus per nos pro sua laude et pro suo nomine demonstrare dignatus est, excedit omnia mirabilia opera, quae in saeculo contigerunt, ut Africa per nos tam brevi tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinque annos a Vandalis captivata, qui animarum fuerunt simul hostes et corporum. . . . Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis poenas suas mirabiliter loquebantur . . . Datum Constantinopoli etc."

Procopius quoque idem miraculum refert simulque 27.
singularem aliquam circumstantiam exhibet: „Multis et linguas exscindebat (Hunericus) e faucibus, qui mea etiam aetate Byzantii ambulabant, integro utentes sermone nihilque de vetere poena persentientes: e queis duo, postquam se prostituti pudoris femînis miscuerunt, loqui desiere" (De bello Vand. l. 1).

Denique testes accedunt Gregorius Magnus (dial. l. 3. c. 32). Victor Tunonensis (chronic.), Isidorus hispal. (Vandal. hist.). Cf. Ruinart, in histor. persecut. Vandal. comment. hist. c. 7.

28. Itaque *secundo,* cum ab istis testibus miraculum Tipasense referatur, de eius veritate historica nonnisi absurde dubitari posset. Etenim imprimis factum ipsum, quod refertur, tale est, ut facile a quovis homine cognosci et examinari possit. Praeterea primus testis, qui adductus est, Victor Vitensis factum idem refert, cum innumeri homines, qui praesentes idem inspexerant, atque ipsi illorum confessorum tortores superstites erant; immo eodem illo tempore vel unus ex illis mutilatis confessoribus Constantinopoli vivebat; nunquam autem ullum contra historicam eiusdem facti veritatem dubium motum est. Deinde cum Victor Vitensis generatim ab omnibus ut scriptor historicus fide dignus consideretur et eventus alii ab ipso relati, qui immediate cum miraculo illo connexi apparent, tamquam historici habeantur, nulla exstat ratio, propter quam de miraculo illo relato dubitari iure possit. Denique Victoris testimonium aliorum testium relatione confirmatur, qui, si eorum indóles atque adiuncta, in quibus scribebant recte considerentur, plenam fidem historicam merereri facile cognoscuntur. Procopius v. g. tamquam accuratus fidelisque historiographus ab omnibus habetur atque insuper miraculum Tipasense referens speciali ratione fide dignus est, quia christianae religioni non adhaerebat, sed scepticus fuisse videtur. Ceterum non tantum singuli quidam homines de illo miraculo testantur, sed tota urbs Constantinopolitana testis est, quippe in qua confessores illi lingua abscissa miraculoso modo loquentes per plures annos vivebant. Quae cum ita sint, scriptores acatholici quoque veritatem miraculi historicam negare nunquam ausi sunt.

29. *Tertio* vero, aeque certa, quam historica, philosophica huius miraculi veritas habenda est. Etenim lingua graviter mutilata vel abscissa, ut physiologi docent atque perpetua experientia confirmatur, homo naturaliter omnino non vel saltem non distincte loqui potest. Excipiunt quidem, quod homines etiam lingua amputata naturaliter loqui queant, atque plura eius rei exempla adducunt. Scilicet ex duobus vel tribus saeculis imprimis ab auctore anglico, Edward

Twisléton, circiter tredecim casus collecti sunt, in quibus homines lingua excisa facultatem loquendi iterum adepti sunt. Verum his eventibus philosophica miraculi Tipasensis veritas non destruitur, sed potius confirmatur et illustratur. Etenim primo, qui lingua amputata facultatem loquendi naturalem retinuerunt vel iterum receperunt, nunquam tamen prorsus articulate et distincte loqui potuerunt; sed quicunque lingua carent, certas litteras consonantes, ut d, t, th pronuntiare nequeunt. Econtra res omnino aliter se habuit apud confessores Tipasenses; etenim ut ex testimoniis supra relatis constat, ita nullo loquelae vitio laborabant, ut potius plane articulate et distincte imo distinctius quam ante mutilationem loquerentur. Praeterea, quibus artificiose lingua amputata est, paulatim atque constanti exercitio facultatem loquendi sibi acquirunt, neque apud omnes hic conatus succedere solet. Confessores autem Tipasensens, quibus violenta ratione, non autem modo artificioso lingua decisa est, subito omnes tertia post mutilationem die perfecte loquebantur, vel facultatem loquendi omnino non amiserunt; triduo autem atrox per violentam linguae excisionem effectum vulnus naturaliter sanari non posse, evidens profecto est. Insuper physiologi docent, eos quibus tota lingua artificiose excisa est, facilius loqui, quam illos, quibus tantum mutilata vel partim excisa est; iam vero ad hos, non ad illos pertinent confessores Tipasenses; unde iterum confirmatur, eos non naturaliter usum loquelae recepisse. Deinde inter confessores illos, ut Marcellinus refert, unus fuit, qui a nativitate surdo-mutus erat; iam vero inauditum est neque naturaliter fieri potest, ut surdo-mutus per violentam linguae abscissionem sanetur. Denique, ut referunt S. Gregorius et Procopius, unus aut duo ex illis confessoribus postea in luxuriae peccatum lapsi loquelam iterum misere amiserunt; quae circumstantia Deum in tota illa re intervenisse manifeste prodit; etsi enim continuata luxuria nervos vel musculos debilitare vel penitus frangere aliquando possit, non tamen hoc subito neque per paucos luxuriae actus naturaliter fieri solet.

Itaque de philosophica quoque miraculi Tipasensis veritate tam manifesto constat, ut nonnisi absone de ea dubitari possit.

30. *2. Miraculorum charisma, quo in antiquitate ecclesia insignita erat, per omnia deinceps saecula in eadem perseveravit.* — Revera historia teste nullum est aerae christianae saeculum, quo ecclesia innumeris fere et maxime variis miraculis non resplendeat. Mortui non raro resuscitati sunt; morbi cuiusvis fere speciei, non psychici tantum, sed organici quoque, frequenter miraculose sanati sunt, membra contrita et amputata saepe restituta fuere. Deinde miraculosae victualium augmentationes, substantiarum conversiones, tempestatum seditiones, ambulationes super flumina vel mare aliaque sexcenta miraculose facta testimoniis historicis irrefragabilibus referuntur. Verbo nulla fere est lex naturae, quae aliquo miraculo suspensa aliquando esse non referatur. Quae ut paucis confirmentur, primo aliqua miracula in specie adducere, deinde de veritate eorundem tum historica tum philosophica pauca advertere expedit.

31. a) Cum ingens miraculorum illorum in ecclesia patratorum sit numerus, pauca seligere oportet. Itaque imprimis saeculo 12° miraculorum charismate egregie insignitus erat S. Bernardus. Plurimis ab hoc Sancto miraculis patratis praetermissis haec teste Gaufrido, notario eius atque historiographo, eo tempore patravit, quo Romani Pontificis iussu populos christianos ad expeditionem Hierosolymitanam cohortatus est. „Testati sunt, inquit Gaufridus, qui adfuere in territorio Constantiensi, circa vicum, quem Doniquem nominant, ex iis, qui diligentius vestigarunt et viderunt oculis suis, una die illuminatos ad eius impositionem manus coecos undecim, sanatos etiam mancos decem, et claudos erectos decem et octo. Ceterum, ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine saltem pauca memoriae commendamus, quae in locis celebrioribus facta noscuntur. Cum venisset Constantiam homo Dei, et undique se virtutum eius fama diffunderet, abbas Augiensis

(quod intra lacum Lemanum antiquum exstat et nobile monasterium) hominem, quem suis eleemosynis sustentabat, coecum misit ad eum, et confestim videntem illum recepit. Heytereseim dicitur locus ad eiusdem dioecesim pertinens civitatis, sed plurimum a civitate remotus. Ibi quoque, sicut et in ceteris illius provinciae, per quam transiit, locis, multis in servo suo miraculis glorificatus est Deus: ubi etiam caecus natus sub manu eius visum recepit. Item alteri a nativitate surdo et muto auditus redditus est et loquela. In civitate autem Basilica, cum ex more sermonem habuisset ad populum et impleretur in eo, quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, oblata est ei foemina muta, et confestim orante eo locuta est; oblatus est claudus et ambulavit; oblatus est coecus et vidit. — Apud Spirensem civitatem, praesente Romanorum rege Conrado, qui Dei hominem ab ecclesia ad hospitium devotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes, ut ei manum imponere dignaretur Quem signatum protinus erigens, super pedes statuit, et libere gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella episcopi civitatis ipsius, rege ipso vidente, visum reddidit caecae cuidam mulieri, et claudo nato gressum donavit. Multa quidem et alia in manu eius ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos etiam pauperculos pueros rex ipse devotus suis illi manibus offerens de multorum curatione meruit gratulari" (Vitae l. 4. c. 5, n. 30. 31).

Deinde saeculo 14. exeunte et 15. ineunte celeber thau- 32.
maturgus vixit S. Vincentius Ferrerius Hispanus; qui vir apostolicus insigni modo miraculorum charismate enitebat. Dono linguarum instructus erat, cibos vel potum multiplicavit, infirmos innumeros sola manuum impositione et oratione sanavit. Audiatur Petrus Ranzanus, alumnus Vincentii et ipse quoque ex Praedicatorum ordine de eiusdem miraculis testimonium ferens; narrat scilicet, Vincentium in itineribus suis apostolicis quotidie concione finita obla-

tos sibi infirmos cruce signasse et dein pergit: „Sicque plurimi diverso infirmitatis genere laborantes, perfectae sanitatis beneficium reportabant. Verba, quibus in huiusmodi languentium sanationibus utebatur, haec erant: *Signa, inquit, eos, qui crediderint, haec sequentur: super aegros manus imponent et bene habebunt.* Dein statim adiciebat: Iesus, Mariae filius, mundi salus et Dominus, qui te traxit ad fidem catholicam, te conservet in ea et beatum faciat, et ab hac infirmitate te liberare dignetur. Amen" (Acta SS. 5. April. p. 433). Deinde ex multis miraculis, quibus escas vel potum ad populum nutriendum multiplicavit, hoc unum auctor idem seligit et refert: „Est in Catalonia locus quidam, qui ab incolis dicitur Villa longa, ad quem cum venisset B. Vincentius, una cum illa religiosa multitudine, quae tunc erat fere numero sex millium hominum, dominus loci, qui vocabatur Iustus, confestim eis paravit refectionem, quam pro loci et temporis congruentia parare potuit; inter alia vero vinum in portatoria (vase ligneno portatili) poni fecit, servans videlicet consuetudinem (regionis). Itaque posteaquam omnes refecti sunt, et inde recesserunt, portatoria vino repleta reperta est, proinde ac si nemo ex tanto numero hominum aliquid de eo bibisset, sed ne quidem gustavisset. Ille vero tantae rei admiratione plurimum stupefactus, decrevit ad virum Dei statim pergere eique tam grande insuetumque miraculum patefacere; quod cum fecisset, beatus Vincentius: Abi, inquit, et Deo gratias age" (ib. p. 504).

33. S. Franciscus Xaverius quoque saeculo 16. maxime miraculorum charismate claruit. Linguarum dono non semel insignitus fuit, aquam marinam miraculo ad bibendum aptam reddidit, infirmos miraculose sanavit, mortuos resuscitavit. Ex miraculis, quae Bulla canonizationis refert, duo hic apponere sufficit: „Puer quidam in orientali India pestilenti febre vita sublatus ac linteo insutus de more gentis viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulchrum; quos ut vir Dei vidit, misericordia motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivifi-

caret, genibus flexis precatus est; atque aqua benedicta aspersum, rescisso linteo, signo crucis signavit apprehensaque manu eius in nomine Domini nostri Iesu Christi vivum atque incolumem parentibus restituit; erecta illo in loco ad tantae rei memoriam conservandam ab incolis magna cum celebritate cruce. — Apud oppidum Combuturae in ora Piscariae puer alius in puteum delapsus suffocatusque, maximo cum matris et cognotarum eiulatu efferebatur; cumque ex proxima ecclesia Franciscus occurrisset, misertus eorum in genua provolutus oculisque in coelum fixis, Deum pro vita pueri precatus, eum apprehensa manu in nomine Domini Iesu Christi surgere iussit et confestim puer surrexit vivus: quem sanctus vir reddidit matri suae stupentibus omnibus ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus; quibus ipse praecepit, ne cui rem gestam narrarent."

Ex saeculo 19. mentionem specialem merentur miracula 34.
plura in sanctuario B. M. V. in urbe Lourdes erecto vel per invocationem B. V. sub nomine N. D. de Lourdes vel per usum aquae in sanctuario illo scaturientis patrata. E multis unum hic referre liceat. Die 16. Februarii anni 1867. pauper agricola Belga, Petrus de Rudder ex Abbeke Flandriae vico oriundus in gravé infortunium incidit. Cum scilicet duos iuvenes in arbore caesa movenda iuvare vellet, ab arbore subito laxata et relabente concussus est eiusque crus sinistrum confractum. Medici plures, quorum curae pauper ille homo traditus est, per plures annos eum curare frustra tentaverunt. Vulnera duo purulenta cum fractura connexa crus afficiebant atque ossa cruris loco fracturae ab invicem distantia conspiciebantur; quare pes inde a fractura sicuti perpendiculum hinc inde moveri imo circumtorqueri poterat. Ex medicorum sententia morbus incurabilis erat nihilque restabat, nisi ut crus amputaretur; quod cum pauperculus permittere plane nollet, initio anni 1875 ipsum sibi medici reliquerunt atque eius curationi renuntiarunt. Iam cum idem Petrus de Rudder, vir rectus et pius, ab hominum arte derelictus esset, ad coeleste auxilium con-

fugit. Eodem anno die 7. Aprilis magno cum labore et dolore peregrinationem ad sanctuarium B. M. V. de Lourdes in Oostacker, Flandriae oppido, erectum suscepit atque ibi; cum fulcro innixus atque ab uxore sustentatus tertia vice sanctuarii antrum orans circumiret, subito perfecte sanatus est adeo, ut ab illo momento, sicuti ante suum infortunium ambulare et laborare sine ulla difficultate posset; ex infirmitate vero nihil plane relictum est, nisi duorum illorum vulnerum cicatrices. Abhinc per viginti tres annos ultra Petrus de Rudder fideliter orans et laborans vitam protraxit. Denique cum gratiarum agendarum causa quadringentesimam peregrinationem ad sanctuarium supradictum instituturus erat, in pulmonum morbum indicit atque pie in Domino obdormivit die 22. Martii 1898 (Cf. Guérison subite d'une fracture par *L. V. Hoestenberge,* docteur en médecine, *E. Royer,* docteur en médecine, *A. Deschamps S. J.*, docteur en médecine et en scienses naturelles. Bruxelles Lagaert. 1900. Stimmen aus M.-Laach, 1900 I. p. 113 ss. Boissarie, Die großen Heilungen von Lourdes. 1901; Bertrin, Histoire critique des evénéments de Lourdes: Z. f. k. Th. 1908. p. 416 ss.).

35 b) Quae adducta sunt miracula, ea certitudine historica insignita sunt, qua multi eventus carent, qui ab omnibus tamquam historice plane certi habentur. De qua re facile quisque sibi certam persuasionem acquiret, qui ipsos fontes, unde desumpta sunt, sincere consulere velit. Quare pauca hic animadvertere sufficiet.

Primo, qui S. Bernardi miracula scripta posteritati reliquerunt, eiusdem Sancti coaevi et plerumque eventuum quos referunt, testes oculati fuerunt atque secus quoque fide prorsus digni esse apparent. Gaufridus in praefatione ad suam vitae S. Bernardi historiam haec animadvertit: „Circa ea potissimum sermo noster versatur, quibus pene omnibus adfui: interdum etiam licet pauca interserens, quae fidelissima fratrum, qui aderant, relatione cognovi" (Vitae l. 3). Alter autem testis oculatus, Philippus item monachus Claraevallensis in libro sexto vitae Bernardi,

cuius partim auctor est, ita eloquitur: „Qui praesentes fuimus, dignum duximus annotare ea (miracula) vitandae gratia confusionis, et dubitationis abigendae. Singulorum enim praescripsimus nomina; et singuli quod vidimus et audivimus, certa veritate testamur. Eramus autem cum eo ego, Hermannus Constantiensis episcopus, et Eberhardus capellanus eius: abbates duo, Balduinus et Frowinus; monachi quoque duo, Gerardus et Gaufridus; clerici tres, Philippus Leodiensis archidiaconus, Otto et Franco; quibus additus est in ipso itinere Alexander Coloniensis“ (p. 1 c. 1). Ceterum historicam S. Bernardi miraculorum veritatem egregie vindicavit *B. Hüffer* in dissertatione: Die Wunder des hl. Bernhard und ihre Kritiker, in Histor. Jahrbuch der Görresges., 10. Bd., S. 748 ff. Cf. Acta SS. die 20. Augusti.

36. Neque de miraculis S. Vincentii quod historicam eorum veritatem attinet, merito dubitari potest. Quatuor enim actiones iudiciales mandante Nicolao V. de vita et miraculis Vincentii institutae sunt Avenione, Venetis, Tolosae et Neapoli, in quibus locis Vincentius diutius degerat. In his autem actionibus testes auditi sunt in civitate Neapolitana viginti octo, in Avenionensi et circumvicinis partibus decem et octo, in regno Franciae videlicet Tolosae quadraginta octo, in Britannia vero trecenti et decem“ (*Acta SS.* 5. April. p. 524). Actis autem illarum causarum usus est Petrus Ranzanus, Vincentii biographus (Cf. ibid.).

37. Inprimis S. F. Xaverii quoque miracula historice extra omnem dubitationem posita sunt. Etenim iubente Ioanne III. Lusitaniae rege in totam huius Sancti in Indiis commorationem diligentissima inquisitio a viris laicis et ecclesiasticis instituta est. Qua inquisitione omni cum cura absoluta relatio historica per proregem confecta et ad regem missa et per ipsum regem ad Summum Pontificem translata est; qua relatione deinde historiographi S. Xaverii usi sunt, ut Tursellinus, qui ita hac de re testatur: „Exstat apud nos regiarum tabularum exemplum, rite obsignatum subscriptumque proregis manu, unde sunt ea, quae adhuc exposuimus quaeque deinceps exposituri sumus, magna ex parte

deprompta" (Vita Fr. Xaverii l. 6. c. 1). — Ceterum, quam certa sint historice miracula S. Xaverii, clare ex eorum inanitate quoque apparet, quae adversarii contra obiiciunt. Etenim opponunt primo, quod vir sanctus in crebris epistolis, quas scripsit, de miraculis a se patratis nullam mentionem faciat; secundo, quod socii quoque et coaetanei Xaverii de miraculis eius altum silentium teneant; tertio, quod dono linguarum caruisse ideo dicendus sit, quia, ut ipse in epistolis variis testatur, diligentissime linguarum studio incubuit; quarto, quod fides miraculorum Xaverii paulatim orta et evoluta sit, quod proprium est fabularum historicarum. Ita *André Dikson White*, professor in universitate Ithacensi in Statibus Unitis in libro: Geschichte des Streites zwischen Wissenschaft und Theologie. — Absone scilicet haec obiiciuntur. Primum enim, quod opponitur, inde intelligitur, quod Xaverius, quam studiosus Parisiis fuit gloriae et honoris, tanto postea studio humilitatem sectatus est. Quare aliquandō interrogatus, num revera mortuum suscitaverit, responsum declinavit (*Orlandini*, Hist. Soc. Iesu l. 8. n. 29). Ceterum si ratio obiecta quidquam valeret, S. Petri quoque miracula neganda forent, quippe qui nihil de miraculis a se patratis in suis epistolis refert. Quod alteram rationem obiectam attinet, historice falsum est, socios et coaetaneos Xaverii nihil de miraculis ab ipso patratis retulisse. Scilicet de iis referunt socii et coaetanei in Indiis degentes Gaspar Barzeus, Franciscus Perez, Ioannes Vaz, Balthasar Nunnez, Fernandez Mendez Pinto, quorum testimonia exstant in opere: Selectae Indiarum epistolae nunc primum editae, Florentiae 1887 (Cf. *Cros S. I.* S. François Xavier. A. Brou, S. François Xaver 1912). Testatur etiam clare de eadem re *E. Acosta* in opere ‚de promovenda salute Iudorum' c. 16. p. 226; quod testimonium fallaciter suppressit White: „Tot et tanta a Francisco Xaverio miracula patrata a testibus oculatis referuntur, ut pauci alii, si Apostoli excipiuntur, maiora prodigia patraverint." Aeque inanis est tertia obiectio. Etenim quod paulatim tantum miraculorum Xaverii notitia divulgata est,

et in diversis quóque relationibus paulatim plura miracula apparent, nullatenus evolutionem fabulae arguit, sed ex documentis progrediente tempore auctis et ex communicatione inter Europam et Indiam eo tempore adhuc impedita commode omnino explicatur. Ceterum causa canonizationis peracta notitia miraculorum a Xaverio patratorum iam non crevit. Denique neque quarta obiectio quidquam valet. Etenim in actis canonizationis solum affirmatur, S. Xaverium bis vel ter dono linguarum insignitum fuisse. Id vero sane nullo modo cum studio et labore pugnat, quae sanctus vir in addiscendis linguis abhibuit. Ceterum haec ipsa obiectio iam occasione causae canonizationis a Picenio facta est et a Cardinali Gotti eadem ratione, qua hic, soluta (Cf. *Benedictus XIV.* opera omnia tom. 3. p. 250.; *Gotti* de vera ecclesia t. 1. c. 2. § 4. n. 44). Quae breviter hic de miraculis Xaverii notata sunt, fusius exponuntur in egregia dissertatione, quae exstat in analectis Bollandianis T. 16. p. 52 ss.

38. Tandem neque de historica certitudine miraculosae sanationis Petri de Rudder supra relatae ullum dubium rationabiliter moveri potest. Etenim triplex accurata in eventum inquisitio instituta est. Primam mandante Ill. Faict, episcopo Brugensi, statim post subitam sanationem fecit Dr. Van Hoestenberge atque investigationis relationem ad eundem episcopum misit; altera d. 18. et 19. Ianuarii 1893 instituta est a Dr. Royer atque relatio eius invenitur in periodico „Notre Dame de Lourdes" fasc. Maii, Iunii, Iulii, Augusti 1893. Tertiam denique post mortem Petri de R. instituit Dr. Deschamps assistente J. Van Hoestenberge, Doctoris supradicti filio; scilicet cadaver effosum est, crura amputata sunt atque diligentissime examinata. Relatio inquisitionis factae pluribus crurium et ipsius viri sanati phototypiis illustrata in libello supradicto invenitur. Quae tres relationes a medicis factae perfecte consonant et testimonis multis personarum tum privatarum tum publicarum irrefragabilibus et ab omni falsitatis suspicione alienis confirmantur Dubitari potest an cuiuspiam alterius facti histo-

rici veritas magis extra omnem dubitationem posita esse appareat. Conferatur libellus supradictus a medicis tribus, qui investigationem instituerunt, simul editus.

39. Ceterum superfluum est, diutius in probanda particularium miraculorum veritate historica immorari; sufficit enim iterum ad causas beatificationis et canonizationis, quae Romae aguntur, fidenter provocare, ut innumerorum fere miraculorum veritas historica supra omne dubium rationabile elevata esse conspiciatur. Scilicet S. Sedes Romana, quae iam ex pluribus saeculis servorum Dei beatificationem et canonizationem sibi penitus reservavit, ad beatificationem alicuius servi Dei non procedit, priusquam de duobus miraculis invocatione eiusdem mortui patratis certo omnino constet; atque duo iterum alia miracula post mortem patrata requiruntur, ut ad canonizationem procedi possit. Iamvero in causis illis imprimis in veritatem historicam miraculorum, quae referuntur, severissime et accuratissime secundum certas regulas inquiritur, quas refert et explicat *Benedictus XIV.* in opere de beatificatione et canonizatione servorum Dei. Quicunque illas regulas legerit et attente consideravit, non potest non certus esse, illa ratione historicam miraculorum veritatem sine periculo erroris certo stabiliri. Neque ullus unquam historiographus magis caute et accurate in investigationibus suis procedere potest. Qui igitur veritatis sincerus amator est neque omnem certitudinem historicam reiicere audet, necessario fateri debet de veritate historica innumerorum fere miraculorum certissime constare (Cf. *Benedict. XIV.* op. cit. l. 2 cc. 49 aliaque).

40. c) Denique de veritate philosophica miraculorum supra relatorum non est, cur multa dicantur; pauca quaedam adnotasse sufficiet. Scilicet:

Primo indoles supernaturalis illorum eventuum continuo elucet, si ea prae oculis habeantur, quae supra (q. 5.) de natura miraculorum disputata sunt. Etenim de subitis sanationibus morborum organicorum, de conversionibus substantialibus solo imperio factis, de suscitationibus mortuorum

similibusque eventibus agitur, qui vires creatas omnes manifesto excedere demonstrati sunt.

Praeterea quod attinet speciatim instantaneam sanati- 41.
onem Petri de Rudder supra relatam, ea a tribus medicis circa indolem suam miraculosam quoque accuratissime investigata est eo effectu, ut naturalis eiusdem explicatio quaevis prorsus exclusa appareat. Scilicet triplici gradu medici illi hanc demonstrationem absolvunt. Ostendunt primo, quamlibet naturalem fracturae ossis curationem etiam forte per suggestionem factam certam temporis extensionem postulare; secundo quamlibet talem sanationem trium saltem hebdomadarum tempore indigere; tertio principia haec demonstrata ad miram illam supra relatam sanationem applicant. In decursu vero demonstrationis omnis per suggestionem curatio inde quoque exclusa apparet, quia ex una parte morbus erat organicus a causa externa productus et quia ex altera parte Petrus de Rudder omni vestigio nervosae excitationis vel hystericae indolis prorsus carebat. Conferatur ipse libellus supra laudatus.

Deinde de philosophica miraculorum S. Xaverii in- 42
numerorumque aliorum veritate inde praesertim certissime constat, quia in causis beatificationis et canonizationis examinata et approbata sunt. Haec autem investigatio et approbatio regulariter plenam certitudinem praebere facile perspicitur. In illis enim causis non solum historica sed philosophica quoque miraculorum veritas accuratissime examinatur. Scilicet in iisdem non solum theologi, sed etiam scientiarium naturalium periti et medici interveniunt atque muneribus funguntur. Neque igitur timendum est, ne ex ignorantia scientiarum et virum naturalium aliqui eventus falso ut miracula iactentur, praesertim quia tam severe in eo examine proceditur, ut nullus unquam eventus inter miracula computetur, cuius indoles supernaturalis non sit absque omni dubio certa. Quod evidenter constat, si eae regulae a Benedicto XIV. in laudato opere relatae et expositae considerentur, secundum quas vera miracula praeter naturam, in quibus dignoscendis maior difficultas est, ab

effectibus naturalibus apparenter tantum miraculosis secure quandoque et certo dignoscantur. Secundum has regulas, qui eventus extraordinarii nunc ut effectus naturales cognoscuntur, ut in certis adiunctis longum ieiunium, integritas cadaveris diutius conservata, certae quaedam subitae sanationes, neque tunc ut miracula considerabantur, sed secundum diversa adiuncta diversimode diiudicabantur et sub certis quibusdam tantum adiunctis ut vera miracula habebantur. Cuius rei praeclarum documentum praebent, quae *Benedictus XIV.* de virtute imaginationis vel phantasiae disputat; etenim quae nunc curationes extraordinariae aegrotorum per suggestionem explicari saepe solent, easdem fere ille phantasiae virtuti vel imaginationis influxui tribuit (Cf. op. cit. l. 4. p. 1. c. 31). Generatim, quam accuratissime in illis causis, quod praesertim miraculorum recognitionem attinet, Romae procedant, ipse *Benedictus XIV* ibidem exemplo quodam memorabili illustrat: „De qua (sc. diligentissima illa S. Sedis indagine)" liceat hinc inserere narrationem Patris Daubenton arcto nobis amicitiae vinculo coniuncti, dum Romae morabatur, et Postulator erat causae S. Ioannis Francisci Regis. Haec enim habet lib. 6. p. 334. in vita eiusdem Beati ab ipso gallice conscripta edit. Paris. an. 1716: ‚Huic (loquitur de nobili Anglo Haeretico) quidam e Romanae Curiae Proceribus, quos Praelatos vulgo vocant, veteri amicitia cum illo iunctus, legenda praebuit Acta, in quibus complura miracula idoneis fulta probationibus erant perscripta. Legit Haereticus attente, nec sine voluptate, mox libellum amico reddens, egregiam sane, inquit, ac plane certam probandi miracula rationem. Si omnium, quae ab Ecclesia Romana praedicantur, veritas tam certis, tam authenticis nixa fundamentis esset, nihil causae diceremus, quin iis omnibus assentiremur, eoque pacto effugeretis ludibria et locos, quibus vestra illa, quae venditis, miracula cavillamur. Atqui scito, respondit Praelatus, ex istis, quae tibi tam probe videntur fundata, miraculis nullum a Sacra Rituum Congregatione approbatum fuisse, quoniam non satis probata sunt visa. Calvinianus inex-

spectato responso attonitus fateri non dubitavit, neminem nisi perversa et coeca praeventum opinione posse prudentiam et aequitatem Romanae Sedis in Sanctis coelitum numero adscribendis desiderare, nec sibi unquam venisse in mentem suspicari tantam cautionem et diligentiam ab ea in examinandis eorum miraculis adhiberi potuisse. Itaque rationabiliter de philosophica miraculorum in illis causis approbatorum veritate dubitari non potest, sed plane securitate atque certitudine tamquam vere admittuntur.

43. Denique haereticorum et incredulorum obiectio, miraculis, quae in Ecclesia continuo fiunt, indolem supernaturalem deesse, sola quaestione evertitur, cur itaque in sola Ecclesia ipsis fatentibus illa phaenomena extraordinaria contingant. Ad rem *Cardinalis Pallavicinius;* „Haeretici, cum argumento miraculorum se obrui cernant, asserunt, miracula nostra vel esse deliria somniantium vel figmenta decipere volentium. Ad hoc repono, et rogo unamquamque Christianorum sectam; cur non et aliae sectae, quas a me rogata secta impugnat ut commentitias; imo cur non et Iudaei et Mahometani similia finxerunt; et tam affabre quidem ac sollerter, ut non solum a plebeiis, sed etiam a sapientissimis hominibus ex omni natione, quae sub coelo est, multorum saeculorum decursu, pro veris habita et credita fuerint? cur soli Catholici tanta vafritie stropham hanc adornarunt et adornare potuerunt, ut universo mundo imponerent. Certum est apud haereticos, prophetas roborasse prophetias suas miraculis, Christum per miracula convertisse primitias Ecclesiae, eundem promisisse discipulis suis, quod maiora facturi essent miracula, quam ipse fecisset; quod viri apostolici reipsa, quatuor saeculorum a Christo nato intervallo miracula operati fuerint. Et dicemus a quinto christiano saeculo fontem miraculorum penitus exaruisse, potentiam et misericordiam Dei erga humanum genus exhaustam esse? Quis credat? Quis ad istiusmodi blasphemias non exhorrescat? Quodsi vena miraculorum adhuc fluat, in qua religione fluit? Certe non in illis sectis, quarum asseclae profecti in novum orbem, non iactant se, quod

ediderint vel unicum miraculum in locis, ubi maxima requirebantur ad convertendos gentiles ad convertendos gentiles ab idololatria ad Christum, cum potius licentia ac improbitate morum non paucos a S. Petro traduxerint ad Calvinum. Manet igitur, quod iste fons effundat aquas suas duntaxat per siphones Catholicorum, qui harum beneficio copiosam hactenus messem areae Dominicae collegerunt, et usque ad orbis consummationem colligunt" (De arte perfectionis christianae l. 1. c. 16).

Assertio secunda: Miraculorum charisma in Ecclesia perseverans divinae eiusdem indolis manifestum argumentum est.

44. Haec assertio fere per se est manifesta et imprimis suppositis iis quae per decursum huius tractatus de miraculorum ratione evoluta sunt, continuo intelligitur; quare ad maiorem rei illustrationem pauca argumenta subiicere satis erit: itaque:

45. *1. Probatur ex eo, quod per miraculorum charisma in Ecclesia perseverans vaticinium Christi continuo expletur.* — Scilicet Christus non semel praedixit, Ecclesiam suam illo miraculorum charismate perpetuo insignitam fore: *„Signa autem eos, qui crediderint haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent et bene habebunt"* (Marc. 16, 17. 18). *„Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet et maiora horum faciet"* (Ioh. 14, 12). Etenim promissiones istae, quia fidei credentium simpliciter connectuntur neque ad ullum tempus restringuntur, tamdiu in aliquibus saltem ex credentibus implendae sunt, quamdiu fides vel Ecclesia perseverat. Iamvero Ecclesia vel fides, cui institutor suus perpetuum miraculorum donum promittit atque confert, manifesto divinam indolem prae se fert; hoc enim miraculorum donum naturaliter nec praevideri nec conferri potest. Ergo Ecclesia catholica miraculorum charismate, ut est prophetia impleta, tamquam sigillo divino insignita est.

2. Ex miraculorum charismate in se inspecto. — Ni- 46.
mirum Ecclesia ab existentiae suae initio per totam suam durationem ad miracula tamquam sigillum sibi divinitus impressum continuo provocavit. Quod patet imprimis ex apologetis antiquis et recentibus; hi enim communiter in miraculorum charismate unum ex praecipuis praesidiis ad demonstrandam et defendendam Ecclesiae veritatem et divinitatem conspexerunt; deinde martyres quoque ad commendandam fidem, pro qua crudelem mortem subierunt, ad miracula in eius favorem patrata provocarunt; praeterea ipsi thaumaturgi christiani se ad fidem catholicam confirmandam miracula operari expressis saepe verbis contestati sunt; ita *Bernardus*, qui non obscure innuit, se ad Tolosanos in fide confirmandos miracula patrasse: „Gratias egimus Deo, quia non fuit otiosus adventus noster ad vos. Veritate nimirum per nos manifestata, manifestata autem non solum in sermone, sed etiam in virtute deprehensi sunt lupi" (Ep. 242. n. 1.); et *S. Vincentius Ferrerius* similiter satis aperte ad miracula alludit, quibus Dominus fidem catholicam, quam haereticis praedicabat, efficaciter confirmaverit: „Et omnes per Dei misericordiam ardentissime et cum magno devotionis affectu ac reverentia veritatem fidei susceperunt, Domino quippe cooperante et sermonem confirmante" (Litt. a. 1403 ad Generalem ordin. datis). Denique ipsum magisterum authenticum ad eadem miracula tamquam signa certissima divinae Ecclesiae originis et indolis non semel provocavit, ut in *Concilio Vaticano* (Cap. 3. de fide). Atqui Deus nullo modo miracula patrare potest in falsae religionis favorem, praesertim si haec ad eadem tamquam divinae approbationis sigillum provocet. Etsi igitur in Ecclesia catholica miracula plura immediate ad sanctitatem servorum Dei contestandam fiant, semper tamen simul divina veritatis catholicae attestatio sunt. Et sane nequit divinitus commendari sanctitas alicuius hominis, quin religio, cuius professione theoretica et practica sanctus evasit, simul commendetur.

47. *3. Argumentum quoque ex daemonum expulsione speciatim petitum singulari vi pollet.* — Cuius argumenti rationem et momentum bene exponit *Hurter* in dissertatione iam supra adducta: „Consequitur . . . imprimis existere daemones, spiritus nimirum nequam, Deo rebelles, inimicos naturae humanae, quorum proprium est saluti insidiari hominum, quod fidei christianae dogma passim iam deridetur, sibilis exploditur, fabulis accensetur anilibus; nam quod omnino non est, tot tantisque verae fugae indiciis expelli nequit. Confirmatur deinde historiae evangelicae veritas, cum et sequentibus saeculis eadem plane contigisse videmus, quae Christi nutu in evangeliis patrata narrantur. Nonne etiam hoc facto luculenter adimpleta Salvatoris conspicimus verba: ‚*Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*' (Ioan. 12, 31); vel verba Apostoli gentium: ‚*Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium et infeznorum*' (Philip. 2, 9. 10.)? Nonne Patres audivimus testantes daemones audito solum nomine Iesu terrore corripi, clamore egredi praecipitique se dare fugae sedes deserentes quas vi diu occupaverant? Promissis quoque suis stetit mundi Redemptor. Ascensurus enim in coelum iis qui crediderint pollicitus est: *In nomine meo daemonia eiicient* (Marc. 16, 17). Consequitur quinto, quod etiam Irenaeus (Haer. l. 2. c. 32. n. 4.) et Origines (adv. Cels. l. 1.) inferunt, Ecclesiam morte Apostolorum charismatis Sancti Spiritus destitutam non fuisse, sed eodem illo Spiritu, in quo Christus eiecit daemonia, esse repletam ac ditatam, proindeque templum esse Spiritus Sancti ac corpus Christi vivum. Cum autem vera Ecclesia semper esse debeat templum sancti Spiritus et corpus Christi vivum eodemque idcirco animari spiritu quo caput, coetus ille vera erit ecclesia, qui hoc sibi adiudicat charisma eoque revera fruitur; qui vero eo privatur illudque sibi vel vindicare non audet aut ne tanti quidem facit, ut illud sibi tribuere etiam aspernetur, titulo verae ecclesiae se exuat. Quare tam in quaestione theoretica de notis verae ecclesiae, quam in quaestione

practica, quinam inter tot coetus, qui Christi nomine gloriantur, vera censeri debeat Christi ecclesia, huius quoque charismatis ratio haberi posset. Consequitur sexto . . . . doctrinam illius, cuius vel nomen solum adeo est potens, ut ubique terrarum daemones terreat, cruciet, expellat, fuget, doctrinam esse divinitus revelatam, minime vero humanum sive inventum, sive figmentum. Merito proinde diximus daemones vel invitos testes esse originis divinae religionis Christi" (Diss. „Daemon vel invitus veritatis testis" opusc. 1).

Animadvertatur autem per transennam, non tantum in 48. Ecclesiae antiquitate daemonum obsessiones atque expulsiones contigisse, verum etiam ex recentiore aetate huius rei indubia exempla exstant. Etsi enim, quae a Görres in opere suo ‚Mystik' hac in re referuntur, plura parum critice collecta et demonstrata esse videantur, alia tamen facta e testibus fide plane dignis referuntur, quorum veritas historica negari nequit (Cf. Dictionnaire apologét., art. Possessions et Loudun; Möller, Leben und Briefe von J. Th. Laurent, 2. T. p. 237 ff.

Scholion.

S. Augustini expositio quaedam. — Cum S. Augustinus 49. aliquando contra demonstrationem ex miraculorum charismate petitam obiiciatur, praestat hoc argumentum concludere aliqua huius S. Doctoris expositione, qua ostendit, miraculis in Ecclesia factis eandem tamquam sigillo divinitus impresso insigniri; scilicet l. 22. c. 9. de civit. Dei declarat, „quod universa miracula, quae per Martyres in Christi nomine fiunt, ei fidei testimonium ferant, quae in Christum Martyres crediderunt." Itaque: „Cui, inquit, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua praedicatur Christus resurrexisse in carne, et in coelum adscendisse cum carne? Quia et ipsi Martyres huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum pertulerunt; eumque non repugnando sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mor-

tui sunt, qui haec a Domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt. Pro hac fide praecessit eorum mira patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur. Nam si carnis in aeternum resurrectio vel non praevenit in Christo, vel non ventura est, sicut praenuntiatur a Christo, vel sicut praenuntiata est a prophetis, a quibus praenuntiatus est Christus; cur et mortui (quare Martyres) tanta possunt, qui pro ea fide, qua haec resurrectio praedicatur, occisi sunt? Sive enim Deus ipse per se ipsum miro modo, quo res temporales operatur aeternus, sive per suos ministros ista faciat; et eadem ipsa, quae per ministros facit, sive quaedam faciat etiam per Martyrum spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos; sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, et incorporaliter imperat, operetur; ut quae per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum et impetrantibus, non etiam operantibus fiant; sive alia illis modis, qui nullo modo comprehendi a mortalibus possunt; ei tamen attestantur haec fidei, in qua carnis in aeternum resurrectio praedicatur."

Epilogus.

Cum iam in huius tractatus decursu diversis locis inter 1.
Ecclesiam catholicam ceterasque religiones, quod essentialia momenta attinet, comparatio instituta sit, supervacaneum est, argumentum quaestionis decimae principio promissae fusius evolvere. Priusquam autem operi finis imponatur, tria adhuc breviter praestanda sunt: primo demonstratio christiana exhibitam ad Ecclesiam catholicam applicatur; secundo summa totius demonstrationis factae verbis Pii IX. necnon S. Augustini exhibetur; tertio quanta sit catholicae veritatis certitudo explicatur.

I. Demonstrationes institutae ad Ecclesiam catholicam summatim applicantur.

Demonstrationes diversae supra factae communiter qui- 2.
dem simul ad Ecclesiam catholicam applicatae sunt; praestat autem easdem sub hoc respectu collectas uno quasi conspectu exhibere.

1. Argumentum ex doctrina Christi. -- Cum ex doctrina Christi divina eius legatio demonstretur, eodem hoc argumento sane eius coetus christiani veritas simul evincitur, qui eandem Christi doctrinam integram atque intemeratam conservavit. Atqui sola Ecclesia catholica integram doctrinam Christi dogmaticam et moralem omniave salutis instituta illaesa conservavit; sectae vero diversae eandem doctrinam eademque instituta adeo violarunt et mutilarunt, ut vel ipsa fundamenta religionis Christi magnam partem iam amiserint nec pleraeque nomen coetuum christianorum iam mereantur. Schismaticorum quoque Orientalium coetus doctrinam Christi in fundamento mutilavit neque ea ratione et efficacia eandem doctrinam prae-

tice profitetur, qua innumeri quavis aetate in Ecclesia catholica facere solent. Ergo argumento ex doctrina Christi petito catholicae Ecclesiae divina origo et indoles demonstratur. Cf. thes. 38.

3. 2. *Argumentum ex prophetiis novi Testamenti.* — In sola Ecclesia catholica continuo egregie adimpleta cernuntur vaticinia Christi aliarumque sacrarum sive V. sive N. F. personarum. Quod facile patet, si considerentur praedictiones de persecutionibus ab ecclesia Christi eiusque asseclis continuo sustinendis, de mysterio amoris et odii, de caritate heroica exercenda, de veneratione Beatissimae Virginis, de rapida propagatione religionis christianae aliaeque plures. In coetibus autem haereticis eaedem prophetiae vel omnino non, vel non omnes nec eo splendore adimpletae sunt. Cf. thes. 41.

4. 3. *Argumentum ex rapidissima religionis christianae propagatione.* — Sola item Ecclesia catholica, per gentilium conversionem propagata est atque continua incrementa cepit. Sectae vero diversae per defectionem ab Ecclesia ortae sunt atque vi et fraudibus propagatae; apud Gentiles autem missiones vel non habent, vel si habent, non multorum gentilium conversione augentur, cum tamen corrupta doctrina christiana potissima eius officia et onera aboleverint neque gentiles barbaros intrinsecus reformare valeant. Cf. thes. 43.

5. 4. *Argumentum ex religionis christianae conservatione.* — Denuo sola Ecclesia catholica per viginti fere saecula invicta et vegeta permansit mediis in bellis et procellis, quae ipsi sustinenda erant. Econtra sectae recentius ortae sunt: protectione principum vel civilis potestatis adiumento aliisque mediis humanis per aliquod tempus solum et ut nationalia potius quam religiosa instituta conservantur, paulatim languent et denique penitus collabuntur et dissolvuntur; cuius ruinae nostra aetate manifestum exemplum Protestantismus praebet. Cf. thes. 45.

6. 5. *Argumentum ex fructibus in ordine morali productis.* — Iterum Ecclesia catholica quavis aetate alias atque alias

nationes barbaras ad mores humanos et christianos atque homines multos ad vitam perfectam atque coelestem fere promovit; exempla praebent recentiore aetate ecclesiae Paraquensis, Iaponica, Africana aliaeque. Econtra Ps. Reformatores saeculi 16. ipsi non semel conquesti sunt, quod annuntiato et propagato evangelio (sc. suo) homines multo peiores evaserint surpissimisque vitiis se dederint. Revera qui ab Ecclesia ad sectas deficiunt, nunquam moribus reformantur, cum Protestantes ad Ecclesiam conversi saepe serio virtutis et sanctitatis studio excelluerint. Denique qui ex Gentilismo ad Protestantismum convertuntur, saepe vel plerumque christianae religionis nihil nisi baptismum et Biblia atque haec corrupta habent. Cf. thes. 44.

6. *Argumentum ex martyrii christiani spectaculo.* — 7. Denuo in sola Ecclesia catholica egregium hoc sanguinis testimonium tamquam perenne quasi supernaturalis eiusdem indolis sigillum invenitur. Etenim in coetibus haereticis paucissimi tantum inveniuntur, qui sanguine suo, effuso de fide sua testati sint; et qui inveniuntur, eorum testimonium cruentum neque a longe, sive ipsa tormenta, sive adiuncta mortis, sive modus eam perferendi, sive ipsorum horum testium sensa et affectus, sive vitae eorundem integritas, sive sapientia eorum considerantur, illam indolem supernaturalem prae se fert, qua martyrium innumerorum illorum catholicorum investitum apparet. Cf. thes. 42.

7. *Argumentum ex Sanctorum charismate.* — Hoc quo- 8. que insigni sola Ecclesia catholica resplendet. Etsi enim in sectis diversis viri bonae fidei, probi, virtutis studiosi inveniantur; charisma tale supernaturalis sanctitatis, heroicae virtutis, coelestis sapientiae nusquam alias quam in Ecclesia catholica invenitur; in ea sola coelestis virtus virginalis castitatis, quae homines debiles et in voluptatem proni angelicam vitam sectantur, caritas herorica, qua tenerae virgines, iuvenes, viri, integri ordines se totos atque omnia bona sua totamque vitam suam redemptioni captivorum, curae leprosorum aliorumque miserorum impendunt, admi-

rantium oculis spectatorum continuo se offerunt. Quod sectae hac in re Ecclesiae quasi invidentes praestant, longe inferius est. Cum v. g. in toto mundo c. 9000 (1901) diaconissae protestantes exstant, in sola Francogallia 130.000 sanctimoniales inveniuntur, quae pleraequae caritatis operibus totam suam vitam devoverunt. Cf. thes. 47. 1. p.

9. 8. *Argumentum ex miraculorum charismate.* — Denique miraculorum quoque insigne charisma solam Ecclesiam catholicam continuo exornat. Haeretici enim ipsi plerique hoc charisma suis sectis non vindicant; imo recentiorum maior pars miracula omnia praefracte et inepte reiiciunt ita, ut vel ex ipsa Scriptura omnia prorsus expungant. Quae vero apud schismaticos iactantur patrata esse miracula, aut fraudibus sive erori debent originem, aut vero, si forte, quod improbabile est, verum aliquando miraculum contigit, id non in confirmationem schismatis, sed in alium finem honestum patratum esse, facile intelligi poterit. Multo minus etiam coetus schismaticus continua miraculorum serie tamquam coelesti insigni gloriari potest. Cf. Ottiger, II., p. 985 ss. Cf. thes. 47. 2. p.

Ex hac brevi demonstrationis christianae ad ecclesiam catholicam applicatione intelligitur, quam vere concilium Vaticanum (sess. 3. c. 3.) doceat: „Ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita.“ (Denz. 1794).

II. Summa totius demonstrationis christianae vel catholicae S. P. Pii IX. et S. Augustini verbis resumitur.

10. 1. *Verba Pii IX.* — Quae in hoc tractatu fusius evoluta sunt, ut commentarius fere considerari possunt eorum, quae in Encyclica „Qui pluribus“ d. 8. Nov. 1846 data eloquitur *S. P. Pius IX.*, de doctrina revelata et theologica tam bene meritus, ut nemo fere magis:

„Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem et omne

dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse (Chrys. Hom. 1. in Is.), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix ac virtutum foecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cuiusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcunque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi iugo subiecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cuiusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum eiusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abiecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cuia pro certo habeat, a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit." (Denz. 1638, 39).

2. Expositio S. Augustini. — Pulcherrime *S. Augustinus* 11. quoque compendio contractam summam rei proponit:

„Quem non moveat ad credendum tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, et ipsa connexio temporum, praeteritis fidem de praesentibus faciens, priora posterioribus et recentioribus antiqua confirmans? Eligitur unus ex

gente Chaldaeorum, pietate fidelissima praeditus, cui promissa divina post tantam saeculorum seriem novissimis temporibus complenda prodantur, atque in eius semine omnes gentes habiturae benedictionem praenuntiantur (Gen. XII. 2). Hic unum verum Deum colens universitatis creatorem, gignit filium senex, de coniuge quam spe pariendi penitus destitutam sterilitas aetasque iam fecerat. Propagatur ex illo numerosissimus populus, multiplicatus in Aegypto, quo illam stirpem ex orientalibus partibus promissis effectisque crebrescens dispositio divina transmiserat. Educitur ex Aegypti servitute gens valida, horrendis signis atque miraculis; pulsisque impiis gentibus, in terram promissionis perducta et constituta, regno etiam sublimatur. Deinde, praevalescente peccato, sacrilegis ausibus Deum verum, qui eis tanta beneficia contulerat, saepissime offendens, variisque flagellata cladibus, et prosperitatibus consolata, usque ad Christi incarnationem declarationemque perducitur. Quem Christum, Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, moriturum, resurrecturum, in coelum ascensurum, praepollentissimo suo nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum, inque illo remissionem peccatorum, salutemque aeternam futuram esse credentibus, omnia gentis illius promissa, omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum, et cuncta omnino sacramenta sonuerunt.

12. „Venit et Christus. Complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia praeconia Prophetarum (Matth. I. 25). Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo congregatos (Act. II. 2), et hoc ipsum promissum orando atque desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto, loquuntur, repente linguis omnium gentium, arguunt fideliter errores, praedicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praeteritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur. Praedicationem pietatis veraeque religionis signa congruentia et miracula consequuntur. Excitatur adversus eos saeva infidelitas; tolerant praedicta, sperant promissa, docent praecepta. Numero exigui per mundum dissemi-

nantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis, ex abiectissimis, ex paucissimis illuminantur, nobilitantur, multiplicantur praeclarissima ingenia, cultissima eloquia; mirabilesque peritias acutorum, facundorum atque doctorum subiugant Christo, et ad praedicandam viam pietatis salutisque convertunt. Alternis adversitatibus et prosperitatibus rerum patientiam et temperantiam vigilanter exercent: mundo declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protestante, multo fidentius, quia et hoc praedictum est, aeternam civitatis caelestis felicitatem expectant. Atque inter haec omnia, contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: evincit illa patiendo et inconcussam fidem inter obsistentium saevitiam profitendo. Revelatae veritatis, quae diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia quibus hoc figurabatur templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per infidelitatem gens ipsa Iudaeorum, a sedibus extirpata, per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, ac sic prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus, a nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur; ubi etiam ipsos praedictum est non fuisse credituros. Templa et simulacra daemonum, ritusque sacrilegi paulatim atque alternatim secundum praedicta prophetica subvertuntur. Haereses adversus nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctae religionis, sicut praenuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia sicut leguntur praedicta, ita cernuntur impleta, atque ex his iam tot et tantis quae restant expectantur implenda.

„Quae tandem mens avida aeternitatis, vitaeque praesentis brevitate, permota, contra huius divinae auctoritatis lumen culmenque contendat? Quae disputationes, quae litterae quorumlibet philosophorum, quae leges quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus dicit totam Legem Prophetasque pendere, ullo modo sint compa- 13.

randae: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tamquam teipsum?* Matth. XX. 37, 39. Hic Physica, quoniam omnes omnium naturarum causae in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea quae diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, h. e. Deus et proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animae rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicae salus. Neque enim conditur et custoditur optime civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmaeque concordiae, cum bonum commune diligitur, quod summum et verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissime se diligunt homines, cum propter illum se diligunt, cui quo animo diligant occultare non possunt.

14. „Modus autem ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis! Ea quae aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: ea vero, quae in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promtis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodam modo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter et prava corriguntur, et parva nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinae inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit aegrotando medicinam." (Ep. 137. ad Volusian.).

III. Quanta sit veritatis catholicae certitudo.

15. Qui omnia argumenta ad demonstrationem christianam vel catholicam instituendam supra facta quieta mente atque accurate consideret, rationabiliter dubitare non potest, quin veritas religionis christianae vel Ecclesiae catholicae sit ab-

solute certa. Argumenta enim tam efficacia sunt, tam clara, tam rei accommodata, ut cuivis menti sincerae, a praeiudiciis inveteratisque erroribus liberae, veritatis amicae veritatem indubia luce manifestent atque plenam persuasionem praebant. Luculenter igitur per eadem illud obtinetur, quod Apostolus praescribit, ut scilicet rationabile sit obsequium fidei nostrae.

Iam ponatur tamen per absurdum, non obstante hac tot atque tam splendidorum argumentorum luce religionem christianam vel Ecclesiam nihilominus non veram sed falsam esse. Profecto talis hypothesis tum absurda apparet, quia contra sanam rationem et omnem veram philosophiam procedit, tum impia simul est, quia sapientiae et bonitati divinae manifesto opponitur. Si videlicet religio catholica non sit vera, tum audacter affirmari possit, nullam esse veritatem, nullam certitudinem imprimis religiosam; tunc victae manus dandae essent scepticismo universali, imprimis autem religioso. Quid enim est veritas, quid certitudo, et quomodo a nobis acquiri possunt, si argumentis demonstrationis christianae vel catholicae veritas non patefiat, certitudo non gignatur? Et quo pacto rationabiliter et logice ceterae veritatis retinere possint, si veritas catholica reiiciatur quae cum aliis veritatibus, cum fundamentis humanae cognitionis tam individuo et indissolubili nexu cohaeret? Immo vero si religio catholica non sit vera, de ipsa providentia divina desperandum esset; tunc enim ipse Deus insipientiae simul et crudelitatis convinceretur, quippe qui immani modo hominibus illuderet et errorem maxime tristem et perniciosum tanto veritatis splendore, tanta certitudinis evidentia circumvestiret.

Qui igitur religionem catholicam amplecti non vult, 16.
logice si procedat, necessario ad plenum Atheismum et perfectum Scepticismum et Nihilismum declinabit. Quod paulo aliter iam expressit *Richardus a S. Victore:* „Domine, si error est, a te ipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt“ (De Trinit. I, 2). Iamvero

cum Atheismus, Scepticismus, Nihilismus absurdissimi sint atque evidenter falsi, qui in Ecclesiae catholicae sinu existunt, profecto de tanto veritatis catholicae splendore ex intimis visceribus gaudeant necesse est atque cum Psalmista exultent: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. 92, 5).

17. Quae cum ita sint, nihilominus conversio ad fidem catholicam atque perseverantia in eadem insigne potius gratiae divinae donum, quam humanorum argumentorum humanaeque persuasionis effectus sunt. Adminicula quidem haec argumenta sunt connaturaliter praerequisita et valde opportuna, si caute suaviterque adhibeantur; se minime per se sola ad fidem gignendam vel conservandam sufficiunt; imo ut experientia testatur, si male adhibeantur, si inopportune urgeantur, vel maiori obstinationi occasionem et ansam praebere possunt. Praeter humanae sapientiae verba et argumenta alia insuper maioris momenti media ad hominem incredulum convertendum requiruntur; quod pulchre et ingeniose egregius controversista *Cardinalis du Perron* hic verbis expressisse fertur: „Hos (haereticos) si convinci cupitis, ad me perducite: at conversos si desideratis, mittite ad Franciscum de Sales, genevensem episcopum.“ Ceterum de modo, quo cum incredulis agendum sit conferantur *Harter*, comp. I[12] n. 102 aliique auctores ibidem relati.

A. M. D. G.

Index

Summae de vera religione.

Pagina

Prooemium 3

Quaestio prima et praevia.
De ipsa theologia.

Articulus primus.
De ratione interna theologiae.

Thesis 1. Theologia apte definitur: scientia fidei 6
Thesis 2. Obiectum formale theologiae est verum demonstrabile ex verbo Dei, quare a philosophia essentialiter differt . . . 12
Thesis 3. Deus ipse ut Deus est subiectum theologiae 17

Articulus secundus.
De muneribus theologiae deque habitudine inter fidem et theologiam.

Thesis 4. Munera theologiae in fide obiectiva demonstranda, defendenda, explicanda vel evolvenda versantur; unde essentialis inter fidem et theologiam differentia atque habitudo intelligitur 20

Articulus tertius.
De praestantia theologiae.

Thesis 5. Theologia omnibus aliis scientiis antecellit 23

Articulus quartus.
De divisione theologiae.

Thesis 6. Theologia varia ratione recte dividitur; ea vero, quae scholastica dicitur, specialem considerationem meretur 28

Articulus quintus.
De fontibus theologicis.

Thesis 7. Plures merito distinguuntur fontes theologici, quorum singuli certis normis atque cautelis adhibitis infallibile veritatis argumentum praebent 33

Articulus sextus.

De theologiae fundamentalis vel generalis speciali indole. Pagina

Thesis 8. Theologia fundamentalis circa generaliores quidem et fundamentales veritates versatur: verum ipsa quoque dogmatica methodo tractari potest imo etiam debet . . 39

Quaestio secunda.

De religione in genere.

Articulus primus.

De notione religionis.

Thesis 9. Vox religionis varia ratione accipitur; pro scopo vero praesentis tractatus religio apte definitur: complexus eorum omnium, quae rectum hominis ad Deum ordinem constituunt 44

Articulus secundus.

De necessitate religionis.

Thesis 10. Naturali rationis lumine evidens est incumbere homini moralem atque absolutam necessitatem religionem exercendi 51

Articulus tertius.

De ambitu religionis.

Thesis 11. Religio, cuius necessitas demonstrata est, praeter cultum internum etiam externum, praeter privatum etiam publicum complectitur 60

Articulus quartus.

De divisione religionis.

Thesis 12. Varia religionis divisio merito distingui potest 67

Articulus quintus.

De unitate religionis.

Thesis 13. Una est religio, quam omnes homines profiteri tenentur, quare absurda est perversa tolerantiae dogmaticae doctrina 72

Quaestio tertia.

De revelatione in genere.

Articulus primus.

De possibilitate revelationis.

Thesis 14. Revelatio divina proprie dicta et supernaturalis tum immediata tum mediata veritatum, quae religionem naturalem constituunt, certo possibilis est 78

Thesis 15. Neque divinam mysteriorum revelationem repugnare probari potest 96

Articulus secundus.

De necessitate revelationis.

Pagina

Thesis 16. Divina revelatio veritatum religionis naturalis in praesenti generis humani conditione moraliter necessaria est in eum finem, ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint 123

Thesis 17. Divina mysteriorum revelatio humano generi tum in ordine intellectuali tum in ordine morali plurima emolumenta confert; in hypothesi vere elevationis ad ordinem et finem supernaturalem simpliciter necessaria est 147

Quaestio quarta.

De revelationis cognitione vel de criteriis revelationis in genere.

Articulus primus.

De amplectenda et cognoscenda religione revelata.

Thesis 18. Religio revelata ab omnibus amplectenda est, quibus destinatur et sufficienter innotescit; quare, cum religio aliqua cum veritatis specie ut revelata proponitur, homo officio eam examinandi graviter adstringitur 161

Thesis 19. Ad revelationem actu firmo et prudenti amplectendam moralis de eiusdem veritate certitudo sufficit et requiritur 169

Articulus secundus.

De ratione et scopo criteriorum revelationis.

Thesis 20. Examen religionis, quae ut revelata proponitur, primario et per se ad internam eiusdem religionis veritatem referendum non est, sed eo potius spectat, ut ipsum factum revelationis vel origo eius divina patefiat 176

Articulus tertius.

De criteriis quibusdam vel secundariis vel insufficientibus.

Thesis 21. Conformitas doctrinae religiosae cum ratione criterium revelationis negativum quidem certum est, positivum autem probabile tantum et secundarium haberi potest . 181

Thesis 22. Congruitas doctrinae cum sensu religioso naturali vel indigentia animi religiosi innata experientia interna percepta aliquod quidem revelationis indicium esse potest; neque tamen eadem congruitas inter primaria revelationis criteria computanda est 187

Thesis 23. Spiritus Sti testimonium internum sive supernaturalis interna illustratio et inspiratio aliquod quidem revelationis criterium constituere possunt; verum inter secundaria tantum computari debent 191

Quaestio quinta.
De miraculis.

Articulus primus.
De notione et divisione miraculorum.

Pagina

Thesis 24. Miraculum recte definitur: Effectus sensibilis praeter communem naturae ordinem divinitus patratus 196

Thesis 25. Miracula varia ratione recte dividuntur 215

Articulus secundus.
De possibilitate miraculorum.

Thesis 26. Deus miracula vera et proprie dicta patrare evidenter potest 228

Thesis 27. Soli Deo competit potestas patrandi miracula absoluta vel proprie dicta; angeli vero miracula relativa vel improprie dicta efficere possunt 236

Articulus tertius.
De cognoscibilitate miraculi.

Thesis 28. Indubia certitudine constare potest de veritate historica miraculorum 251

Thesis 29. Certo constare potest de veritate miraculorum philosophica 254

Articulus quartus.
De miraculis, ut sunt criterium divinae revelationis.

Thesis 30. Miracula ad divinam alicuius doctrinae religiosae originem confirmandam patrata, sine dubitatione rationem divini testimonii habent, quo reipsa divina illius doctrinae origo asseritur 265

Quaestio sexta.
De prophetiis.

Articulus primus.
De prophetiae possibilitate.

Thesis 31. Prophetia vera et proprie dicta evidenter est possibilis 288

Articulus secundus.
De prophetiae cognoscibilitate.

Thesis 32. Vera prophetia certo cognosci et a falsis discerni potest 306

Articulus tertius.
De prophetiis, et sunt criterium divinae revelationis.

Thesis 33. Prophetia ad divinam doctrinae religiosae originem confirmandam edita, absque dubitatione divinae huius originis luculentum argumentum est 313

Quaestio septima.
De evangelicae historiae veritate.

Articulus primus.
De testimonio ipsorum evangeliorum.

Pagina

Thesis 34. Veritas historiae evangelice imprimis ex libris evangeliorum validissime demonstratur 319

Articulus secundus.
De testimonio Iudaeorum et Gentilium.

Thesis 35. Historia evangelica tum Iudaeorum tum Gentilium testimonio confirmatur 334

Articulus tertius.
De testimonio ipsius christianitatis.

Thesis 36. Testimonio ipsius christianae societatis quoque historia evangelica validissime confirmatur 345

Quaestio septima.
De divina Christi missione.

Articulus primus.
De testimonio ipsius Christi prae admirabili eius sapientia et sanctitate considerato.

Thesis 37. Divina Christi legatio consideratis eiusdem Christi admirabili sapientia et sanctitate ex proprio ipsius testimonio luculenter demonstratur 351

Articulus secundus.
De insigni Christi doctrina.

Thesis 38. Doctrina Christi ea praecellentia insignita est atque hominis naturae et conditionibus tam egregie accommodata apparet, ut inde ad divinam eius originem merito concludatur 371

Articulus tertius.
De miraculis Christi.

Thesis 39. Divina Christi legatio innumeris quoque miraculis, quae Christus patravit, evidenter comprobatur 400

Articulus quartus.
De resurrectione Christi.

Thesis 40. Inter miracula Christi necnon inter criteria divinae eius missionis eminet primumque locum obtinet gloriosa a mortuis resurrectio 420

Articulus quintus.
De vaticiniis Christi.

Thesis 41. Ex vaticiniis quoque, quorum Christus est auctor, divina eius legatio validissime confirmatur 452

Quaestio nona.

De mirabili religionis christianae historia.

Articulus primus.

De martyrio christiano. Pagina

Thesis 42. Divinitas religionis christianae martyrum testimonio invicte probatur 499

Articulus secundus.

De mira religionis christianae propagatione.

Thesis 43. Mira quoque religionis christianae propagatione tribus praesertim primis saeculis facta divina eiusdem religionis auctoritas invicte probatur 535

Articulus tertius.

De insignibus religionis christianae fructibus.

Thesis 44. Fructibus quoque insignibus, quos religio christiana praesertim in ordine morali produxit, divina eius origo luculenter confirmatur 566

Articulus quartus.

De religionis christianae conservatione.

Thesis 45. Quemadmodum mira religionis christianae propagatione, ita etiam admirabili inter tot pericula et tam saevas procellas conservatione divina eius indoles aperte manifestatur . . . . . .

Articulus quintus.

De mysterio amoris et odii in Christum tamquam argumento divinae religionis christianae originis.

Thesis 46. Duplex mysterium quoque ad demonstrandam divinam religionis christianae originem multum valet, mysterium scilicet amoris in Christum et odii contra ipsum . . . 610

Articulus sextus.

De sanctorum et charismatum insigni, quo christiana religio refulget.

Thesis 47. Divina religionis christianae origo denique serie quoque non interrupta sanctorum et charismatum duratione non intermissa, quibus eadem refulget, egregie demonstratur 624

Epilogus.

I. Demonstrationes institutae ad Ecclesiam catholicam summatim applicantur 661
II. Summa totius demonstrationis christianae vel catholicae S. P. Pii IX. et S. Augustini verbis resumitur 664
III. Quanta sit veritatis catholicae certitudo explicatur 668

211
M914

1770

Muller, S.J., Jos.
AUTHOR

De Vera Religione
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	
	STORAGE - CBPL	

1770